OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII TILLIANI IN M. T. CICERONIS LIBROS QVINQVE DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM, COMMENTARIVS.

AD

Iacobum Spifamium, Scholæ Parisiensis Cancellarium, & in supremo Senatu Præsidem.



PARISIIS,
Apud Ioannem Lodoicum Tiletanum,
ex aduerso collegij Remensis.
1546.

CLARISSIMO VIRO
D. IACOBO SPIFAMIO SCHOLAE PARISIENSIS CANCELLARIO, ET IN SVPREMO SENATV PRAESIDI,

Gulielmus Morelius Tillianus S. P. D.



NTE Tres annos, quum illis essem primis literarum & disciplinarum initiis aliquantum imbutus, nec ea, vt erant rudia & impolita, meo multum satisfacerent animo, cogitare mecum cœpi, Princeps literarum amplissime, quanam ratione possem illa prouehere atque perpolire. Et cũ audito prudentum doctorumque iudicio, disciplinarum omnium fontes Græcorum literis atque scriptis intelligerem contineri, diutius in iis mihi ponendam operam, studiumque maius collocandum putaui: non quia Latinis scriptis omne doctrinarum genus tractatum non esset & illustratũ: sed audiebam Græcos omnia multo melius, copiosius, & apertius, quàm Latinos disputasse: nec id tantum, verum Latinorum etiam vel omnia, vel quamplurima, vix ab eo, aut ne vix quidem intelligi, qui progressus in Græcis aliquos non haberet. Itaque tot tantisq; huius cognitionis vtilitatibus incitatus, Græca versare cœpi exemplaria tenuiter primùm equidem, non tamen in totum inutiliter: adeoque semel suscepta deserere studia non potui, vt quo longius proficiscerer, eo minus cupiditatem illam coercere reprimereque possem. Ergo, vt iam videbar Græcorum institutionibus nonnihil instructior, corrigendis chalcographorum exemplaribus à Ioanne Lodoico Tiletano librario diligẽtissimo tum demum præficior, nactus equidem Spartam, quam ornare pro dignitate, ne doctrina quidem plus quàm mediocri præditus possit. Operam omnem in eam rem, legendo, describendo, conferendo dum libenter insumo, si quid interea de iis quæ tum occurrebant, animum mouebat, id memoriæ commendatum, cum aliis generis eiusdem comparabam, & seorsum nonnunquã si videbatur, adscriptum mihi reseruabam. Ita factum est, vt locos Ora-

torum, Philosophorum, & Poetarum non paucos ante mihi non satis cognitos intellexerim: quod me potißimùm consecutum sentiebam, quando vel cum Latinis Graeca, vel contrà haec cum illis coniungebam. Ea vero non aliò referebam omnia, quàm vt aut emendandis pro meo officio quae prodeunt ex illius officina, exemplaribus valerent, aut meis priuatim studiis iuuandis inseruirent. Nam vnde mihi uenisset in mentem, haec minutula, nec in eam unquam rem congesta foras dare, quae ne mihi quidem plerunque sine fastidio sese ob oculos offerre poterant? Ea nactus aliquando Lodoicus ille, laudat, & de pluribus cõgerendis mecum agit. Qui eius animum nesciebam, pergo: ille vero de hac ingenuarum artium studiosis communicanda farragine cogitabat. Quod demum vt intelligo, vehementer id ne faciat efflagito: efficere tamen non potui, quo minus, ipsius hortatu quae collegeram, ea illius voluntati consilioque permitterem, vt pro suis vteretur, ac de iis quicquid vellet statueret. Statuit autẽ vt iamdiu habebat in animo, bonarum artium studiosis ea tradere, quorum ad vtilitatem suas omnes refert actiones, studia, cogitationes. Ego vero constanti & perpetua hominis expostulatione victus, cogor tam indigesta, ne maiori essent dispendio adulescẽtibus, quàm compendio, sub incudem reuocare, & qualia erant cunque nonnihil emendata me prolaturum in lucem, polliceri. Et quoniam erant omnia confusa, & in varios M. T. Ciceronis librorum, quos ille potißimum suis cõmendat typis, locos delineata quaedam explicationum rudimenta, inuito de multis vnus mihi proponitur liber assumendus, in quem operam iamdudum inchoatam omnem conferrẽ, si quo pacto fieri posset, vt illis illustraretur selectis, & ad alium profectò vsum sepositis adnotatiunculis. Praeclusis omnibus quà possem elabi tergiuersationibus, libros quinque de Finibus bonorum & malorum in manus sumo: non quòd meae doctrinae nescirem impares, sed vt operis difficultate longitudinéue deterrerem hominem, & si fieri posset, de sententia dimouerem. Annuit, sed interim hortari non desinit, vndecunque incitat, vrget, & ne vllus recusationi locus esset, libros plures quàm vellem suppeditat. Iam perlecto volumine, tractari video nõ vulgaria, nec vsitata Philosophorum decreta, de summi boni constitutione, nec quidem eorum, è quorum libris Ciceronis scripta poßint exornari. Nam praeter admodum paucas, quae per varios posteriorum Philosophorum ac scriptorum alterius generis libros sparsae sunt, Epicureorum, Stoicorum, itemq; posteriorum Peripateticorum, ad nos sententiae nullae

peruenerunt: ita tamen illorum his quinque libris omnia M. Tullio decreta tractata videntur, vt vix vllum esse potuerit de tertia Philosophiæ parte, quæ de moribus est, quod non vel tractauerit, vel attigerit. Ex aliquot igitur Græcorum libris quæ de finis bonorum explicatione, deque rebus aliis ad eum pertinetibus reperire potui, eáq; descripta cum Ciceronianis coniungere disputationibus, in vnum volumen congessi: quod in tuo nomine, Cancellarie Sapientissime, apparere volui. Nam æquum mihi visum est, nec mihi duntaxat, sed iis etiam quorum de consilio hos primos edo fœtus, vt qui Princeps, & tanquã Iudex huius veluti Academiæ constitutus sis, primus primos alumnorum tuorum conatus dispicias: vtpote cui vel languentes animos excitare, vel properantes remorari datum sit. Omnes enim te talem, vel potius virum eruditorum primarium, non modò potestate dignitatéve, sed etiam literis doctrináque fatentur, agnoscunt, amplectuntur. Pro tua igitur in omnes bonarũ literarum candidatos beneuolentia, has meorum studiorum primitias, vel potius teneros flores ac primos conatus suscipe: de quibus tuum integrum expecto iudicium. Quod vt feras, si placet, mihi visum est, paulo altius de opere toto, tractandique ratione quam secutus sum, paucis præfari oportere.

M. T. CICERO Cum sibi proposuisset Græcorum disciplinas Latinis literis mandare, iam suos, vt ait, cohortatus ad Philosophiæ studium, ostensóq; genere philosophandi quod probaret, totius Philosophiæ fundamentũ positũ in bonorum & malorum extremi constitutione, tractandum, vtque reliquas philosophiæ partes in suorum, id est, Romanorum cognitionem de Græcis transferendũ suscepit: opus non modò copiosum, & in multas fusum partes, sed arduum etiam ac difficile. Quum enim eius tempore iam in varias atq; contrarias sectas facta esset eruditorum discessio, vt vix quid à quoque probaretur, quid improbaretur, intelligere liceret, non erat facile confusas hominum sententias in vnum quasi corpus congerere, inque tot tantorumque philosophorum opinionibus quid verum esset, eligere. Igitur trium, quæ tum præcipue florebant, disciplinarum decreta de moribus, & rerum expetendarum ac fugiendarum finibus, his quinque libris exposuit: eaque sic tractauit, vt apte quid à quaque, quid contra quanque dici posset, explicauerit: quanquam duarum duntaxat nominatim ex illis decreta prius confirmata refutauit. Nã Peripateticorum ratio quæ libro postremo tractatur, tantum sub finem

perstringitur, & breuibus interrogatiunculis, accõclusionibus vt inconstans notatur, non etiam, vt reliquæ duæ, momentis singularum rationum eleuatis, euertitur. Has M. Tullij disputationes, quas olim intelligere, quia scripta de quibus ille plurima transtulit, extabant, licebat, nunc non bene licet in tanta veterum librorum penuria, nonnihil illustrandas dum inuitus equidem suscipio, plerunque meam cogor agnoscere sterilitatem, & inscitiam. Itaque Græcos authores, quos aliquot mensibus hac in occupatione perlegere potui, indidemque locos satis multos, partim quos, vt M. Tullius, illi suis disputationibus inserebant, partim quibus aliquod aut probabant decretum, aut refellebant, ad hanc rem adhibui: tum vt res de qua disseritur, intelligi possit, tum vt quàm apte, quamque diserte M. Tullius in vsum suum conuerterit, studiosi cognoscant, indeque rationem tantum virum imitandi percipiant. Nec veritus sum etiam posteriorum M. Tullio, vt Plutarchi, Aphrodisiensis Alexandri, Galeni, Arriani, nonnullorumque aliorum locos cum illius oratione conferre, tum quia dum aut confirmant, aut infirmant aliquod alicuius disciplinæ decretum, omnes verbis vtuntur, quibus illius authores primum vsi fuerint: tum quia sæpius eorum, & Ciceronis eadem animo concepta perceptaq; videbantur, quæ singuli suo more, suaque loquendi consuetudine aliter atque aliter explicabant. Quæ certe cõparatio quàm sit vtilis, quàm studiosis expetenda, nemo nescit. Ex ea verò collatione nonnunquam vel ex Græcis Latina, vel ex Latinis Græca corrigenda perspicio: quod me potissimum in Laërtij locis aliquot fecisse, facile qui legerit animaduertet. Nam Ciceroniana, vt nonnunquam illinc, ita magnam partem è veteri codice manuscripto proponere malui. Si quando locum aliquem ex alijs aut M. Tullij, aut aliorum scriptis planiorem reddi conspicerem, ea quoque in medium protuli. Sic enim potius visum est, quàm ab alijs bene scripta mutatis nominibus deteriora facere, vel pro meis, quod difficile forsan non fuisset, adscribere. Si Græca quæ profero, aut omnino nõ sint, aut obscurius à Cicerone conuersa, ne qui vel rudes Græcarum literarum, vel non multum periti sunt, vtilitate, si qua inde percipi possit, priuentur, ea vt possum Latine reddo. Nonnulla quæ Ciceroni breuius disputabantur, & obscurius quàm vt ab omnibus intelligi possent, latius porrexi, quàmque fieri apertissime potuit, explicaui. In quo cum pro disciplinæ ratione, quæ tum tractaretur, res exponenda fuerit, sæpe factũ est, vt cõtrà quàm sentirem, mihi scribendum fuerit: tametsi nonnunquam me con-

tinere non potuerim, quo minus quid in animo haberem, exponerem: & præsertim cum premi nostra, id est, vera sanctaque religio videretur. Cuius quidem partem qui vllam vnquam gustauerit, alium certè finem, aliud summum bonum, aliud rerum expetendarum extremum, quàm modesti & simplices expesuerint Epicurei, subtiles disputarint Stoici, docti definierint Peripatetici, requiret. Motionem suauẽ qua corpus hilaretur, aut inde natam animi lætitiam nõ expetet, qui semel CHRISTI iugum suaue portauerit, & crucem sustulerit: quique deo suum corpus in hostiam viuentem præbendum esse didicerit. Non suis omnia metietur commodis, cui vitam ad authorem deum referendam, ad eiúsque nominis gloriam, actiones omnes dirigendas esse, persuasum fuerit. Nec verò philosophorum inuolutis, ac spinosis disputationibus nobis ad explendã illam mentibus omnium vitæ beatæ consequendæ cupiditatem insitam, opus est: Habemus simplicißimam, clarißimam & verißimam doctrinam quàm sequamur, non illam quidem incertis & fallacibus hominum opinionibus confirmatam & explicatam, sed verbo Dei, quo nihil vel esse, vel cogitari certius potest, fundatam & extructam. Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum Deum verũ, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Facessat igitur Stoicorum spinosa sententia, facessat Peripateticorũ, & omnium qui à Deo auersi sunt & alienati speciosa commentatio. Politiarum & cœtus hominum, ac tuendarum ciuitatum rationem, quæ illis est Dei beneficio tributa, explicent: administrandæ familiæ prudentiam doceant: non hominis summum bonum, cuius ne vestigium quidem vllum olfecerunt, constituant. Quantas tragœdias, quot dißidia, quàm multas excitauit contentiones hæc quæstio! Gratias Deo Opt. Max. qui per CHRISTVM nos docuit, per CHRISTVM summi boni participes nos effecit. Dum ergo has veterum philosophorũ controuersias legimus, ex collatione CHRISTI beneficium agnoscamus & amplificemus. Præclarè Stoici, iudicio hominum, finem bonorum in virtute constituunt: sed non vident quàm longè vel eorum sapientißimus quisque distet ab ea quam prædicant virtutum perfectione. Nec moror quid in ore totos dies habeant, quum eorum vita factisque refellatur oratio. Naturam sibi proponunt, cui congruenter conuenienterque viuant: sed quàm à prima creatoris institutione, ac diuina lege natura humana discesserit, ignorant, & dum eius deprauatas propensiones sequũtur, in malorum omne genus delabuntur. Habemus CHRISTVM,

non naturam, quem sequamur: quem, vt verum exemplar intueamur: qui non modo nobis iter præit, sed nos etiã Deo reconciliauit, à quo peccatis nostris omnes desciueramus. In eo nostra salus, spes, & beatitudo, non in naturæ corruptæ bonis & dotibus posita est. Huius generis dũ quædam meditor, videoq; veteres illos suis conclusiunculis exultare, non possum efficere, quin quæ meliora sint indicem. Hæc huius instituti mei ratio est. Superest vt quicquid id est, quod sum præstare conatus, ingenuarum disciplinarum studiosi æqui boniq́ue consulant, etiam atque etiam obtester & rogem. Ac neminem hominem esse puto, qui si meam ætatem cognouerit, siq́ue multo magis animum meum peruiderit, ac instituti rationem intellexerit, meum non sit probaturus studium. Neque enim hæc mea ideo proferri patior adnotata, vt aut alicuius studiis detrahere, aut aliorum longe me doctiorum conatus retardare velim: sed tum ab illo, quem dixi, coactus & impulsus, tum ratus non omnibus vacare fortasse quos legerim libros, vnde ista sumi possim, euoluere, operæpretium me facturum existimaui, si viro de me bene merito postulata non denegarem, & studiosorum aliqua ex parte compendio inseruirem. Nec dubito me plura reperire potuisse, si plures libros excutere diligenter vacasset: verum hæc paucula quid spei cæteris perquirendis relictum sit, ostendẽt. Et ita certe malo, quam plura proponere: præsertim ego qui mihi meæ cõscius ignorationis, in tanto virorum eruditorum cœtu meas exponam aliorum iudicio cogitationes. Sed hæc exigua si reprehendantur, pauciora contingent peccata, quæ aliâs declinanda, similiáq; prætermittenda mihi constituam: sin placeant, animos, vt ad meliora pergam, addent. Ita vtut res cadet, casu prospere, Deo bene fauente, vtar: aut eruditorum admonitione castigationéque paterna, ad properantes animos reprimendos: aut imperitorum cãlumnia, ad despiciendos hominum rumores, & studia promouenda. HÆC Mea cogitata, Iacobe Spifami, literatorum amplißime Patrone, tibi offero, tibi dedico, tibi committo: vt quo sunt infirmiora & minus erudita, eo maiorem prudentioremq́ue tutorẽ habeant, & eruditioris atq; sapientioris hominis nomine commendentur. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Pridie Calend. Nouemb. 1545.

OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII IN M. T. *CICERONIS LIB. PRIMVM DE Finibus bonorum & malorum, Commentarius.*

LIBRORVM argumentum appellatio ipsa indicat, De finibus bonorū & malorum. His enim in libris quaeritur quid sit vltimum, quò sint omnia bene viuendi recteque faciendi consilia referēda: quid sit rerum expetendarum summum, & fugiēdarum extremum. Est verò haec summi boni explicatio ita tractata, vt quid à quaq; Philosophorum nobilium disciplina, & quid contra quanque dici possit, intelligatur. Sic enim lib. 2. de Diuinatione hic idē docet author: Quumq;, inquit, fundamētum esset philosophiae positum in finibus bonorū & malorū, perpurgatus est is locus à nobis quinq; libris, vt quid à quoq;, & quid contra quenq; philosophorum diceretur, intelligi posset. Nimirum lib. 1. Epicureorum sententia explicatur: quae eadē secundo, refutatis argumentis reprehenditur. Libro tertio Stoicorū ratio de bonorū finibus confirmatur: eademq; lib. 4. refellitur. Tandem lib. 5. ex veterum Academicorum, & Peripateticorum sententia quid tenendum sit, traditur: quae totius operis perfectio est & absolutio. Hos dedicauit libros M. Bruto, cui etiā Oratorem desponderat, suasu & hortatione T. Pōponij Attici: vt in epistola quadam ad eundē Atticum libro. 13. indicat. Nunc illam, inquit, περὶ τελῶν σύνταξιν sanè mihi probatam, Bruto, vt tibi placuit, despondimus: idque eum non nolle scripsisti. Quibus autem, & quamobrem, disputandi partes tribuerit, eadem explicat epistola. Eius verba sunt, Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, vt Epicurea Torquato: Stoica M. Catoni: Peripatetica M. Pisoni daremus. ἀζηλότυπον id fore putaram: quòd omnes illi decesserant. Eos primum confectos ad Pomponium missos fuisse constat: deinde à Cicerone correctos post illius admonitionem, Bruto datos fuisse. Quod ex eodem libro intelligere licet. Dic mihi, inquit, placetne tibi primum edere iniussu meo? Hoc ne Hermodôrus quidem fa-

A

ciebat, is qui Platonis libros solitus est diuulgare, ex quo λόγοισι Ἑρμόδωρος. Quid illud? Rectúmne existimas cuiquam, antequam Bruto? cui te authore προσφωνῶ. Scripsit enim Balbus ad me, se à te quintum de Finibus librum descripsisse, in quo non sanè multa mutaui: sed tamen quædam. Tu autem cõmode feceris, si reliquos continueris, ne & ἀδιόρθωτα habeat Balbus, & ἕωλα Brutus.

Non eram nescius, Brute, quum quæ summis ingeniis.

HOc vnum eorum est proœmiorum, quæ se habuisse vno volumine, ad Atticũ Cicero scribit: ex quib⁹ eligere solebat, cũ aliquod σύγγραμμα instituebat. Est huic libro cum aliis id commune: & eadem ferè continet, quæ illud quod est in Academico primo, & secundo libro de Diuinatione. Nam principio vituperatoribus occurrit cum suarum disputationum, tum totius Philosophiæ. Reprehensionẽ autem quatuor exponit partibus, Quod inutilis sit philosophantium opera: Aut si sit vtilis, quòd non multus in eo genere labor insumendus sit: Aut si insumendus, Quod non literis id faciendum sit Latinis, sed Græcis potius: Aut si iis quidẽ, quod non istæ sint viro in Repub. impedito decoræ & dignæ occupationes. Elegans est hæc in partes distributa obiectorũ enumeratio, & aptissimè collocata, vt quasi gradibus quibusdam progredi videatur.

Contra quos omnes dicendum breuiter existimo.

Ordine respondet: sed contra eos quibus totum displicet hoc philosophandi genus, dicit aliâs se scripsisse, eo nimirum in libro quem Hortensium inscripsit: cuiusq; meminit Tuscul. 2. Nos autẽ, inquit, vniuersæ philosophiæ vituperatoribus respõdimus in Hortensio: & item 3. De vniuersa philosophia quãtopere & expetenda & colenda esset, satis, vt arbitror, dictum est in Hortensio: & de Diuinatione lib. 2. Nã & cohortati sumus, vt maximè potuimus, ad philosophiæ studiũ eo libro qui est inscriptus Hortensius. Transit itaque ad alteram obiectionem, de non multa sapiẽtię studio collocãda opera: docens rerum bonarum, & potissimum studij literarum, modum non esse quęrendum: quarum summa sit semper expetenda amplificatio. Notũ enim illud est, τὸ ἐπιθυμεῖν τῆς ἀληθείας ἀκόρεστον. Huc autẽ pertinent ea quæ initio Tusculanæ 2. hic idem author refert de Neoptolemo, qui philosophari sibi aiebat esse necesse, sed paucis. nam omnino haud placere. Cui M. Tullius respõdet, Difficile esse in philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque, aut omnia.

In eo quod semel admissum coërceri reprimique.

In codice manu scripto est, QVOD SEMEL iã missum, vt eò respexisse videatur Cicero, quod dici solet, telũ emissum reuocari nõ posse: ita si semel studio sapiẽtię dederis operã, te inde abducere nequeas. Tantus est eñi, vt alio loco idẽ ait, innatus in nobis cognitionis amor & scientiæ, vt nemo dubitare possit, quin ad eas res nostra natura nullo emolumẽto rapiatur: in quod studiũ si semel vestigium posuerit, nullo incõmodo inde deterreri possit. Ob eamque rem vel sitim, vel famem perferat potius, q̃ à contemplando abstrahatur. Ex quo illud,

Οἴμοι πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν, id est,
Eheu, coactus non possum non eloqui. Et alter qui audit respondet,
Κἄγωγ' ἀκούειν, ἀλλ' ὅμως ἀκουστέον, id est,
Egoque andire nollem id, audiam tamen.

Vides vtrunque lassum, alterum dicendo, alterum audiendo: tamen discendi hic,

narrandi ille libidine quasi coguntur. Itaq; non est requirenda, ait Cicero, in ea re tẽperantia. Et Plutarchus, ἔοικε τῆς περὶ τὸ πάντα γινώσκειν ἡδονῆς ἀκρασία τις εἶναι, καὶ νόσος ἐκβιαζομένη τὸν λογισμόν, immoderata, inquit, cupiditas & voluptas est in rebus discendis & cognoscendis, qua tanquam torrente mens nostra rapitur.

Nam vt Terentianus Chremes non inhumanus.

Locus est in Heauton timorumeno Act. I. Scen. I. Vbi Chremes senex senis Menedemi miseria & tristitia de eiecto & expulso filio commotus, eum consolatur, & hominem filio supplicium de se dantem, seque excruciantem monet, ne præter ætatem faciat. Nunquam, inquit, tam mane domo egredior, neque vesperi Domum reuertor, quin te in fundo conspicer, Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. deniq; Nullum remittis tempus, neque te respicis. Vbi vides ad consequẽtia verba vocem, DENIQVE pertinere, quã tamẽ Cicero ad superiora retulisse videtur: nisi integrum citare versum voluerit. Et rectè non inhumanus Chremes, qui illic dicat, Humani à se nihil alienum putare. Nouum vicinum Menedemum dicit, eò respiciens quod ibidem ait Chremes, Quanquam hæc inter nos nupera notitia admodum est, Inde adeò quod agrũ in proximo hic mercatus es. Ab illiberali autem labore eum deterret, qui, - Annos, inquit, sexaginta natus es, Aut plus eo, vt coniicio: agrum in iis regionibus Meliorem, neque pretij maioris, nemo habet. Seruos cõplures pro inde quasi nemo fiet, Ita tute illorum officia attente fungere. Nunquam tam mane &c.

His igitur est difficilius satisfacere, qui se latina scripta.

Tertiam reprehensionem confutat, de non legendis Latinè è Græco conscriptis. Si fabellas, inquit, de Græcis male conuersas legimus: quantomagis de sapientia disputationes Latinè, easque splendidè scriptas legere debemus? Quæ tota reprehensio in primo Academico à Varrone exposita est: & à Cicerone eodem loco confutata modo prope eodem, quo & nunc refellitur. Item in libello de optimo genere Oratorum, vbi in duo genera reprehensorum, quod nunc vnum facit, tribuit, licet id in re alia faciat. Attilius ferreus scriptor, id est, durus atque imperitus. Nam in artibus Dura dicuntur, quæ parum sunt artificiosa: contrà Mollia, quæ summa arte perfecta sunt & elaborata. Vtinam ne in nemore, vetsus sunt de Ennij Medea, qui citantur integri in Rhetoricis ad Herennium. Sunt autẽ versi ex Euripidis Medea statim ab initio, Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς, &c.

Nam si dicerent ab illis omnes res esse tractatas.

Respondet obiectioni, Nihil Græci reliquerunt intactum: vbi ergo operam collocabis? Si res antè tractatas attingere non licet, ne Græci quidẽ omnes legendi erũt. Posteriores enim fermè locos ab antiquioribus tractatos explicãdos sibi proponũt. Sic Chrysippus accepta à magistro Zenone decreta latissimè exposuit, nihilq; prætermissum ab eo reperias. Fuit enim πολυγραφώτατος Stoicorum, de quo celebratur Carneadis versiculus, Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά: Quo significabat eũ porticum Stoicorum fulcire, quod alicubi dicit Cicero. Non tamen post eum desierunt posteriores Stoici de iisdem suo arbitrio scribere. Idem fecerũt & Peripatetici. Idem quoque Epicurei. Cur ergo Latinis minus licebit alia ratione iisdẽ de rebus suis literis disputare? QVID THEOPHRASTVS? in veteri codice est, QVID THEOPHRASTVM? quam lectionem etiam adnotarunt Germani.

Quanquam si plane sic verterem Platonem.

Ab aliis inuenta in alterius vertere linguæ sermonem, tametsi laudi ducendũ est: tamen opus est laude maiori dignum, aliorum locos in vsum suum trãsferre, viãque tractatos & ratione, rei de qua agitur accõmodare. quod fere in omnibus suis libris

Cicero fecit. Ex quo illud initio Officiorum, Sequimur, inquit, hoc quidem tempore, & in hac potissimum quæstione Stoicos, non vt interpretes: sed, vt solemus, è fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro, quantum, quóque modo videbitur, hauriemus. Versus Ennij ex Homero desumptos quosdam videre licet apud Macrobiū Saturnaliorum lib. 6. cap. 3.

Nec vero vt noster Lucilius, recusabo.

Hunc locum explicant verba illa quæ de Lucilio posita sunt lib. 2. de Oratore: Nam vt C. Lucilius homo doctus & perurbanus dicere solebat, ea quę scriberet, neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle: quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quàm ipse de se: quo etiam scripsit, Persium non curo legere: hic enim fuit, vt noramus, omnium ferè nostrorum hominum doctissimus: Lælium Decimum volo, quem cognouimus virum bonum & non illiteratum, sed nihil ad Persium: sic ego si mihi disputandum sit &c. Quanti autem fuerint Scipio & Rutilius, quorum iudicium reformidabat Lucilius, licet ex Cic. colligere. In Bruto Rutilium ait fuisse doctum virum, & Græcis literis eruditum, Panætij auditorem, prope perfectum in Stoicis, in hocque vno firmam & stabilem inuentam fuisse Stoicorū Philosophorū de se ipsorum opinionem. Tarĕtini à Tarĕto, non tam eruditi fuerunt, quos oraculum πόντα δῆμοι appellauit: itemque Consentini à Consentia.

De Albutio est in Bruto. Doctus etiam, inquit, Græcis T. Albutius, vel potius penè Græcus: loquor vt opinor, sed licet ex orationibus iudicare. Lucilij versus à plerisque quia emendati sunt, nostra admonitione non egent.

Latinorum linguam non modo non inopem.

Linguæ Latinæ inopiam agnouerunt & superiores & inferiores Cicerone. Lucretius,

Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse:
Multa nouis verbis præsertim cùm sit agendum,
Propter egestatem linguæ & rerum nouitatem.

Qui (inquit Fabius lib. 12.) à Latinis exigit illam gratiam sermonis Attici, det mihi in loquendo eandem iucunditatem & parem copiam: quod si negatum est, sententias aptabimus iis vocibus quas habemus. Paulo supra, His illa potentiora, quòd res plurimæ carent appellationibus, vt eas necesse sit transferre aut circumire. etiam in iis quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissimè reuoluit: at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est. At Cicero Latinā nō modò nō inopem, sed & locupletiorē esse scripsit locis quamplurimis. Tusc. 2. Hæc duo, inquit (laborem & dolorem intellige) Græci illi, quorum copiosior est lingua quàm nostra, vno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos, vel potius amantes doloris appellant: nos commodius laboriosos. Aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas Græcia. Atque hæc frequens est Ciceronis multis in libris iactatio. Certè nunquam in tractandis cuiusuis sectæ decretis ei copia verborum defuit, nec splĕdor orationis desideratus est: quin potius ita omnes Stoicorum spinosas disputationes, & minutos aculeos expressit, vt eos verborum copia & elegantia qui cō tulerit, fateatur victos fuisse.

Ego vero quum forensibus operis, laboribus, periculis.

Obiectioni postremæ, quòd præter dignitatem personæ hæc tractet, respondet. Qui locus in Academicis quoque eleganter expositus est. Restat, inquit, vt his respondeam, qui sermonibus huiusmodi nolint personas tam graues illigari: quasi verò clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat, aut ludicros sermones.

Etenim si quodam in libro vere est à nobis philosophia laudata, profectò eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est,&c.

Quid est enim in vita tantopere quærendum,quàm.

Quid his libris persecuturus sit,summatim indicat,suum commendans studium. Docet verò ex collatione nil magis quærendum esse nobis,quàm hanc summi boni explicationem,in qua totius vitæ ratio contineatur,& absoluatur. Nam cæteris in rebus siue prætermissum,siue ignoratum sit quippiam, non plus minúsve incômodi est,quàm quanti quæque earum rerum est,in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur,viuendi rationem ignorari necesse est:ex quo magnus error consequitur. Cognitis autem rerum finibus inuenta vitæ via est, confirmatióque omnium officiorum,vt hic idem author alicubi ait. Et Aristoteles, ἆρ' οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπὴν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος.

Vt autem à facillimis ordiamur,prima veniat in medium.

Argumentum libri primi indicat.in eo enim Epicuri ratio exponitur, quæ omnium facillima est,quòd eius iudicium in sensibus positum sit.quódque qui eã defendũt,in disserendo sint minimè versuti. Ipse enim dicebat Epicurus, Ne argumẽtandum quidem esse de voluptate:vt commoneri nos sufficiat,nihil attineat doceri. Initij autem occasionem captat à L. Torquati persona,cuius ingenium commẽdat: vt in Bruto eum in dicendo eloquentem,in existimando admodum prudentem,toto genere perurbanum,& πολιτικὸν fuisse tradidit. Præterea,Erant,inquit,in eo plurimæ literæ,nec eæ vulgares, sed interiores quædam & reconditæ, diuina memoria,summa verborum & grauitas & elegantia:atque hæc omnia vitæ decorabat grauitas & integritas.De Triario in eodem quoq; libro fit honorifica mentio.

Quem ego arbitror vnum vidisse verum.

Ita solent suum Epicurei Epicurum laudibus vehere. Lucretius,

Tu pater es rerum inuentor,tu patria nobis
Suppeditas præcepta,tuísque ex inclyte chartis
Floriferis vt apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta:
Aurea perpetua semper dignissima vita.
Nam simulac ratio tua cœpit vociferare,
Naturam rerum diuina mente coortam:
Diffugiunt animi terrores,inania mundi
Discedunt,totum video per inane geri res:
Apparet diuûm numen,sedésque quietæ.

Quæ certè verba insolentiæ plena sunt,& vanitatis.

Oratio me istius philosophi non offendit.

De Epicuri dictione apud Laertium hæc referuntur, Κέχρηται δὲ λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν ὅτι ἰδιωτάτη ἐστὶν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιᾶται, σαφὴς δ' ἦν οὕτως, ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς ῥητορικῆς ἀξιοῖ μηδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀπαιτεῖν, id est, vsus est oratione maximè rerum propria:vsqueadeo vt inde reprehensus fuerit ab Aristophane Grammatico nimis affectatæ proprietatis. Ita vero planè & perspicuè quod volebat verbis complecti studebat,vt in Rhetoricis nihil perspicuitate diligẽtius persequendum censuerit. Extant apud Gellium Plutarchi aliquot reprehensiones,quibus Epicuri dictionem ille carpebat,vt inelegantem & inconditam.

Hic mihi Phædrum,inquam,mentitum aut Zenonem.

In veteri codice est, NISI MIHI PHAEDRVM, vt etiam Germanici co-

dices ad marginem adnotatum habent. Fuerunt autem Phædrus & Zeno professione Epicurei. de Zenone sæpe Cicero. Tusc. 3. Solent enim isti negare nos intelligere quid dicat Epicurus. Hoc dicit, & hoc ille Græculus me audiente Athenis senex Zeno istorum acutissimus contendere, & magna voce dicere solebat, & c. Lib. 1. de Nat. Deorum Zenonem, quem Philo noster Coryphæum appellare Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequenter. Inter Epicuri auditores refert Laërtius Zenonem quendam Sidonium Apollodori auditorem, quem ait infinita scripsisse. Item lib. 1. de Nat. Deorum vtriusque fit mentio.

Principio, inquam, in Physicis, quibus maximè gloriatur.

Docet Epicurum in Physicis, aut ab aliis decreta sua eadem accepisse, aut mutata deprauasse. Secutus autem est Epicurus in naturæ explicatione, quanquam id vehementer ipse neget, Democritum, cuius dogmata Cicero recenset, quæ & à Plutarcho iisdem fermè verbis exposita sunt. Ea adscribam, vt cum Ciceronianis conferre possis. Τί γὰρ λέγει Δημόκριτος; οὐσίας ἀπείρους τὸ πλῆθος, ἀτόμους τε καὶ διαφόρους, ἔτι δὲ ἀποίους καὶ ἀπαθεῖς ἐν τῷ κενῷ φέρεσθαι διεσπαρμένας. ὅταν δὲ πελάσωσιν ἀλλήλαις ἢ συμπέσωσιν, ἢ περιπλακῶσι, φαίνεσθαι τῶν ἀθροιζομένων, τὸ μὲν ὕδωρ, τὸ δὲ πῦρ, τὸ δὲ φυτὸν, τὸ δὲ ἄνθρωπον, τά τε ἄθμα οὐδὲ ποτε λῆξαι κινήσεως. Eadem propemodum Laërtius in vita Democriti: & plura Epicurus in epistola ad Herodotum, quæ est apud eundem Laërtium lib. 10.

Tum illud in primis, quòd quum in rerum natura duo.

In omni rerum inuestiganda natura, causarum inquisitio præcipua esse debet: quarum genera alia aliis Philosophis videntur. Stoici genera enumerant duo τὴν ὕλην καὶ τὸ ποιοῦν, quæ minima est omnium quæ ratione nitantur, causarum comprehensio. Improbantur Democritus & Epicurus, quòd alterum genus reliquerint. ita etiam Plutarchus Anaximandrum reprehendens, ἁμαρτάνει οὖν, inquit, τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον ἀναιρῶν, Ergo in eo labitur, inquit, quod de materia differens, causam efficientem neglexerit. & infra contra Anaximenem disputās, ἀδύνατον γὰρ ἀρχὴν μίαν τὴν ὕλην τῶν ὄντων, ἐξ ἧς τὰ πάντα ὑποστῆναι, ἀλλὰ καὶ τὸ ποιοῦν αἴτιον χρὴ ὑποτιθέναι: Nam fieri, inquit, non potest, vt vnicum rerum sit initium materia, ex qua omnes constent, sed vis alia statuatur & causa quæ quicque efficiat, necesse est.

Censet enim eadem illa indiuidua & solida corpora.

Motus duo duntaxat genera agnouit Epicurus: motum ad lineam, & declinationem, id est, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. Quam de motu sententiam versibus persecutus est Lucretius,

Nunc locus est, vt opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi: nullam rem posse sua vi
Corpoream sursum ferri, sursumque meare. Paulo pòst
- Cum deorsum cuncta ferantur.

Atque illud est quod nunc dicit Cicero hunc naturalem motum esse omnium corporum. Sequitur in quo sibi occurrit,

Quod nisi declinare solerent omnia deorsum,
Imbris vti guttæ caderent per inane profundum,
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principiis: ita nil vnquam natura creasset. Deinde pòst,
Quare etiam, atque etiam paulum inclinare necesse est
Corpora, nec plusquam minimum: ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.

Arguit itaque Epicurum, quòd sine causa hanc indiuiduorum corporum declinatio-

neni commentus fuerit: cùm dicant cõstanter Physici τὸ ἀναίτιον ὅλως ἀνύπαρκτον εἶναι: quódque atomis motionem eripuerit rectam: item prætereà quod constituerit minimam inueniri magnitudinem. Quæ omnia magna sunt in Physicis & Mathematicis incommoda & absurda. In lib. de Fato itidem contra hunc Atomorum motum disputat Cicero: qui volet hanc cum illa disputationem conferat..

Si à Polyæno familiari suo Geometriam.

Inter Epicuri familiares annumerat Laërtius Polyænum, quem ait Athenodori filium fuisse, Lampsacenum, virum modestum & amabilem: & Cicero in Academicis de eo inquit, Quid Polyęnus, qui magnus Mathematicus fuisse dicitur? Is post eaquam Epicuro assentiens, totam Geometriam esse falsam credidit, num illa etiam quæ sciebat oblitus est?

Huic bipedalis fortasse: tantum enim esse censet quantus videtur.

Epicurus in epistola ad Pythoclem τὸ δὲ μέγεθος, inquit, ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν, ἡλίκον τοιοῦτον φαίνεται, ἢ μεῖζον τοῦ ὁρωμένου; ἢ ἔλαττον μικρῷ. quod etiam Lucretius his versibus cecinit,

Nec nimio solis maior rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur. Et de luna loquens,
Quicquid id est, nihilo fertur maiore figura
Quàm nostris oculis, quàm cernimus, esse videtur. Et paulo pòst,
Scire licet perquam pauxillo posse minores
Esse, vel exiguo maiores parte breuique.

Causam reddit, quia quæ fulgent & ignita sunt, è quantiscunque spatiis cernantur, nihil contractiora appareant: aut si appareant, certè aut paulo maiora, aut minora videantur.

Imagines, quæ idola nominant, quorum incursione.

Plutarchus, Δημόκριτος καὶ Ἐπίκουρος κατὰ εἰδώλων εἰσκρίσεις ᾤοντο τὸ ὁρατικὸν συμβαίνειν, id est, imaginum incursione arbitrabantur visiones excitari. Quæ opinio pluribus verbis exposita est ab Epicuro in epistola ad Herodotum: inter quæ & hęc posita sunt, δεῖ καὶ νομίζειν, ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν τὰς μορφὰς ὁρᾶν καὶ διανοεῖσθαι, id est, illud etiam tenendum est, nos incursione rei cuiuspiam externæ & videre & cogitare. Quæ nunc dicit τὰ ἔξωθεν non multo ante in eadem epistola appellauit τὰ εἴδωλα, & τὴν ῥεῦσιν ἀπὸ τῶν σωμάτων ἐπιβολῆς, & pòst, τὰς ἀκτῖνας, ἢ οἷα δήποτε ῥεύματα καὶ ὡς τύπους: quæ verba satis indicant quid hic appellet imagines siue idola. De his imaginibus iocatur Cicero cũ C. Cassio Epicureo in quadam epistola ad eundem: Fit enim, inquit, nescio quid, vt quasi coram adesse videare, cùm scribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, vt dicunt tui amici noui, qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam ne te fugiat, Catius insuper Epicureus qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus εἴδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quòd vel iis ipsa occurrunt: animus qui posit, ego non video. Doceas tu me oportebit, cùm saluus veneris, in meáne posit potestate vt sit spectrum tuum, vt simulac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te qui mihi hæres in medullis, sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius εἴδωλον mihi aduolabit ad pectus. Item cum Attico Epistolarum ad eundem lib. 2. Si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videmus, valde laborarent εἴδωλα in angustiis.

Infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est.

Aliâs innumerabilitas. Nonius exponit, quasi sine fine, & indefinitionẽ. Hoc Epicuri dogma de mundorũ infinitate his verbis in epistola ad Herodotũ statuitur, ἀλλὰ

μὴν καὶ κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, οἵθ' ὅμοιοι τούτῳ, οἵτ' ἀνόμοιοι. sequitur ratio, αἵ τε γὰρ ἄτομοι ἄπειροι οὖσαι, ὡς ἄρτι ἀπεδείχθη, φέρονται καὶ πορρωτάτω. οὐ γὰρ κατηνάλωνται αἱ τοιαῦται ἄτομοι, ἐξ ὧν ἂν γένοιτο κόσμος, ἢ ὑφ' ὧν ἂν ποιηθείη, οὔτ' εἰς ἕνα, οὔτ' εἰς πεπερασμένους, οὔθ' ὅσοι τοιοῦτοι, οὔθ' ὅσοι διάφοροι τούτοις. concludit, ὥστε οὐδὲν τὸ ἐμποδίζον ἐστὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν κόσμων, id est, At verò mundi sunt infiniti, siue huic similes, siue dissimiles intelligantur. Nam atomi, quas infinitas esse docuimus, latissimè, longissimeque ferantur necesse est. Neque enim consumuntur eiusmodi tam multæ atomi, cum ex iis vnus fieri aut factus esse mundus dicitur, aut finiti aliquot siue similes, siue diuersi. Quare quod impediat, quo minus infinitio mundorũ sit, nihil est. Lucretius iisdem fermè verbis id docet libro secundo, quæ studiosus lector cum his poterit conferre.

Tamen Democritum laudatum à cæteris, ab hoc qui.

Negabat Epicurus se magistrum habuisse vllum, eóque gloriabatur: ideo quos magistros audierat, eos contemnebat mirificè, varijsque contumeliis vexabat. lib. 1. de Nat. Deorum, Sed tamen cum tãtum Epicuri hortus habuerit licentiæ, etiã soletis queri, Zeno quidẽ litigabat. Quid dicam Albutium? Nam Phædro nihil elegantius, nihil humanius. Sed stomachabatur senex si quid asperius dixeram, quum Epicurus Aristotelẽ cõtumeliosissimè: Phædoni Socratico turpissimè maledixerit: Metrodori sodalis sui fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit: in Democritum ipsum quẽ secutus est, fuerit ingratus. Nausiphanem magistrum suum à quo nihil didicerat, tam malè acceperit. Zeno quidem non solùm eos qui tum erant, Apollodorum, Syllum, cæterósque figebat maledictis, sed Socratem ipsum parentem philosophiæ Latino verbo vtens, scurram Atticum fuisse dicebat: Chrysippum nunquam nisi Cisippã vocabat. Quorum Epicuri conuitiorum meminit Laërtius lib. 10. Platonicos, inquit, Διονυσοκόλακας, Aristotelem ἄσωτον, Democritum Ληρόκριτον, Dialecticos πολυφθόρους appellat. alia dicit, quæ longum esset recensere. Quantum autem debeat Democrito Epicurus, Epicurei Metrodori verba apud Plutarchum testantur, Εἰ μὴ καθηγήσατο Δημόκριτος, οὐκ ἂν προῆλθον Ἐπίκουρος ἐπὶ τὴν σοφίαν. quibus significabat, Nisi præisset Democritus, nunquam ad sapientiam Epicurum aspiraturum fuisse.

Iam in altera philosophiæ parte, quæ est quærendi.

Epicurum Dialecticæ ignarum fuisse docet, partes ei omnes disserendi detrahens. Ignarus autem fuit, non quòd eam addiscere non potuerit, sed quod addiscere noluerit. Hanc enim artem omnem contempsit, eiusque professores maledictis fixit. Rerum iudicia non ad rationem, sed ad sensus referebat, quos esse κριτήρια τῆς ἀληθείας, id est, veritatis incorruptos iudices, volebat: quos refellere nulla ratio poterat. Sic enim ait κυρίαις δόξαις, Εἰ μάχῃ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν, οὐχ ἕξεις, οὐδ' ἃς ἂν φῇς διεψεῦσθαι πρὸς τί ποιούμενος τὴν ἀναγωγὴν κρίνῃς, id est, si tuis diffidas sensibus omnibus, nihil supererit, ne si quidem quosuis mẽtientes affirmaueris, ad quod confugiens iudicare possis. Idem alio loco, οὐδ' ἔστι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι: neq; , inquit, est quicquam quod eorum iudicium reprehendere & conuincere queat.

Confirmat autem illud vel maximè, quòd ipsa.

Ante hæc verba, nonnulla deesse non dubito. Itaque cùm multa diligẽter percurrissem exemplaria, in vnum incidi, in quo pars eorum quæ desunt, erant posita, in hunc modum, IN TERTIA vero parte, quæ est de vita & moribus, in cõstitutione finis nil generosum sapit, atque magnificum. Sed adhuc quædam desiderari verba quæ sequuntur satis indicant: ea enim aptè cum illis non cohærent. Vetus exemplar quo vsi sumus, ea verba quæ dixi, non habebat, vera tamen esse vidẽtur. Docet enim, detractis duabus philosophiæ partibus Epicuro, in tertia quoque

quæ ad mores pertinet,& puerilia tradidisse, eáque aliena, & falsa. Aliena quidem, quòd Aristippi dogmata,à quo Cyrenaici manarunt,probauerit,ac pro suis arripuerit. Illis enim finis bonorũ est voluptas,& malorum dolor: cuius rei causam explicãt, διὰ τὸ ἀπροαιρέτως ἡμᾶς ἐκ παίδων ᾠκειῶσθαι πρὸς αὐτήν, καὶ τυχόντας αὐτῆς μηδὲν ἐπιζητεῖν, μηδὲν τε οὕτω φεύγειν ὡς τὴν ἐναντίαν αὐτῇ ἀλγηδόνα, Quia nos statim à pueris ad voluptatem accommodati simus, idque faciamus etiamnum animis sponte sua agentibus: quam si semel adepti fuerimus,nihil vltra requiramus, quia etiam non aliter dolorem voluptati contrarium declinemus,vt scribit Laërtius. Falsa vero docuisse confirmat,exemplum inducens T. Manlij Torquati,qui multa eáque præclara fecerit,vnde voluptatem consecuturam non speraret,sed honesti tantum habita ratione. Is Torquat⁹ Sulpitio dictatore Tribunus militum Gallum pronocatorem occidit. Torquem ei detraxit,respersumque cruore ceruici suæ induit. Consul bello Latino filium suum,quòd contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Veserim,siue Vesuuium(nihil enim interest) Fluuiũ,Decij collegæ deuotione superauit. Historiam ex Quadrigario A.Gellius descripsit,in suásque Noctes Atticas inseruit lib.3. cap.9. Alterius Torquati historia ex hoc loco satis aperta est.eandem descripsit Valer. Maximus libro. 6.de parentum Seueritate: vbi non Lucius, sed Titus nuncupatur.

Nec mihi illud dixeris: Hæc enim ipsa mihi sunt voluptati.

Tacitam diluit obiectionem, Quod hæc omnia quantumuis periculosa & plena doloris,voluptatis percipiendæ gratia facta fuerint:docens id non conuenienter Epicuri sentẽtiis adferri posse. Nam testificabatur Epicurus,ne intelligere quidem se posse vbi sit,aut quod sit vllum bonum, præter illud quod cibo & potione & aurium delectatione,& obscœna voluptate capiatur:&, Nullas esse animi voluptates, quæ non è corporis voluptatibus nascantur:vt latius lib.2.explicabitur.

Et quòd quæritur sæpe,cur tam multi sunt Epicurei.

Multitudo imperita in voluptates effusa,quia scit se cum voluptate viuere,vt ait Seneca,credit & cum virtute. Audit enim Epicurum clamantem, voluptatem à virtute separari non posse. Alij ingeniosiores suis vitiis sapientiam inscribunt,luxuriam suam in Philosophiæ sinu abscondentes:& eò concurrentes,vbi audiant laudari voluptatem. Huc accedit quòd homo astutus Epicurus,vt ad se multitudinem attraheret,apposita singulis cuiusque moribus loquebatur. Desidiosum vetat literas discere: Auarum populari largitione liberat. Ignauum prohibet accedere ad Remp. Pigrum exercere: Timidum militare. Irreligiosus audit deos nihil curare. Inhumanus & suis seruiens commodis,iubetur nihil cuiquam tribuere:omnia enim sua causa facere sapientem. Fugienti turbam solitudo laudatur. Qui nimium parcus est, discit aqua & polenta vitam posse tolerare. Qui odit vxorem,huic enumerantur cœlibatus bona. Habẽti malos liberos,orbitas prædicatur. Aduersus impios parentes,nullum esse vinculum naturæ:Impatienti ac delicato, dolorem esse omnium malorum maximum dicitur: Forti,etiam in tormentis beatum esse sapientem. Qui claritati ac potentiæ studet,huic præcipitur reges colere. Qui molestiam ferre non potest,huic regiam fugere. Verba non mea sunt,sed Lactantij illius Firmiani, Ciceronis æmuli. Capiuntur enim etiam docti alioqui & boni præclaris Epicuri sententiis, quibus abũdat,sed doctrinæ repugnantibus,vt est in Tusculanis.

Hæc igitur Epicuri non probo,inquam,de cætero vellem.

Conclusio. Deinde sequitur reprehensio,quòd alios à studiis deterruerit. Citat verba Laërtius ex Epistola ad Pythoclẽ, παιδείαν δὲ πᾶσαν φεῦγε τε μακάριοι. Cuius sententiæ meminit quoque Quintilianus lib. Instit. Orator. 12. Nam Epicurus, inquit,in primis nos à se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam nauigatione

quàm velocissima iubet. Quod ait, nauigatione quàm velocissima, suspectum mihi reddit verbũ μακάριοι, in Laërtio: qui certe liber multis in locis deprauatissimus est.

Etenim quasi detractis de homine sensibus.

Hæc verba superuacanea sunt, & è loco quodam cõsequenti, post paginam nimirum integram, huc traducta fuerunt. Quam rem ex veteri quodam manu scripto codice facilè animaduerti. In eo enim non tantum hæc verba erãt adscripta, sed & alia non pauca, ex eodem inferiori loco desumpta. Sic enim illic legitur, NAM ANTE Aristippus, & ille melius. Etenim quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est quid ad naturam aut contra sit, à natura ipsa iudicari, & expetendam, & dolorem ipsum per se esse. Addidisti ad extremum, &c. Nec certè anteà dubitaueram verba illa esse expungenda, quòd nihil ad rem facerent, & iis sublatis integra maneret sententia, in hunc modũ: NAM ANTE ARISTIPPVS, & ille melius. Addidisti ad extremum etiam indoctum fuisse. Librarij vt accommodarent verba ea, alij aliter atque aliter mutauerant. Est autem hæc repetitio eorum quæ contra Epicurum conclusa sunt. Nihil Epicurus defendit, & intelligit eorum quæ vera sunt & sincera Philosophiæ decreta: in Physicis quæ ab aliis mutuatus est, corrupit: differendi artem nullam tenuit: in disciplina de moribus cùm in explicatione summi boni aberrauerit, rationem viuendi omnem peruertit. Huc accedat, quòd ingenuarum disciplinarum & libero homine dignarum ignarus fuerit. non mirum itaque si è choro Philosophorum sublatus fuerit. Paulò supra vbi codices excusi habent, NISI TE QVOQVE vt id modo loqueretur, manu scriptus habet, NISI TE quoque vt modo loqueretur. Basiliensis, NISI TE quoquomodo loqueretur, quæ vera lectio videtur.

Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones.

Contentiosi homines inter disputandum si quod minimè velint concludatur, & id refellere non possint, ad contumelias & iracundias solent cõfugere: quod à Philosophorum moribus alienum esse constat. Reprehensiones enim in philosophia vtiles sunt ad veri inuestigationem: sed ita qui disserunt, affecti esse debent, vt refellere sine pertinacia & refelli sine iracundia parati sint: qualem se M. Tullius esse profitetur Tuscul. 2. Sic & Socrates in Gorgia Platonis, Ἐγὼ δὲ, inquit, τίνων εἰμί; τῶν ἡδέως μὲν ἂν ἐλεγχθέντων, εἴ τι μὴ ἀληθὲς λέγοιμι. ἡδέως δ' ἂν ἐλεγξάντων, εἴ τις τι μὴ ἀληθὲς λέγει. Sed quorũ, inquit, in numero sum reponendus? profectò in eorum sum, qui tam refelli parati sunt, si quid falsi dixerim: quàm in eorũ, qui refellere, si quid quod verum non sit, profari aliquẽ audiuerim. PRO DISSERENTIVM, in veteri codice est, DISSENTIENTIVM.

Primum igitur, inquit, sic agam, vt ipsi authori huius.

Epicurus definiri rem placere negabat: diligenter tamen oportere exprimi quę res subiecta esset vocibus dicebat. Quærit igitur initio Torquatus non summi boni definitionem, sed qua in re illud extremum sit collocandum: tametsi interim finis adferat definitionem, quò omnia referri oporteat, quod Græci dicunt ἐφ' ὃ πάντα ἀναφέρεται, vel, vt Aristoteles, οὗ πάντα ἐφίεται. Huius autem finis bonorum & malorum fontem inuestigat ab animantium primo ortu, quærens in quo sint prima naturæ inuitamenta: & docet ea esse in voluptate posita: deinde omnes eius causa honesti partes comparatas esse probat.

Idque instituit docere sic: Omne animal simul atque natum sit.

Rationem Epicuri Laërtius his verbis refert, ἀποδείξει δὲ χρῆται τοῦ τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν, τῷ τὰ ζῷα ἅμα τῷ γεννηθῆναι, τὴν μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς, καὶ χωρὶς λόγου. αὐτοπαθῶς οὖν φεύγομεν τὴν ἀλγηδόνα. Quæ verba nunc Ci-

cero trāsfert. Sed quod dixit φυσικῶς, id pluribus verbis exposuit Cicero, idque facere nondum deprauatum, ipsa natura incorruptè atque integrè iudicante: & quod ἄνευ λόγου, negat opus esse ratione, neque disputatione: nimirum ad illos suos veritatis incorruptos, vt ait, iudices sensus, vult iudicium referri omne. Fallitur Epicurus. Nam non vt voluptatem expetat, natura monet infantem, sed tantum vt integrum se saluumque velit: partésque suas amplectatur, vt eas agnoscens discernere incipiat, vt ea quæ prima data sunt natura, vnde fluat omnis ratio bonorum, appetat, asperneturq; contraria. Præterea meliore nostri parte summum bonum iudicatur, quæ in paruis nondum satis processit, vt quid summum sit intelligat. Satis est, si initia teneat, in quibus quid natura velit appareat: apparet autem in prima sui charitate naturę absolutionem, quæ in virtute sita est, expeti.

Interesse enim inter argumentum conclusionemq; rationis.

Animaduersio siue admonitio est, cùm rem aliquam oculis aut quouis sensu corporis sine animi contentione percipimus. ea αἴσθησις siue πάθημα Græcis dicitur. Argumentum siue conclusio rationis est, cùm certis & exquisitis rationibus quicquam confirmatur: & ἀπόδειξις dicitur. Priori, quam mihi aliàs ἐπιλογισμὸν dicere videtur, in summi boni explicatione semper vsus est Epicurus: Posteriori opus esse ad hanc rem negauit. Quod si sensibus, quos omnium rerum iudices facit, denegetur fides, iam nihil vult superesse quo confirmare aliquid possis. Propterea, natura dictāte in paruulorum sensu de fine bonorum & malorum omne iudicium positum esse asseruit. Post ea verba, A natura ipsa iudicari, nonnulli codices habēt prętere, VOLVPTATEM & per se expetendam esse, & dolorem ipsum per se esse fugiendum, quæ vir doctissimus Camerarius subditita putat: & certè in veteri codice quo vsi sumus, non reperiuntur: tametsi in eo loco quem hinc traductum superius dixi, eius lectionis vestigia appareant. Ita enim legebatur, IVDICARI & expetendam, & dolorem ipsum per se esse. Quod etiam nostram confirmat de traductis verbis sententiam.

Sunt autem quidam è nostris qui hæc subtilius velint.

Opponit alteram atque tertiam, sed suorum, firmiorem de recta bonorum & malorum finis constitutione sententiam. Quorum alij præter sensus, etiam rationis & animi inquirendum de hoc quæstionis genere iudicium existimauerunt: fieri ęnim posse vt sensus fallantur. Alij non modò quid sua sponte aut sensus aut animi iudicium comprobet, videndum esse censuerunt: sed & rationibus firmis & accuratis de voluptate & dolore disputandum esse. Eam sententiam Cyrenaici voluptatis etiam assertores tenuisse videntur, qui, vt est apud Plutarchum, τὰ πάθη καὶ τὰς φαντασίας ἐν αὑτοῖς τιθέντες οὐκ ᾤοντο τὴν ἀπὸ τούτων πίστιν εἶναι διαρκῆ πρὸς τὰς τῶν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων καταβεβαιώσεις, id est, permotiones & visiones, quas in se ipsi habebant, negabant satis esse firmas ad rerum confirmationē & cōprobationem. Ait tamen Cicero in Academicis, eos præter permotiones intimas nihil putasse esse iudicij.

Sed vt perspiciatis vnde omnis iste natus sit error.

Hic locus ab Epicuro tractatur, & in Epistola quam scripsit Μενοικεῖ, & in libello περὶ αἱρέσεων καὶ φυγῶν. Verba eius sunt, οὐδεμία καθ' ἑαυτὴν ἡδονὴ κακόν, ἀλλὰ τά τινων ἡδονῶν ποιητικὰ πολλαπλασίους ἐπιφέρει τὰς ὀχλήσεις τῶν ἡδονῶν. Et in Epistola, καὶ ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο καὶ σύμφυτον, διὰ τοῦτο καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται. καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. πᾶσα οὖν ἡδονὴ διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν, ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι αἱρετή. καθάπερ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα κακόν, οὐ πᾶσα δὲ ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα. τῷ μέντοι συμμετρήσει καὶ συμφερόντων καὶ ἀσυμφόρων βλέψει ταῦτα πάντα κρίνειν καθήκει. χρώ-

μεθα γὰρ τῷ μὴ ἀγαθῷ κατά τινας χρόνους ὡς κακῷ, τῷ δὲ κακῷ τὸ ἔμπαλιν ὡς ἀγαθῷ. Hos locos eleganter hic Cicero in vsum suum conuertit, & verbis perspicuis ac significãtibus explicat.

Temporibus autem quibusdam, & aut officiis debitis.

Huc pertinẽt quę citatur ex Metrodoro apud Plutarchum, πολλάκις προσεπτύσαμεν ταῖς τοῦ σώματος ἡδοναῖς. Et ibidem ex Epicuro, γελᾶν ταῖς ὑπερβολαῖς τῆς περὶ τὸ σῶμα νοσήματος πολλάκις κάμνοντα τὸν σοφόν.

Hanc ego quum teneam sententiam, quid est cur.

Accommodat Torquatus Torquatorum exempla. paulo antè contra Epicurum prolata, ad suum institutum: docens eos omnia voluptatis gratia fecisse, aut certè nõ virtutem spectasse, vt eò facta referrent: sed Torquem detractum fuisse, ad detrahẽtis conseruationem pericula inita fuisse, ad laudem & charitatem exercitus acquirẽdam: filium interemptum, vt pater milites per animaduersionis huius signũ in bello contineret, itaque suos conseruaret, in quibus suę sa utis fiducia erat quoque posita. NEC ME TAMEN laudandis maioribus meis corrupisti. Manu scriptus codex habet, CORRIPVISTI, quod etiã Germani adnotarunt. vulgata tamẽ lectio vera videtur. Libro enim secundo, vbi quæ hic confirmantur, refelluntur, huius loci ita mentio fit, Delector enim quanquam re non possum, vt ais, corrumpere, delector, inquam, & familia vestra &c. ITAQVE TVRBENTVR, alij TVRBENT, quod probat Camerarius: sicque habet manu scriptus codex.

Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quæ.

Illud ipsum est, quod ait Epicurus in ea quam diximus Epistola, ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονάς, ὥς τινες ἀγνοοῦντες, καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες, ἢ κακῶς ἐκδεχόμενοι νομίζουσιν, ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν. Est autem locus iste contra Cyrenaicos, qui dum voluptatem summum bonum definiunt, eam duntaxat quæ in motu est intelligunt. quam sic eorum magister Aristippus definiuit, ἐστὶν ἡ ἡδονή, ἡ λεία κίνησις, εἰς αἴσθησιν ἀναδιδομένη, quam Epicurus luxuriosorum voluptatem nuncupat: & Cicero hoc loco vertit eam definitionem, Quę suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cũ iucunditate quadã percipitur sensibus. Prætereà quod Epicurus hoc loco μήτε ἀλγεῖν μήτε ταράττεσθαι, alias dicit, ὅταν τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, quod Cice. vertit, omni dolore detracto.

Nam quoniam quum priuamur dolore, ipsa liberatione.

Doloris detractionem, ratiocinatione colligit maximam esse voluptatem: quæ confirmatio est eius quod modò dicebar. Similis est disputatio apud Platonem libro de Repub. nono, & in Philebo. siue inde ad suum institutum trãstulerit Epicurus: siue ad Epicurei dogmatis exornationem assumpserit Cic. Verba proferre quæ illic ea de re scripta sunt, longum esset. Pauca subiiciemus, vnde id intelligi possit. In Philebo quærit Socrates, πότερον οὖν χαίρειν οἴονται τότε ὅταν μὴ λυπῶνται; respondet Protarchus, φασὶ γοῦν. paulo pòst, λύπην μὲν κακὸν τοῖς ἀνθρώποις, τὴν δ' ἀπαλλαγὴν τῶν λυπῶν, αὐτὸ τοῦτ' ἀγαθὸν ὄν. paulo infra, λυπῶν ταύτας εἶναι πάσας ἀποφυγάς, ἃς νῦν οἱ περὶ Φίληβον ἡδονὰς ἐπονομάζουσιν. Et in Politia. λέγε δή, ἦν δ' ἐγώ, οὐκ ἐναντίον φαμὲν λύπην ἡδονῇ; καὶ μάλα. οὐκοῦν καὶ τὸ μήτε χαίρειν, μήτε λυπεῖσθαι εἶναί τι; εἶναι μὲν δή. μεταξὺ τούτοιν ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ὂν ἡσυχίαν τινὰ περὶ ταῦτα τῆς ψυχῆς, ἢ οὐχ οὕτως αὐτὸ λέγεις; οὕτως, ἦ δ' ὅς. & paulo pòst, ἴδε δή, ἔφην ἐγώ, ἡδονάς, αἳ οὐκ ἐκ λυπῶν εἰσίν, ἵνα μὴ πολλάκις οἰηθῇς ἐν τῷ παρόντι οὕτω τοῦτο πεφυκέναι, ἡδονὴν μὲν παῦλαν λύπης εἶναι, λύπην δὲ ἡδονῆς. Horum verborum sensus est ex Cicerone notus.

Itaque non placuit Epicuro medium esse quiddam inter voluptatẽ.

Cyrenaici summum bonum in voluptate constituerunt. constituit & Epicurus

sed voluptatem aliter, quàm illi fecerunt, hic interpretatus est. Non admittũt enim voluptatem, nisi eam quæ in motu consistat, quemadmodum & dolorem. mediã verò constituunt ἀοχλησίαν, ἀηδονίαν siue ἀλυπίαν: sed eam Epicurus quam faciunt mediam constitutionem, voluptatem etiam maximam appellat, eamque nominat καταστηματικὴν ἡδονὴν, id est, stabilem voluptatem. In libris Aphrodisiensis Alexãdri ἀπορειῶν καὶ λύσεων caput est, quo docet πῶς σώζεσθαι τὸ εἶναί τι μεταξὺ ἡδονῆς καὶ λύπης. lib. 4. cap. 14. QVOD QVIBVSDAM medium videtur quum omni dolore caret. Vetus codex habet, QVOD QVIBVSDAM medium videtur omni dolore careret: si pro careret, carere legas, ea vera lectio esse videbitur: QVOD quibusdam medium videtur, omni dolore carere.

Omni autem priuatione doloris putat Epicurus.

Eius verba sunt, ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. & alio loco, οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκὶ, ἐπειδὰν ἅπαξ τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, ἀλλὰ μόνον ποικίλλεται. Cuius etiã meminit lib. 2 huius operis, & Tusculanarũ quæst. lib. 3. At idem, inquit, ait non crescere voluptatẽ dolore detracto, summamq; voluptatem, nihil dolere. Verba ea Epicuri παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος exagitauit Plutarchus, vt parum propria: qua de re Gellius lib 11. cap. 9. Eadem ipsa indicant, hic pro, OMNI AVTEM priuatione doloris, legendũ esse, OMNIS AVTEM priuatione doloris.

At etiam Athenis, vt è patre audiebam, facete.

Huius statuæ meminit Laërtius, è cuius forma Chrysippum tenui corpusculo fuisse colligit. Et Plutarchus quendam refert Aristocreontem familiarem & discipulum Chrysippi, hanc æneam præceptori suo statuam erexisse, istúdque Epigramma incidi iussisse,

Τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε,
Τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Cæterum Chrysippi rogatiunculam, quæ contra Epicuri sententiam facere videbatur, artificiose reiicit in Cyrenaicos, qui solùm, vt dixi, motum illum iucundum & suauem nomine voluptatis intelligebant.

Extremum autem esse bonorum voluptatem ex hoc facillimè.

Aliud argumenti initium, quod per cõparationem beati & miseri tractatur. vbi congesta sunt quæcunque ab Epicureis sapienti, quem sibi fingunt, attribuuntur: & contrà, quæcunque insipienti. Fingunt enim sibi μακάριον τὸν ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντα μετὰ ἀφθαρσίας, τὸν μήτε ἀλγοῦντα κατὰ σῶμα, μήτε ταραττόμενον κατὰ ψυχὴν, τὸν ἀθορύβως ζῶντα, καὶ περὶ θανάτου διὰ παντὸς ἀφόβως ἔχοντα, τὸν μνημονεύοντα ἐναργῶς, καὶ συνέχοντα ἐν αὐτῷ τὰ περὶ τὰς ἡδονὰς φάσματα, καὶ πάθη, καὶ κινήσεις. quæ & alia huc congessit Cicero.

Quod mors sensu careat, dolor in longinquitate.

Epistola μενοικεῖ hoc continet, συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον, ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει, στέρησις δὲ ἐστιν αἰσθήσεως ὁ θάνατος. Quę sequuntur apud Ciceronem, remedia sunt quæ contra dolorem adhibet Epicurus. de quibus in Tusculanis disputatur, Audiamus, Si summus dolor est, inquit, breuem esse necesse est. Græca refert Plutarchus alicubi, οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν. Sed de his plura lib. 2. NVLLA PRAETERITA, nec pręsenti, in veteri codice scriptũ est, NVLLA PRAETEREA nec pręsenti, & ita codices Germanorum adnotatum habent. Quam veram esse lectionem fatebitur, qui hunc locum lib. secundo repetitũ legerit. sic enim habet, AT QVAM pulchrè dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plus-

mis & maximis voluptatibus, nullo nec præsenti, nec futuro dolore: ex altera autem cruciatibus maximis toto corpore nulla nec adiuncta nec sperata voluptate. Vides nihil illic de præterito dici, quare pro PRAETERITA, PRAETEREA legamus.

Cui sententiæ consentaneum est, vltimum esse bonorum.

Est & hæc sententia in Epistola ad Menœceum, πέρας, inquit, τῶν ἀγαθῶν τὸ ἡδέως ζῆν. & paulo pòst, ἐπεὶ τοῦτο τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστὶ τέλος. sequuntur reliqua, τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν, ὅπως μήτε ἀλγῶμεν, μήτε ταρβῶμεν. ὅταν δὲ ἅπαξ, τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πᾶς ὁ τῆς ψυχῆς χειμών, οὐκ ἔχοντος τοῦ ζώου βαδίζειν ὡς πρὸς ἐνδέον τι, καὶ ζητεῖν ἕτερον, ὧν τὸ τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληρωθήσεται. & mox, καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἡδονὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν. ταύτην γὰρ ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν ἔγνωμεν, καὶ ἀπὸ ταύτης καταρχόμεθα αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν, ὡς κανόνι τῷ πάθει πᾶν ἀγαθὸν κρίνοντες. Et Metrodorus Epicuri discipulus ac familiaris ait referente Plutarcho, πάντα καλὰ καὶ σοφὰ ἐξευρήματα τῆς περὶ γαστέρα ἡδονῆς ἕνεκα γεγενῆσθαι, καὶ τῆς ὑπὲρ ταύτης ἐλπίδος ἀγαθῆς. Quæ vtriusque verba diligens lector cum Ciceronianis facilè accommodabit. QVONIAM AVTEM id est vel summum bonorum, vel vltimum: superuacaneum videtur verbū, BONORVM, quod nec habet manu scriptus codex.

Id qui in vna virtute ponunt, & splendore nominis capti.

Quatuor virtutibus honestum omne perficitur. Singulatim itaque docet vnamquanque voluptate terminari atque definiri debere, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam. De honesto autem ad voluptatem referendo sic Epicurus ἐν τῷ περὶ τέλους, vt est apud Athenæum, Τιμητέον, inquit, τὸ καλὸν, καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ· ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον. & alio loco, προσπτύω τῷ καλῷ καὶ τοῖς κενῶς αὐτὸ θαυμάζουσιν, ὅταν μηδεμίαν ἡδονὴν ποιῇ.

Vt enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonæ.

Sapientiam siue prudentiam voluptatis gratia comparandam esse docet. Explicat autem Epicurus in ea Epistola quam de moribus scripsit ad Menœceum, quid emolumenti prudentia ac sapientia adferat: quæ attigit hic Cicero, οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι συνείροντες, οὐδ' ἀπολαύσεις παίδων καὶ γυναικῶν, οὐδ' ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων ἀφ' ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος, τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν φρόνησις. διὸ καὶ φιλοσοφίας τιμιώτερον ὑπάρχει φρόνησις, ἐξ ἧς αἱ λοιπαὶ πεφύκασιν ἀρεταί. Neque enim compotationes, aut conuiuia, neque puerorum & mulierum congressus voluptarij, neque piscium lautitiæ, aut alioquí pretiosis rebus onusta mensa, suauem & dulcem efficiunt vitam: sed bene sanorum consilium atque ratio, quæ & appetēdi ac refugiēdi caussas omnes inuestiget excutiatque, & opinionum temeritatem, vnde sæpissimè animi conturbantur, diripiat. Quorum omnium initium in prudentia, qua maius bonum nullum est, collocatur: ideoq; philosophiæ pars nulla est honore & pretio maiore dignior, quàm prudentia. Plura videre licet apud Laërtium lib. 10.

Cupiditates enim sunt insatiabiles, quæ non modo.

Graues dominæ cogitationum, inquit M. Tullius, lib. de Repub. libidines infinita quædam cogunt atque imperant: quæ quia expleri nec satiari vllo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur. Quæ sint eæ cupiditates siue libidines, Epicurus his verbis indicat, τῶν ἐπιθυμιῶν ὅσαι μὴ ἐπὶ τὸ μὴ ἀλγεῖν ἐπανάγουσιν, ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, οὐκ εἰσὶν ἀναγκαῖαι, ἀλλ' εὐδιάχυτον τὴν ὄρεξιν ἔχουσιν, ὅταν δυσπόριστοι, ἢ βλάβης ἀπεργαστικαὶ δόξωσιν εἶναι. Quæ, inquit,

cupiditates, nisi expleantur, ad dolorem non referuntur, eæ non sunt necessariæ, sed insatiabilem semper relinquunt appetitionem, cum aut opera multa & impensa expleri, aut detrimenta afferre quamplurima posse existimantur. Ἐπιθυμίᾳ comitantur σπάνις, μῖσος, φιλονεικία, ὀργὴ, ἔρως, μῆνις, & θυμός: vt Cicero ait, Ex cupiditatib⁹ odia, dissidia, discordias, seditiones, bella nasci.

Vt sapiens solum amputata circuncisaque inanitate omni.

Sic docet Epicurus, Corporis appetitiones & cupiditates insatiabiles esse, & exitum nullum reperire: at prudentis rationem, consilium & mentem hanc corporis infinitatem circūcidere, motus sempiternos auertere, & vitam inducere omnibus suis partibus absolutam & perfectam. ἡ μὲν σὰρξ, inquit, ἀπέλαβε τὰ πέρατα τῆς ἡδονῆς ἄπειρα, καὶ ἄπειρος αὐτὴν χρόνος παρεσκεύασεν. ἡ δὲ διάνοια τοῦ τῆς σαρκὸς τέλους, καὶ πέρατος λαβοῦσα τὸν ἐπιλογισμὸν, καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ αἰῶνος φόβους ἐκλύσασα, τὸν παντελῆ βίον παρεσκεύασε. Et in Epistola ad Menœceum, τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος, καὶ περὶ θανάτου διὰ παντὸς ἀφόβως ἔχοντος, καὶ τὸ τῆς φύσιος ἐπιλελογισμένον τέλος, καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας, ὡς ἐστιν εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον διαλαμβάνοντος; Quem inquit, præstabiliorem existimes eo qui & de diis bene sanctèque sentiat, nec mortem omnino timeat, & naturæ perspectis & cognitis finibus, itemque bonorum extremo, quàm non multa opera nec impensa ea expleātur, teneat? Huc pertinet eiusdē κυρία δόξα, id est, selecta Epicuri sentētia, εἰ μὴ παρὰ πάντα καιρὸν ἐπανοίσεις ἕκαστον τῶν πραττομένων ἐπὶ τὸ τέλος τῆς φύσεως, ἀλλὰ προκαταστρέψεις εἴτε φυγὴν, εἴτε δίωξιν ποιούμενος εἰς ἄλλο τι, οὐκ ἔσονταί σοι τοῖς λόγοις αἱ πράξεις ἀκόλουθοι. Si, inquit, ad naturæ fines quicquid agas non retuleris, sed eò dementiæ ac peruersitatis veneris vt quod declines, quodque persequaris, ad rem aliam accommodes, non iam verbis tuis tua facta respondebunt: id est, nō iā quod verbis sequi profiteris, nactus eris: nimirum sine ægritudine & sine metu non viues, vt hic ait Cicero.

Quæ est enim aut vtilior partitio, aut ad bene viuendum.

Tuscul. 5. Vides, credo, vt Epicurus cupiditatum genera diuisit, non nimis fortasse subtiliter, vtiliter tamen, partim esse naturales & necessarias, partim naturales & non necessarias, partim neutrum. Necessarias satiari posse pene nihilo. Diuitias enim naturæ parabiles esse. Secundum autem genus cupiditatum, neque ad potiendum difficile esse censet, nec verò ad carendum. Tertias quòd essent planè inanes, neque necessitatem modò, sed ne naturam quidem attingerent, funditus eiiciendas putauit. τῶν ἐπιθυμιῶν, inquit, αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ καὶ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι. Paulo supra in eodem libro, ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται, καὶ εὐπόριστός ἐστιν, ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει. & alio loco, τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι, τὸ δὲ κενὸν δυσπόριστον. quod & versibus quidam Atheneus persecutus est,

Ἄνθρωποι μοχθεῖτε τὰ χείρονα, καὶ διὰ κέρδος
Ἄπληστοι, νικέων ἄρχεται καὶ πολέμων.
Τῆς φύσιος δ' ὁ πλοῦτος ὅρον τινὰ βαιὸν ἐπίσχει,
Αἱ δὲ κεναὶ κρίσιες τὰν ἀπέραντον ὁδόν.
Τοῦτο Νεοκλῆος πινυτὸν τέκος, ἢ παρὰ Μουσῶν
Ἔκλυεν, ἢ Πυθοῦς ἐξ ἱερῶν τριπόδων.

OMNES DOCEAT VIAS, in veteri codice est, OMNES monstret vias, vt etiam Germani se reperisse significarunt.

Eademque ratione ne temperantiam quidem propter.

Honesti secunda pars est temperantia, siue continētia, siue temperatio, siue modestia: eam quoque probat ad voluptatem referri debere. Quod autem ait, temperantiam esse quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis vt rationem sequamur monet, attingit Platonis definitiones, quibus σωφροσύνην & ἐγκράτειαν explicat. σωφροσύνη, inquit, καθ' ἣν ὁ ἔχων κόσμιος ἐστὶ καὶ ἀνεπιθύμητος ... & ἐγκράτεια, ἀκρασία ... τῷ ὀρθῷ λογισμῷ. Quod sequitur de iudicando, & in eo stando quod sit iudicatum, pertinet ad discrimē ἐγκρατοῦς καὶ σώφρονος, quod multis verbis explicuit Aristoteles. Vult enim eos dici ἀκρατεῖς & ἐγκρατεῖς, quorum animus secum ipse dissidens atque discordans, cupiditates aut refugit aut assequitur. Nam ἐγκρατής, vt ait, τὰ φαῦλ' ὄντα κρίνει καὶ τὰ καλά, καὶ μαχόμενος μὲν, ἐμμενετικὸς δὲ τῇ δόξῃ ἢ λογισμῷ πάσχεται. Contra ἀκρατὰς καὶ ... ὅτι φαῦλα, ὅμως ταῦτα πράττει. Qui verò suas appetitiones rationi obœdientes iā effecit, aut contrà suis appetitionibus rationem, is σώφρων vel ἄφρων dicitur.

Eadem fortitudinis ratio reperietur.

Tertia honesti forma est magnanimitas seu fortitudo, quā & ad voluptatē referēdā esse docet, quod ea efficiat vt sine molestia possimus sineq; metu viuere. Ea aūt ἀνδρία dicitur, eiúsque cōplexu continentur ἀτολμία, εὐψυχία, φιλοπονία, ἡ καρτερία. quas omnes attingit Cicero, & earū definitiones: ... λύπης, ... πόνων, καὶ καθ' ἣν ἀναλλακτοί εἰσιν ἀπὸ φόβου τῶν περὶ θάνατον, ἕξις ψυχῆς ἀκίνητος ... φόβων, sed addunt alij philosophi ἕνεκα τοῦ καλοῦ, quod minimè vult Epicurus, qui ex omnibus virtutibus & officiis voluptatem quasi mercedem exigit. De morte contemnenda plura Menœceo scripsit, docens nihil eam ad nos pertinere, quod ea sit sensus omnis priuatio: & quicquid aut bonum aut malum dicitur, in sensu sit. Eos autē reprehēdit qui non ob id eā timēt, quod dum aderit, molesta erit: sed qui quod adfutura sit ægre ferūt: eis opponēs, ὃ γὰρ παρὸν οὐκ ἐνοχλεῖ, τὸ δὲ προσδοκώμενον κενῶς λυπεῖ. Quod ait Cicero eos qui morte affecti sunt, in eadem causa esse, qua antequam nati erant, id Plutarchus sic alicubi extulit, εἰς τὴν αὐτὴν τάξιν οἱ τελευτήσαντες καθίσανται τῇ πρὸ τῆς γενέσεως. Quod ille causam, hic τάξιν nominat.

Aequo animo è vita tanquam è theatro exeamus.

Vult Epicurus ne tum quidem sapientem suum voluptate carere, cùm è vita exeūdum est. Non enim temporis longinquitate voluptatem metiebatur, sed voluptatis magnitudine. Vt, inquit, non cibus copiosissimus, sed suauissimus exquiritur: ita etiā non longissimus vitæ cursus expetendus est, sed iucundissimus assequendus. ὥσπερ δὲ τὸ σιτίον οὐ τὸ πλεῖον πάντως, ἀλλὰ τὸ ἥδιον αἱρεῖται, οὕτω καὶ χρόνον οὐ τὸν μήκιστον, ἀλλὰ τὸν ἥδιστον καρπίζεται. Itaque ait in suis illis selectis sententiis, ἀλλ' οὔτε ἔφυγε τὴν ἡδονὴν, οὐδ' ἡνίκα τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν τὰ πράγματα παρεσκεύαζεν, ὡς ἐλλείπουσά τι τοῦ ἀρίστου βίου κατέστρεψεν. Vt igitur è theatro licet exeamus, cùm quid aut videmus aut audimus quod minus placet: sic Epicurus vult suum sapientem, tum è vita discedere, cùm aut nulla dantur interualla requietis à doloribus, aut tolerabiles non adsunt dolores. Sanctius Plato, qui iubet vt nisi voluerit summus ille Imperator noster Deus, ex hac vita nunquam discedamus.

Iustitia restat, vt de omni virtute sit dictum.

Quartum honesti genus, Iustitia, quam cum voluptate coniunctam, vt cæteras virtutes probat. quod Epicurus συμπεφύκασιν, inquit, αἱ ἀρεταὶ τῷ ζῆν ἡδέως, καὶ τὸ ζῆν ἡδέως τούτων ἐστὶν ἀχώριστον. Vult autem Iustitiam non propter se, sed vt animi tranquillentur, id est, vt voluptas percipiatur, expeti: & iniustitiam itidem ideo declinari, quod animum excruciet. ὁ δίκαιος, inquit, ἀταρακτότατος, ὁ δ' ἄδικος πλείστης ταραχῆς

ἀρχῆς γάμων. Ita vult ius omne eò referri, vt commoditas inde aliqua & vtilitas capiatur. τὸ τῆς φύσεως δίκαιον, inquit, σύμβολον τοῦ συμφέροντος εἰς τὸ μὴ βλάπτειν ἀλλήλους, μηδὲ βλάπτεσθαι. Et κυρίαις δόξαις, οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς καθ' ὁπηλίκους δή ποτε ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν ἢ βλάπτεσθαι.

Tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura.

Similis forma loquendi est in lib. Officiorum 1. Ducuntur enim aut beneuolētia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe sibi id vtile futurum, aut metu. Quam etiam adnotauit Erasmus, vt minus vsitatam. Quod sequitur, ET SI VERO molita quippiam est, in aliis sic legitur, ET SI VERO impietas molita quippiā est. Est aūt hæc de selectis Epicuri sentētiis sentētia assumpta. ἡ ἀδικία, inquit, οὐ καθ' ἑαυτὴν κακόν, ἀλλ' ἐν τῷ κατὰ τὴν ὑποψίαν φόβῳ, εἰ μὴ λήσει ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐφεστηκότας κολαστάς. Deinde sequitur, οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὧν συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν καὶ βλάπτεσθαι, πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ. μέχρι γὰρ καταστροφῆς, ἄδηλον εἰ καὶ λήσει. Quam sententiam sic Plutarchus retulit, τοὺς δὲ ἀδικοῦντας καὶ παρανομοῦντας ἀθλίως φασὶ καὶ περιφόβως ζῆν τὸν πάντα χρόνον. ὅτι κἂν λαθεῖν δύνωνται, πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν ἀδύνατόν ἐστιν. ὅθεν ὁ τοῦ μέλλοντος ἀεὶ φόβος ἐγκείμενος οὐκ ἐᾷ χαίρειν, οὐδὲ θαρρεῖν ἐπὶ τοῖς παροῦσι. Qui, inquit, in alios iniurii ac iniqui sunt, eos in miseria magnoque metu noctesq; diesque uiuere aiunt. quòd, si etiam latere possint, nunquam tamen confidere possint id fore semper occultum. Ita eius quod futurum expectāt metu sic exeduntur, vt neque lætari rebus præsentibus, neque confidere possint.

Quòd si quis satis opibus hominum sibi contra conscientiam.

Germanici codices, QVOD SI QVI satis opibus sibi contra hominū conscientiam. In veteri, deest verbum OPIBVS, in hunc modū, QVOD SI QVI SATIS hominū sibi contra cōscientiam septi esse videtur. Et quod vno verbo hic habet SEPTI, alij, SEPTI & muniti. Ait Epicurus κυρίαις δόξαις, οὐθὲν ὄφελος ἦν τὴν κατ' ἀνθρώπους ἀσφάλειαν κατασκευάζεσθαι, τῶν ἄνωθεν ὑπόπτων καθεστώτων, καὶ τῶν ὑπὸ γῆς, καὶ ἁπλῶς τῶν ἐν τῷ ἀπείρῳ. Deinde subdit, τῆς ἀσφαλείας τῆς ἐξ ἀνθρώπων γινομένης μέχρι τινὸς, δυνάμει τινὶ ἐξερειστικῇ καὶ εὐπορίᾳ εἰλικρινεστάτη, γίνεται ἡ ἐκ τῆς ἡσυχίας καὶ ἐκχωρήσεως τῶν πολλῶν ἀσφάλεια. Nihil, inquit, profuerit hominum opibus septum esse atque munitum, si de superis rebus, deque inferis, & omnino de iis quæ in infinito inani feruntur, suspitio animum excrutiet & solicitet. Quæ verba vulgatam confirmare videntur lectionē. Quod paulo pòst sequitur, ET OPES, vel fortunæ, vel ingenij, sic in veteri legitur, ET OPES vel fortunę, vel ingenia, quod etiam adnotarunt Germani. Vt ingeniorum nomine virtutes animi intelligi, docilitatē, memoriam &c. quas ait lib. 5. omnes appellari vno ingenij nomine. Vt etiam opū nomine & fortunarum, tum corporis, tum externa bona.

Quæ enim cupiditates à natura profectæ sunt.

Tria genera cupiditatum ex Epicuri sententia supra exposuit. Primū, naturales & necessarias: Secundum, naturales & non necessarias: Tertium, nec naturales, nec necessarias. φυσικὰς καὶ ἀναγκαίας ἡγεῖται ὁ Ἐπίκουρος, inquit Laertius, τὰς ἀλγηδόνας ἀπολυούσας, ὡς ποτὸν ἐπὶ δίψους. φυσικὰς δὲ καὶ οὐκ ἀναγκαίας, τὰς ποικιλλούσας μόνον τὴν ἡδονὴν, μὴ ὑπεξαιρουμένας δὲ τὸ ἄλγημα, ὡς πολυτελῆ σιτία. οὔτε δὲ φυσικὰς οὔτε ἀναγκαίας, ὡς στεφάνους, καὶ ἀνδριάντων ἀναθέσεις. Naturales, inquit,

& necessarias cupiditates eas existimat Epicurus, quæ dolores amouent, vt quũ sitiens bibit. Naturales & non necessarias, quæ varietatem voluptatis quandam tantũ faciunt, non etiam dolorem detrahunt, quales sunt pretiosi cibi. Nec naturales nec necessarias, vt sunt coronæ, & erectæ statuæ. Huc etiam pertinet κυρία δόξα, ἐν αἷς τῶν φυσικῶν ἐπιθυμιῶν, μὴ ἐπ' ἀλγοῦν δὲ ἐπαναγόντων ἐὰν μὴ συμπληρωθῶσιν, ὑπάρχει ἡ σπουδὴ σύντονος, παρὰ κενὴν δόξαν αὗται γίνονται καὶ οὐ παρὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, οὐ διὰ χρεῖαν τινά, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου κενοδοξίαν. Cupiditates, inquit, naturales & dolorẽ non adferẽtes si minus expleantur, quę vehemẽter cõcupiscuntur, eæ ab inani opinione proficiscuntur, non natura & vi sua parantur, nec necessitate aliqua, sed hominum vana & inani opinione desiderantur.

Plúsque in ipsa iniuria detrimenti est, quàm in his rebus.

Inanes, inquit, cupiditates, præter insatiabilem appetitionem, etiam dolorem adferunt. Nam sine labore, sine molestia & ægritudine comparari non possunt: ita dũ cœco impetu in alios incurrunt, in animis inclusæ molestiam & dolorem maximum efficiunt. Verum enim est quod ait Plato, οὐδαμῶς ῥᾴδιον πολλὰ κακὰ δρῶντα τὸν ἄλλους, μὴ οὐ καὶ πάσχειν αὐτὸν πολλὰ ἕτερα. Difficile factu esse, vt qui aliis multa dat incommoda, is multa alia non accipiat.

Animi autem voluptates & dolores nasci fatemur.

Aliud Epicuri dogma, πάσας τὰς ψυχικὰς ἡδονὰς καὶ ἀλγηδόνας ἀπὸ σωματικαῖς ἡδοναῖς καὶ ἀλγηδόσι γίγνεσθαι. Quod à Plutarcho sic exprimitur, εἰ δὲ ἀκούεις αὐτῶν μαρτυρομένων καὶ βοώντων, ὡς ἐπ' οὐδενὶ ψυχὴ τῶν ὄντων πέφυκε χαίρειν καὶ γαληνίζειν, πλὴν ἐπὶ σώματος ἡδοναῖς παρούσαις ἢ προσδοκωμέναις, καὶ τοῦτ' αὐτοῖς ἀγαθόν ἐστι. Quid si audias, inquit, eos testificantes & clamantes, Nunquam fieri, vt vspiam animus gaudeat, & tranquillus sit nisi aut præsentibus corporis voluptatibus, aut expectatis, in quo ipsi summum hominis bonum collocant.

Nec ob eam causam non multo maiores esse & volup.

Dolores animi multo maiores esse quàm corporis, placuisse Epicuro contra Cyrenaicorum sententiam scribit Laertius. οἱ μὲν γάρ, inquit, χείρους τὰς σωματικὰς ἀλγηδόνας τῶν ψυχικῶν· κολάζεσθαι γοῦν τοὺς ἁμαρτάνοντας σώματι. ὁ δὲ τὰς ψυχικάς. Eius ratio sequitur, quam vertit Cicero, τὴν γοῦν σάρκα τὸ παρὸν μόνον χειμάζειν, τὴν δὲ ψυχὴν καὶ τὸ παρελθὸν, καὶ τὸ παρὸν, καὶ τὸ μέλλον. οὕτως οὖν καὶ μείζονας ἡδονὰς εἶναι τῆς ψυχῆς.

Non placet autem detracta voluptate ægritudinem.

Aristippus cum suis, voluptatem negabat esse, quæ sensum non moueret: ita medium statuebat quiddam inter dolorem & voluptatem: cùm & voluptas illa quę fit in motu, & ægritudo non adesset. Epicurus medium non admittit, sed idipsum quod ille mediũ, hic voluptatẽ nominat. Propterea ei nõ placebat illa Aristippi detracta voluptate, ægritudinẽ statim cõsequi, sed nisi dolor succederet, magnã sequi voluptatẽ existimabat, alterius quidẽ generis quàm prior erat. Illã enim τὴν ἐν κινήσει ἡδονήν, hanc καταστηματικὴν nuncupabat. Fuerũt autẽ acres voluptatis assertores Epicurus & Aristippus, qui tamẽ in multis decretis nõ cõsenserunt. Præclarè hic Cic. Epicuri sentẽtias exponit: audiamus Aristippi cõtraria decreta Athenęũ explicantẽ, καὶ ἥγε Κυρηναϊκὴ καλουμένη ἀπ' Ἀριστίππου τοῦ Σωκρατικοῦ τὴν ἀρχὴν λαβοῦσα, ὃς ἀποδεξάμενος τὴν ἡδυπάθειαν, ταύτην τέλος εἶναι ἔφη, καὶ ἐν αὐτῇ τὴν εὐδαιμονίαν βεβλῆσθαι, καὶ μονόχρονον αὐτὴν εἶναι παραπλησίως τοῖς ἀσώτοις, οὔτε τὴν μνήμην τῶν γεγονυιῶν ἀπολαύσεων πρὸς αὐτὸν ἡγούμενος, οὔτε τὴν ἐλπίδα τῶν ἐσομένων, ἀλλ' ἐνὶ μόνῳ τὸ ἀγαθὸν κρίνων

τῷ παρόντι. τὸ δὲ ἀπολελαυκέναι, καὶ ἀπολαύσεσθαι οὐδὲν νομίζων πρὸς αὐτόν· τὸ μὲν, ὡς οὐκ ἔτ' ὄν· τὸ δὲ, οὔπω καὶ ἄδηλον, ὥσπερ καὶ οἱ τρυφῶντες πάσχουσι τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν ἀξιοῦντες. Ac schola Cyrenaïca, inquit, ab Aristippo Socratico deducta est, qui, comprobato sensuum suaui motu, eũ bonorum extremũ censuit esse, in eóque vitam beatam, vt in summo, consistere: volebat præterea eum vnius solum esse temporis, non aliter ac luxuriosi dicerent: idem ad se nihil attinere præteritarum voluptatũ recordationem, aut futurarum expectationem putabat, sed præsenti duntaxat eóq; quod adsit, bonum omne ponderabat. Præteritam enim voluptatem, & futuram nihil ad se pertinere existimabat, quòd illa non iam consisteret, & hæc nondum adesset, certaq; esse non posset: quod ii solent facere qui in deliciis viuunt, quibus satis est, si id quod adest & præsens est, præclarè benéque se habeat.

Clamat Epicurus, is quem vos nimis voluptatibus esse deditum.

Locus est in selectis sententiis, οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως. οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως. ὅτῳ δὲ τοῦτο μὴ ὑπάρχει, ὃν ζῆν φρονίμως καὶ καλῶς, καὶ ὃ δικαίως μὴ ὑπάρχει, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν. Rationem Torquatus subiũgit, Quod quemadmodum seditiosa ciuitas & discors domus in pace tã diu viuere non potest, dum seditio & discordia vigebit: ita & animus si pugnantibus incumbat studiis, id est, si cupiditatibus implendis studeat, quæ non modò in alios incurrere cæco impetu, verum inter se etiam dissidere atque discordare solẽt, profectò is gustare partem vllam liquidæ voluptatis & liberæ nunquam poterit: quod Aristoteles dixit, ἄγευστοι ὄντες ἡδονῆς εἰλικρινοῦς καὶ ἐλευθερίου, & Plato, βεβαίου τε καὶ καθαρᾶς ἡδονῆς ἐγεύσαντο, & τὸ τῆς ἡδονῆς καθαροῦ καὶ εἰλικρινοῦς, Epicurus id dicit ἀκραιφνεῖς τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν: Lucretius, Voluptatem liquidam puramque reliquit.

Nihil dolendum esse omnino quod sit à dolore corporis præsenti.

Vetus codex, NIHIL DOLENDVM esse animo: quæ vera lectio videtur è superioribus Plutarchi & Ciceronis verbis. De morte inquit Epicurus, οἱ πολλοὶ τὸν θάνατον ὅτε μὲν ὡς μέγιστον τῶν κακῶν φεύγουσιν, ὅτε δὲ ὡς ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν δεινῶν. Posterius ad sapientes Epicureos pertinet, qui rigore animi mortẽ contẽnere se dicunt, itaque ad dolores paratos esse, vt meminerint eos morte finiri. Prius verò ad stultos reiiciunt, clamantes τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. ea enim Epicuri verba sunt. Stultorum igitur, id est, miserorum calamitates enumerat, vt ex collatione, beatorum & sapientum Epicuri amicorum bona amplificet.

Ecce autem alij minuti & angusti, aut omnia semper desperantes.

Hoc loco minutos exponit Nonius obscuros & scrupulosos: qui etiam Grecè dicantur λεπτομερεῖς. Quod paulo pòst sequitur, ALII APPETENDO omnia petulantes, in veteri codice tantum scriptum est, ALII petulantes: vt ea duo verba APPETENDO omnia, huc irrepsisse ex alicuius Grammatici scholio videantur.

Multoque hoc melius nos veriusque quàm Stoici. Illi enim.

Μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι, & αὐτάρκη εἶναι τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, Stoicorum dogmata sunt: cum quibus comparat Epicurea. Censet enim Epicurus, τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφὸν, μηκέτι τὴν ἐναντίαν λαμβάνειν διάθεσιν. Item, κἂν στρεβλωθῇ δ' ὁ σοφὸς, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα. Et in selectis sententiis, ἡ δὲ διάνοια, inquit, τοῦ τῆς σαρκὸς τέλους καὶ πέρατος λαβοῦσα τὸν ἐπιλογισμὸν, καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ αἰῶνος φόβους ἐκλύσασα, τὸν παντελῆ βίον παρεσκεύασε, καὶ οὐθὲν ἔτι τοῦ ἀπείρου βίου προσεδεήθημεν.

ἀλλ' οὔτε ἔφυγε τὴν ἡδονὴν, οὐδ' ἡνίκα τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν τὰ πράγματα παρεσκεύαζεν, ὡς ἐλλείπουσά τι τοῦ ἀρίστου βίου κατέστρεφεν. Et in Epistola ad Menœceum, τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος; καὶ περὶ θανάτου διὰ παντὸς ἀφόβως ἔχοντος;

Optimè verò Epicurus, quòd exiguam dicit fortunam interue.

Κυρίαις δόξαις, βραχέα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διῴκηκε, καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον διοικεῖ καὶ διοικήσει. Et mox, ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν, καὶ ὁ πεπερασμένος. addit, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ. MAXIMASQVE ab eo & grauissimas, duo verba, AB EO, in veteri codice non sunt, nec in Græco. ideo expungenda, quum ad sententiam nihil faciant.

In dialectica autem vestra nullam vim existimauit esse.

Artem differendi contẽpsit Epicurus vt superuacaneam. Substituit autem partem aliam quam κανονικὸν appellat, ἐφόδους, vt ait, ἐπὶ τὴν πραγματείαν ἔχον. Ea Epicuro tractata est in eo libro quem Canonem inscripsit: quanquam consueuerint Epicurei illud canonicum adiungere Physicis, & nominare περὶ κριτηρίου καὶ ἀρχῆς καὶ στοιχειωτικόν. Ad hunc Canonem respicit Cicero, cùm ait, Seruata illa, quæ quasi delapsa de cœlo est ad cognitionem omnium, Regula.

In Physicis quidem plurimum posuit: ea scientia, & verborum vis.

Alij codices habent, IN PHYSICIS QVIDEM, cùm plurimum possint ea scientia, & verborum vis. Ioach. Camerarius verum putat, IN PHYSICIS quàm plurimũ posuit. In veteri quo vsi sumus codice, ita scriptum est, IN PHYSICIS plurimum posuit: ea scientia, &c. Physicorum fuit studiosissimus Epicur*, qui præter epistolas, & compendia, libros triginta septem, vt testatur Laërtius, de natura conscripserit. Duæ eius epistolæ extant: altera de naturæ cognitione ad Herodotum: altera de sublimibus & cœlestibus rebus, ad Pythoclem. Vim autem verborum & naturam orationis ex naturæ cognitione percipi censuit ideo crebrò dicebat diligenter oportere exprimi, quæ res subiecta esset vocibus, vt extaret quò disputationem omnem referre liceret: imò docebat voces ipsas hominum instituto positas non fuisse, sed naturam ipsam rerum id docuisse: nimirum eam suis permotionibus homines incitasse, vt peculiarem & rebus accommodatum spiritum efflarent.

Omnium autem rerum natura cognita, leuamur superstitione.

Lucretius hoc versibus expressit,

> Hunc igitur terrorem animi tenebrásque necesse est
> Non radij solis, neque lucida tela diei
> Discutiant, sed naturæ species ratióque.

Epicurus κυρίαις δόξαις, οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων μὴ κατειδότα τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις. & alio loco, vt est apud Plutarchum, εἰ μηδὲν φησιν Ἐπίκουρος, ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν, ἔτι τὰ περὶ θανάτου καὶ ἀλγηδόνων, οὐκ ἄν ποτε προσεδεόμεθα φυσιολογίας ὡς δεῖ. Item in Epistola ad Herodotum, qua eum ad physica tractanda hortatur, ἂν γὰρ τούτοις προσέχωμεν, τὸ ὅθεν ὁ τάραχος καὶ ὁ φόβος ἐγίνετο ἐξαιτιολογήσομεν ὀρθῶς καὶ ἀπολύσομεν, ὑπέρ τε μετεώρων αἰτιολογοῦντες, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν ἀεὶ παρεμπιπτόντων, καὶ ὅσα φοβεῖ τοὺς λοιποὺς ἐσχάτως.

Denique etiam morati melius erimus, quùm didicerimus.

Ad mores formandos naturæ cognitio momenti plurimum habet. Vnde tòties

de constituendo conuenienter naturæ fine bonorum ab Epicuro præcipitur, de moderandis ad naturæ legem cupiditatibus. Ex quo illæ apud Senecam Epicuri gnomæ, Si ad naturam viues, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam eris diues. Exiguum natura desiderat: opinio immensum. &, Diuitiæ sunt, ad legē naturæ composita paupertas.

Tum verò si stabilem scientiam rerum tenebimus, seruata illa.

Valet quoque naturæ explicatio ad eam tractationē, quæ est περὶ κριτηρίων. Erāt autē sensus Epicuro κριτήρια τῆς ἀληθείας. ex quo illud πᾶσαι εἰσὶ αἱ δὲ αἰσθήσεις φαντασίαι ἀληθεῖς. &, ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασιν. Quibus expositis Torquatus occasionem nactus, inuehit in Pyrrhonios, qui rerum nullum delectum reliquerunt, dicentes hoc vel illud non magis esse quàm non esse, tantū videri, οἷα φαίνεται τὰ πράγματα, μὴ διαῦτα εἶναι τῇ φύσει, ἀλλὰ μόνον φαίνεσθαι. Vel de Academicis dictum accipias, οἱ οὐδὲν ὁρίζοντες περὶ πάντων ἐπέχοντες, vt est apud Laërtium, qui nihil affirmantes de rebus omnibus iudicium suspendebant.

Cognitionis regula & iudicio.

Liber ille est, quem κανόνα inscripsit, de quo iā diximus: is continebat primas philosophiæ institutiones. Eius meminit Cicero li. 1. de Nat. Deorum, loquens de prolepsi: Cuius, inquit, rationis vim ac vtilitatem ex illo cœlesti Epicuri de regula & iudicio volumine accepimus. Nam supra iam diximus appellari id κανόνα & περὶ κριτηρίου καὶ ἀρχῆς καὶ στοιχειωτικόν. sic enim tradit Laërtius.

De qua Epicurus quidem ita dicit, Omnium rerū quas ad beatè vi.

In selectis sententiis, ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις. Quæ amicitiæ laus est maxima. Cæterū amicitiæ magnitudinem indicat eius raritas. Nam honestissima & præclarissima quæque rarissima sunt. Paria amicorum literis nobilitata tria hæc sunt, Thesei & Perithoi, Achillis & Patrocli, Orestis & Piladis: addit Plutarchus, Phintiæ & Damonis, Epaminondæ & Pelopidæ.

At verò Epicurus vna in domo, & ea quidem angusta, quàm.

Maximè coluit amicitias Epicurus, comisque iis tuendis fuit & fidelis, qui tot sibi parauerat amicos, vt numerosæ vrbi pares esse potuerint, vt Laërtius testatur. quem veluti hæreditario iure morem tenuerunt etiam qui Epicuro fuerunt posteriores, philosophorū genus minimè malitiosum, sed simplex & fidele. Sic enim eos alicubi Cicero appellat. Enumerat autem eorum de amicitia varias sententias. Alij enim censuerunt ita voluptatibus amicitias inhærere, vt ab iis diuelli non possint. Ita Anicerij corporis voluptatis patroni censebant τήν τε φίλου εὐδαιμονίαν δι' αὐτὴν μὴ εἶναι αἱρετήν. μηδὲ γὰρ αἰσθητὴν τῷ πέλας ὑπάρχειν, cætera Laërtius. Alij, fortasse quòd intelligerent si amicitiam voluptas constitueret, fore vt eadem sublata, secum amicitiam tolleret, primos congressus voluptatis causa expeti: deinde vsu accedente, per se etiam omissa voluptatis spe, ipsam amari dixerunt. Postremò alij in fœderibus inter sapientes factis, sic vt vnus sit eorum animus, vna voluntas, amicitias posuerūt. Ex quorum omnium rationibus colligit amicitiam, constituto etiā in voluptate summo bono, retineri: imò sine voluptate ne locum quidem vllum amicitię relinqui. Vbi alij codices legunt, SED AD REM redeamus, de omnibus dici necesse est. VETVS codex addit negationem, DICI NON necesse est. & sequitur, TRIBVS IGITVR modis video esse à nostris de amicitia disputatum. Verbū, ESSE, in aliis deest. melius, pro, OMNIBVS, hominibus legeretur.

Præclarè enim Epicurus his penè verbis, Eadem, inquit, scientia.

Eodē illo libello, quo κύριαι δόξαι, id est, selectæ sententię continentur, hoc positū



est, ἡ αὐτὴ γνώμη θαῤῥεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηθὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν, μηδὲ πολυχρόνιον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατεῖναι συντελουμένην. Qui locus me admonet vt, SENTENTIA, hoc loco pro, SCIENTIA, legẽdum esse existimem. Nã γνώμην scientiam Cicero vertere nõ potuit, vt γνῶναι cognoscere & scire dicimus. Loquitur enim de ea, quam supra posuimus sententia, qua tãtopere amicitia commendabatur.

Itaque primos congressus copulationésque consuetudinum institu.

Germanici codices habent ad marginem, ET CONSVETVDINVM instituendarum voluntates fieri propter, &c. Quam lectionem vetus noster codex retinet: præterquam quòd pro, VOLVNTATES, immutata vna litera, VOLVPTATES habet. Cæterum quid in vniuersum Epicurei de amicitia tradiderint, breuiter Laërtius exprimit, φασὶ καὶ τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας γίνεσθαι· δεῖ μέντοι προκατάρχεσθαι, καὶ γὰρ τὴν γῆν σπείρομεν. συνίστασθαι δὲ αὐτὴν κατὰ κοινωνίαν ἐν ταῖς ἡδοναῖς.

Etenim si loca, si fana, si vrbes, si gymnasia.

Ex Platone & Aristotele his Ciceronianis similes colligi possunt sententiæ. Quod enim nũc ait, iustius nos hominũ amore, quàm aliarum rerum teneri, id prius à Platone dictum fuit, his quidem verbis in Lyside, ὁ μὲν γάρ τις ἵππους ἐπιθυμεῖ κτᾶσθαι, ὁ δὲ κύνας, ὁ δὲ χρυσίον, ὁ δὲ τιμάς· ἐγὼ δὲ πρὸς μὲν ταῦτα πράως ἔχω, πρὸς δὲ τὴν τῶν φίλων κτῆσιν πάνυ ἐρωτικῶς, καὶ βουλοίμην ἄν μοι μᾶλλον ἀγαθὸν γενέσθαι μᾶλλον ἢ τὸν ἄριστον ἐν ἀνθρώποις ὄρτυγα ἢ ἀλεκτρυόνα. Et quòd non multo antè, Eodem modo erit affectus erga amicum, quo in seipsum, Cicero dixit, id Aristoteles prius scripserat, ὥσπερ πρὸς ἑαυτὸν ἔχει, οὕτω καὶ πρὸς τὸν φίλον. Quæ non video, cur non potuerit eadẽ scribere Epicurus in iis, qui ad nos non peruenerunt, libris, ab istis mutuatus fortasse, à quibus & alia plurima sumpsit.

Quapropter si ea quæ dixi, sole ipso illustriora & clariora sunt.

Conclusio adiunctis Epicuri laudibus. Et summatim repetitis eius argumentis, quibus suam fulcire solent Epicurei disciplinam, Quod è naturæ fontibus ea ducatur, non ex deprauatis hominum sententiis: nimirum sensuum iudicio, non accuratis illis demonstrationibus vult credendum esse: quòd naturæ vocem infantes voluptatem sequentes, & dolorem declinantes, itemque belluę, quas consuetudo deprauare nequit, exprimere videantur. Quæ si vera sunt, laudãdus certè est ille summus voluptatis assertor. Sic impudenter solẽt Epicurei Epicurũ celebrare. Lucret. li. 5.

Quis fingere laudes
Pro meritis eius possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit?
Nemo, vt opinor, erit mortali corpore cretus:
Nam si vt ipsa petit maiestas cognita rerum,
Dicendum est: Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi,
Qui princeps vitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantísque tenebris
In tam tranquillo, & tam clara luce locauit.

Addit postremò Torquatus criminis de nõ collocato artib⁹ homine libero dignis studio purgationem: quòd momentum habeant aut nullum, aut exiguum ad vitam beatam: ideo contemptas ab Epicuro & neglectas fuisse. Ita certè contẽpsit mathematicas artes, quòd sensu percipi & tractare nõ possint. sic τὴν ματαίαν ἀστρολογίαν in Epistola ad Pythoclem appellat, & Polyænum familiarem suum à Geometriæ cognitione in eiusdem obliuionem pertraxit. Quin potius iubebat suos disciplinam omnem declinare, vt etiam supra exposuimus.

OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII IN M. T. CICERONIS LIB. SECVNDVM DE

Finibus bonorum & malorum, Commentarius.

Confirmata Epicuri lib. superiore de summi boni constitutione sententia, hoc libro refellitur: in quo diluuntur quæ adferebantur argumenta, opponunturque contrariæ sententiæ efficientia, ex Academicorum Stoicorum & Peripateticorum, qui voluptatem vt finem repudiarunt, decretis assumpta. In huius autem libri procemio, cuiusmodi ratio disputandi placeat, Cicero exponit: interim indicans morem disserendi veteribus vsitatum tum Philosophis, tum Sophistis. Huc accedit etiã Epicuri reprehẽsio, qui dispu tandi rationem arte atque via nitentem contempserit, dum rem placere definiri negauit.

Primum, inquam, deprecor, ne me tanquam philosophũ.

VErbum DEPRECOR ille vetus codex non habebat: & in principio pro, HIC, SIC, positum erat. Nomine scholæ continuatas & absolutas intelligit disputationes, quæ in Gymnasiis inter Philosophos exerceri solent: eaque dicuntur alio nomine θετικὰ, vt ex initio Paradoxorum apparet. Plutarchus ita σχολὴν vsurpat, ἐν τῷ περὶ τοῦ ἀκούειν, τὴν γενομένην μοι σχολὴν περὶ τοῦ ἀκούειν, ὦ Νίκανδρε, ἀπέσταλκά σοι γεγραφὼς, ὅπως εἰδῇς τοῦ πείθοντος ὀρθῶς ἀκούειν. Cicer. Tuscul. 3. Separatim autem, inquit, certæ scholæ sunt, De exilio, de interitu patriæ, de seruitute, de debilitate, de cœcitate, & de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Hæc Græci in singulas scholas, & in singulos libros dispertiũt. Opus enim quærunt, quanquam planè disputationis sunt, delectationis. Item alio loco, In quam exercitationem ita nos studiosè operam dedimus, vt iam etiam scholas Græcorum more habere auderemus. Post, Itaque dierum quinque scholas, vt Græci appellant, in totidem libros contuli.

Quando enim Socrates, qui parens Philosophiæ iure dici potest.

De Socrate Philosophiæ, eius præsertim quæ de moribus tractar, parenre notum est: quod ab eo è cœlo Philosophia deuocata sit, & in vrbib' collocata, in domos etiã introducta, & coacta de vita & moribus rebúsque bonis & malis quærere. Ab antiqua enim Philosophia vsque ad Socratem numeri motúsque tractabantur, & vnde omnia orirẽtur, quoque recederent: studioséque siderum magnitudines, interualla, cursus inquirebantur, & cuncta cœlestia.

Eorum erat iste mos, qui tum sophistæ nominabantur.

Sophistæ olim etiam sapientes dicebantur: Ita Aristophanes dicebat, ὁ δ' ὠνεῖς τῶν

καὶ νόσοις γελᾶσαι σοφιστὴν ἄχειν. Dicebantur etiam ſophiſtæ ludi magiſtri: etiam qui in muſicis erant exercitati: ex quo illud, σοφοὶ μὲν ἡμᾶς, ἀλλ' οὐ πάντα σοφισταί. ſed tandem corruptis & degenerantibus artibus ac profeſſoribus, Sophiſtę nuncupati ſunt λογοδαίδαλοι & verborum captatores, qui ad aurium potius voluptatem, quàm aut ad docendum, aut ad iudiciorum certamen ſcribant, vel dicant, vt eſt in Oratore ad Brutum. Hoc genus Rhetorum minutorum luſum fuiſſe à Socrate, cùm ex Xenophonte, tum ex Platone conſtat. Sic Menexenus in Epitaphio ait Socrati, ἀεὶ προσπαίζεις ὦ Σώκρατες τοὺς ῥήτορας. Quibus Socrates de ſeipſo detrahés (tanta enim fuit modeſtia) plus tribuebat. ita quum aliud cognoſceret atque ſentiret, libenter vtebatur ea diſsimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant, vt eſt in Academicis.

Quorum è numero primus eſt auſus Leontinus Gorgias in conuentu.

Id poſitum eſt in Gorgia Platonis, ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ ἐρωτᾶν, ὅ,τι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. & in eodem de ſe Gorgias, αἰσχρὸν δὴ, inquit, τὸ λοιπὸν ὦ Σώκρατες γίγνεται, ἐμέ γε μὴ ἐθέλειν καὶ ταῦτα αὐτὸν ἐπαγγειλάμενον ἐρωτᾶν ὅ,τι τις βούλεται, ἀλλ' εἰ δοκεῖ, τουτωσὶ διαλέγου τι καὶ ἐρώτα ὅ,τι βούλει. Qua de re in primo de Oratore ſcribit etiam Cicero, Quando enim me iſta curaſſe aut cogitaſſe arbitramini, non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiam, qui cùm in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequẽtia dicere iuberent, ſi quis quid quæreret? Quod primum ferunt Leontinum feciſſe Gorgiam, qui permagnum quiddam ſuſcipere ac profiteri videbatur, cùm ſe ad omnia, de quibus quiſque audire vellet, eſſe paratum denunciaret. Poſteà verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieque faciunt, vt nulla ſit res, neque tanta, neque tam improuiſa, de qua ſe non omnia quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos.

Qui mos cùm à poſterioribus non eſſet retentus, Arceſilas eum reuo.

Ἀρκεσίλαος Græcis hic dicitur: de quo Laertius hæc quæ ad hunc locum pertinẽt, ſcripſit, οὗτός ἐστιν ὁ τῆς μέσης ἀκαδημίας κατάρξας, πρῶτος ἐπισχὼν τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων. πρῶτος δὲ καὶ εἰς ἑκάτερον ἐπεχείρησε, καὶ πρῶτος τὸν λόγον ἐκίνησε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδομένον, καὶ ἐποίησε δι' ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον. Quorum verborum is ſenſus eſt, Is fuit mediæ author Academię, primus quicquam affirmandũ eſſe negauit, propter contrariarũ rationũ momenta: primúſq; in vtranque partẽ diſputauit, & quam Plato docuerat differẽdi rationem, labefactauit, eámque magis contentioſam interrogando & reſpondendo fecit.

Ego autem arbitror, quanquam admodum delectatus ſum eius oratione.

Quæ ſequuntur ex Platone & Epicuro ducta, ea vt reperimus longa inueſtigatione adſcribemus. Ac primum ex Platone. In Phædro enim ſic ait, περὶ παντὸς ὦ παῖ μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύσεσθαι· εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. In eodem, ἀλλὰ δῆλον ὡς ἄν τῳ τις τέχνῃ λόγους διδῷ, τὴν οὐσίαν δείξει ἀκριβῶς τῆς φύσεως τούτου, πρὸς ὃ τοὺς λόγους προσοίσει. Item requirit alia duo Socrates in diſputando: quorum alterum eſt, εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα, ἵνα ἕκαστον ὁριζόμενος δῆλον ποιῇ περὶ οὗ ἂν ἀεὶ διδάσκειν ἐθέλῃ. Alterum eſt, τὸ πάλιν κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν καθ' ἄρθρα ᾗ πέφυκε. Epicuri verba in Epiſtola ad Herodotum hæc ſunt, καὶ δὴ καὶ τὸ κατὰ μέρος ἀκρίβωμα πᾶν ἐξευρήσεται τῶν ὁλοσχερωτάτων τύπων ἐμπεριειλημμένων, καὶ μνημονευομένων. ἐπεὶ καὶ τοῦ τετελεσιουργημένου τοῦτο κυριώτατον τοῦ παντὸς ἀκριβώματος γίνεται, τὸ ταῖς ἐπιβολαῖς ὀξέως δύνασθαι, καὶ πρὸς ἁπλᾶ στοιχειώματα καὶ φωνὰς συναγομένων. οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ πύκνωμα τῆς συνεχοῦς τῶν ὅλων περιοδείας εἰδέναι, μὴ δυνάμενον διὰ βραχέων φωνῶν ἅπαν ἐμπεριλαβεῖν ἐν αὐτῷ τὸ κατὰ μέρος ἂν ἐξακριβωθέν.

Atqui hæc patefactio, quasi rerum opertarum, quum quid quicq; sit.

Omnis de re aliqua suscepta disputatio, ab eius rei de qua agitur definitione proficisci debet. Est autem definitio, quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter & absolutè. Aristoteli dicitur ὅρος, λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν ἢ σημαίνων. Et Antipatro ὅρος ἐστὶν, λόγος κατ᾽ ἀνάλυσιν ἀπαρτιζόντως ἐκφερόμενος, ἢ ἀπόδοσις. Cæterum definiendi rationem, & totam differendi scientiam contempserunt Epicurei. Verum inter disputandum, siue naturæ bonitate victi, siue rei necessitate compulsi, etiam imprudentes nonnunquam definiendi rationem sequũtur. Ita Torquatus statim ab initio suæ orationis lib. 1. finẽ id esse definiuit, ad quod omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam.

Præclarè hoc quidem, bonum ipsum etiam quid esset fortasse.

Quas subiicit boni definitiones, eas reperias licet, cùm in aliis authoribus, tum in Platone. Definit enim ἀγαθὸν, ὃ αὐτὸ αὑτοῦ χάριν ἀγαπῶμεν, & τὸ δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν, item τὸ ὠφέλιμον, τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ ἀρεστὸν, quod propter se tum diligamus, tum expetamus, quod prosit, quod iuuet, quod libeat. Hinc quid sit voluptas, vult Cicero definiri antequam de ea disceptetur: qua quidem definitione doceat non intellexisse, voluptas quid esset, Epicurum: tametsi videatur non tam quærere quid sit voluptas, q̃ in quo ea versetur. Quæ disputatio prima, orationis, quam habuit iam Torquatus, initio respondet. VELIM DEFINIRE quid sit voluptas, alij codices habẽt, VELIM DEFINIAS.

Eúmque qui crebrò dicat, diligenter oportere exprimi quæ vis.

Epicurus in Epistola ad Herodotũ, πρῶτον μὲν οὖν, inquit, τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις, ὦ Ἡρόδοτε, δεῖ εἰληφέναι. Rationem explicat, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ὃ ἀνάγοντες ἐπικρίνειν, καὶ μὴ ἄκριτα πάντα ἡμῖν εἰς ἄπειρον ἀποδεικνύουσιν, ἢ κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν. ἀνάγκη γὰρ τὸ πρῶτον ἐννόημα καθ᾽ ἕκαστον φθόγγον βλέπεσθαι. id est, vt eò quæ opinamur, & de quibus dubitamus, referentes diiudicare possimus: & ne, dũ certa ratiõe singula probare niteremur, omnia incerta essent & obscura. Videamus enim & intelligamus necesse est, quæ primum cuique voci subiecta sit intelligentia, τὰ ὑποτεταγμένα, Cicero vertit, QVAE VIS subiiciatur, vel vt alij codices habent, QVAE RES SVBIICIATVR.

Quippe qui testificetur, ne intelligere quidem se posse vbi sit.

Ea ipsa verba, quibus id explicabat Epicurus Tuscul. lib. 3. vertit Cic. Quid, inquit, tergiuersamur Epicure? nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idẽ quum os perfricuisti soles dicere? Sũt hæc tua verba, necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim iã interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc: Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates quæ sapore percipiuntur, detrahens eas etiã quæ auditu & cãtibus, detrahens eas etiã quæ ex formis percipiuntur oculis suaues motiones, siue quę aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è sensu. Græca notat Laërtius, item Athenæus, οὐ γὰρ ἔγωγ᾽ ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ τῶν χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾽ ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾽ ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ᾽ ὄψιν ἡδείας κινήσεις.

Qui se vnus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus.

Solent gloriæ & laudis cupidi, quum ab aliis bonam existimationem adipisci nõ possunt, se ipsi laudare: non aliter ac corpus nutrimentis destitutũ externis, se ipsum sui consumptione alere consueuit. Sic Epicurus suo ipsius suffragio & sententia sapientem sese profitebatur. Et eousque gloriam & laudem quærebat, vt discipulos humi prostratos ad sua ipsius genua procidere passus sit. Tale enim quippiam de Co-

lote insigni Epicureo refert Plutarchus. De quo Epicurus dicere solebat, ἀφθαρτός μοι περιπατεῖ καὶ ἡμᾶς ἀφθάρτους διανοῦ, Ecce mihi beatißimus vir hic deambulat, qui meas rationes sapientißimas & diuinas intelligit. Et Neocles eius frater statim à puero edoctus ab isto fuit, qui declararet neminem eo sapientiorem vnquam fuisse, aut hoc tempore esse: matremque tot atomos concepisse, vt concurrentes in vnum sapientem efficere potuerint. Sic enim Plutarchus scribit, Νεοκλῆς δὲ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐκ παίδων ἀποφαίνοιτο μηδένα σοφώτερον Ἐπικούρου γεγονέναι, μηδὲ εἶναι. ἡ δὲ μήτηρ ἀτόμους ἔχειν ἐν αὐτῇ τοσαύτας, οἷαι συνελθοῦσαι σοφὸν ἂν ἐγέννησαν. METRODORVM non putant, in aliis codicibus est, NON PVTO.

Septem autem illi non suo, sed populorum suffragio omnium nominati.

Noti sunt & celebrati septẽ sapiẽtes, Thales, Solon, Periãder, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus. Tradunt cùm aliquãdo à piscatoribus Ionici quidam iuuenes iactũ essent mercati, hique tripodem siue mensam aureã traxissent, contendẽtibus vtrisq; ac sibi vendicantibus, Apollinem consultum, iussisse dari Sapienti. Ita primũ ea mẽsa Thaleti omnium suffragio tradita est. Hic eam alij ex illis septem misit, itemque alius alij, quoad vẽtum est ad Solonem: qui mensam præcepit Apollini, nempe verè sapienti, dari. Idcirco Delphos illã misit. Vides quàm non suo, sed populorum suffragio, hi septem sapientes habiti sunt. Quod si ad Epicurum delata ea fuisset mensa, certè vt erat sui amans, & magnificè de sua sapientia sentiebat, nunquam eam abs se ad alium transtulisset.

Dicam, inquam, & quidem discendi causa magis quàm quo te aut Epic.

Ea fuit Socratis modestia, qui ita se inter dispntandum agere dicebat, vt quid verum esset inquireret potius, quàm quod alij defenderent, id euerteret, ὥσπερ μὴ ἀφελέσθαι τὴν δόξαν αὐτῶν, ἀλλ' ὡς τὸ ἀληθὲς παρέξῃ.

Tenésne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quid dicat esse summũ.

In motu iucundo quem sensus accipiens iucunditate perfunderetur, & in doloris omnis amotione voluptatem ponebat Epicurus: partim cum Aristippo Cyrenaicorum principe, partim cum Peripatetico Hieronymo Rhodio consentiens. Quorum ille voluptatem quæ in motu est, quam τὴν λείαν κίνησιν καὶ ἀτρεμῆ definit, finem bonorum statuebat: hic verò indolentiam, id est, doloris priuationem & vacuitatem. Docet igitur non rectè Epicurum vnam nomine voluptatem duobus illis diuersis finibus attribuere: quòd vt non iidem sint, ita & vno & eodem nomine appellari nõ debuerint. Citãtur hoc loco quædam Epicuri verba: sed ea quia libro primo exposita sunt, hic repetere noluimus. De stabili voluptate postea dicemus.

Varietas enim Latinum verbum est, idque propriè quidem in dispa.

Quod Latinis est varietas, id Græcis est ποικιλμὸς: & quod varium, id ποικίλον. Voluptatem ποικίλλεσθαι καὶ μὴ ἐπαύξεσθαι dicebat Epicurus: quod rectène dictũ fuerit, inquirit M. Tullius, exposita verbi proprietate. Varia dicitur voluptas, quę è multis rebus dissimilibus percipitur. Ita Græcis ἡδονὴ ποικίλον dicitur. Sic enim in Philebo appellat Plato, τὴν δὲ ἡδονὴν οἶδα ὡς ἔστι ποικίλον. & mox, ἔστι γὰρ ἀκούειν μὲν οὕτως ἁπλῶς ἕν τι, μορφὰς δὲ δήπου παντοίας εἴληφε καὶ τινὰ τρόπον ἀνομοίους ἀλλήλαις. ἰδὲ γάρ. ἥδεσθαι μέν φαμεν τὸν ἀκολασταίνοντα ἄνθρωπον, ἥδεσθαι δὲ καὶ τὸν σώφρονα αὐτῷ τῷ σωφρονεῖν, &c.

Ista varietas quæ sit, non satis perspicio, quòd ais quum dolore ca.

Hanc sententiam refert quoque Plutarchus in eo libello, in quo disputat, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον. sic enim ait, πέρας αὐτῶν κοινὸν, Ἐπίκουρος τὴν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ἐπιτέθεικε, ὡς τῆς φύσεως ἄχρι τοῦ λῦσαι τὸ ἀλγεινὸν

αὔξεσθαι τὸ ἡδὺ, τῷ φανταστικῷ δὲ προσλαβεῖν οὐκ ἐώσης κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ ποικιλμούς τινας οὐκ ἀναγκαίους, ὅταν οὐκ ἐν τῷ μὴ ποιεῖν γένηται διχομένοις. Sensus horũ verborũ est, Finem communem & extremum voluptatum, dixit doloris omnis amotionem: quòd natura tantũ amplificari voluptaté quærat, donec dolor omnis detractus sit: quódq; si eò perueniat, vltra progredi magnitudine non sustineat: interim tamen varietates quasdam non necessarias, dum statũ eum aequirat, in quo non doleat, admittere posse. Quæ verba huic disputationi lucem quandam adferunt.

Itaque hoc frequenter dici solet à vobis, non intelligere nos.

Quam Epicurus voluptatem à virtute separari posse negat: cuius comparandæ initium facit sapientiam, quam denique non luxuriosorum, sed bene sanorum senté tia voluptatem esse statuit, eam clamat ab iis qui aliam sequantur philosophandi rationem, non intelligi. Docet ergo Cicero difficile non esse quid sit voluptas intelligere, petita è communi sermone vocis explicatione. Quod si Epicurei qui minimè iis in literis quę homine libero dignę sunt, versati, vel potius à principe disciplinæ huius inde abstracti fuerint id tenent, certè aliarum disciplinarũ studiosi, qui omne genus studiorum solent euoluere, quid voluptas sit, ignorare non possunt. Itaq; aut falso negat Epicurus alios, quid sit voluptas intelligere, aut obscure loquitur: & tenebris, quod dicit, innoluit, ne intelligatur, dum aliud quàm alij statuere annititur.

Itaque vt maiores nostri ab aratro abduxerunt Cincinnatũ illum.

De Quinto Cincinnato Liuius lib. 3. & Valer. lib. 4. Is vir fuit frugalissimus, qui cùm quatuor iugera possideret, & ea manibus suis coleret, ab aratro est abductus, vt dictator fieret: maior vtique honore quàm consul, victisque hostibus ingentem gloriam consequutus, in eadé paupertate mansit, vt est apud D. Augustinum. Quod sequitur, SIC VOS DE Pelasgis omnibus, quidam legũt, DE PELAGIS, exponuntque de colluuionibus hominũ, & confusa multitudine. Alij, PELASGIS, & docent Pelasgos genus hominum fuisse vagabundum & errans. Nos in veteri codice reperimus scriptum, DE PLAGIS omnibus: & paulo pòst pro, SEMPER ERVDITOS, pereruditos: quam vtranque lectionem ad marginem libri sui Germani adnotarant.

Huic verbo omnes qui vbique sunt, qui Latinè sciunt, duas res.

Vim verbi voluptatis, in rebus duabus positam esse indicat: in animo & in corpore. Voluptas in animo lætitia dicitur siue gaudium, quam definit T. Castritius Apud Gellium lib. 2. ad hunc modum, Lætitia dicitur exultatio quædam animi cum gaudio efferuentiore, euentu rerum expetitarũ. Quam anté subdit voluptatis definitioné, ita Græcè Stoicis definitur, ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. In corpore autem iucundus est ille motus, sensum qui mouet: quæ maximè propria videtur esse verbi significatio: sed deinde ad animum translata. Ait enim Aristoteles hanc quæ corpore percipitur voluptatem, sibi quasi hæreditario iure ἡδονῆς nomen vendicasse, quòd ea in omnes cadat, & multitudini sola nota sit & frequens, quam penes est & ius & norma loquendi. Tamen Aphrodisiésis ille Alexander nobilis Peripateticus docens λύπην esse contrariam τῇ ἡδονῇ non πόνον, ἡ μὲν γὰρ λύπη, inquit, καὶ ἐν ταῖς θλίψεσι τοῦ σώματος καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς ἐφ' ἑαυτῆς, ὥσπερ καὶ ἡ ἡδονή· ὁ δὲ πόνος ἐν σώματι μόνον.

Nam & ille apud Trabeam, voluptatem animi nimiam, lætitiam dicit.

Chæream, opinor, dicit, cuius effusa lætitia, quam hic appellat nimiam, reprehenditur Tusculan. 4. vbi aliter dicitur gaudere, quàm ille qui lætus est, laudari se à patre laudato viro. Qua de re ista fuerit lætitia, illic versibus idé Chærea Trabeanus explicat.

Lena delinita argento, nutum obseruabit meum,
Quid velim, quid studeam. adueniens digito impellam ianuam:
Fores patebunt. De improuiso Chrysis vbi me aspexerit,
Alacris obuiam mihi veniet, complexum exoptans meum,
Mihi se dedet. Quàm hæc pulchra putet ipse, iam dicet,
Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

Addit Cicero, Hæc lætitia q̃ turpis sit, satis est diligenter attendentem videre. Huius etiam Trabeæ comici meminit in epistola quadam ad Papyrium Pætum. Versus autem qui sequitur,

Nunc demum mihi animus ardet,

est etiam expositus in oratione pro Cælio. Sed dubito, inquit, quem patrem potissimum sumam, Cæciliane, an ali quem vehementem atque durum. Nunc enim demum mihi animus ardet: Nunc enim meum cor cumulatur ira. & c. Qui vero sequitur Terẽtij versus est ex Heauton timorumeno. Gestire Festus exponit, subita felicitate exhilaratum nimio corporis motu præter consuetudinem exultare.

Quod duobus modis sine reprehensione fit: si aut de industria.

Iste Heraclitus Hesiodi præceptor fuit, Pythagoræ, Xenophanis, & Hecatæi: & librum edidit περὶ φύσεως, in quo agitur de natura vniuersi, de Repub. & Theologia: quem quidem librum ita de industria obscurauit tractando, vt inde nomen scotinos inuenerit: de quo fertur Epigramma,

Μὴ ταχὺς Ἡρακλείτου ἐπ' ὀμφαλὸν εἴλεε βίβλον.
Τοὐφεσίου, μάλα τοι δύσβατος ἀτραπιτός.
Ὄρφνη καὶ σκότος ἐστὶν ἀλάμπετον, ἢν δέ σε μύστης
Εἰσαγάγῃ, φανεροῦ λαμπρότερ' ἠελίου.

Hunc Heracliti librum, aiunt Euripidem Socrati legendum obtulisse, vt quid de eo iudicaret, intelligeret: Socratem verò respondisse, Præclara sunt quæ intellexi, quanquam Delio natatore opus est, ne quis in eo versans demergatur. Timæi autem Platonis obscuritas locũ fecit prouerbio, Numeris Platonicis obscurius: quo vtitur M. Tullius in Epistola quadam ad Atticum lib. 7.

Sic enim appellat hanc dulcem in motu, illam nihil dolentis.

Epicurus, vt citat Laërtius, ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων scripsit, ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί. ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται. aliâs primum genus etiam appellat τὴν ἐν καταστάσει. Quæ quidem duo genera vno verbo non fuisse nominãda Cic. probat, si modo cõmunem vocum intelligẽtiam retinere quis velit. Aliud enim omnes iudicant esse dolorem, aliud voluptatem, aliud medium statum, siue doloris vacuitatem, siue voluptatis priuantiam appelles: imò tria viuendi genera inde nascuntur, vt ait Plato in Philebo, quem locum nunc tractat Cicero, ἐκ δὴ τούτων ποθὲν ἡμῖν τρίτους εἶναι ἡμῶν βίους, ἕνα μὲν ἡδύν, τὸν δ' αὖ λυπηρόν, τὸν δ' ἕνα μηδέτερα. In Politia longa est disputatio, sitne medium doloris & voluptatis: & tandem concluditur, interiectam esse ἡσυχίαν, quę & παῦλα τῆς ἡδονῆς dicitur, in eodem libro & in Philebo. CREDO QVIDEM vos nec in dolore &c. Hic locus in veteri & manu scripto codice sic legitur, CREDO QVIDEM nos nec in dolore, nec in voluptate esse, vt in voluptate sit qui epuletur, in dolore qui torqueatur. Germanicus codex habet ad marginem, CREDO idẽ vos.

Zenonis est, inquam, hoc Stoici, omnem vim loquendi, vt iam ante.

Omnem vim loquendi, id est, τὸ λογικὸν in duas partes distribuerunt Stoici, εἴς τὸ ῥητορικὸν καὶ τὸ διαλεκτικόν. Rhetoricen definierunt ἐπιστήμην εἶναι τοῦ εὖ λέγειν περὶ τῶν ἐν διεξόδῳ λόγων: Dialecticen verò, τοῦ ὀρθῶς διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει λόγων. De illa autem Zenonis collatione in Oratore meminit quoque

Cicero. Zeno quidem ille, inquit,à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat,quid inter has artes intereſſet. Nam cùm compreſſerat digitos,pugnúmq; fecerat, dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe: cùm autem diduxerat, & manum dilatauerat,palmę illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. Sequitur de Ariſtotele apud eũdem. Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis Rhetoricæ dicit illã artem, quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ:vt hoc videlicet differant inter ſe, quòd hæc ratio dicendi latior ſit,illa loquendi contractior. Quod autẽ habemus in impreſsis codicib*, DIALECTICAM pugno ſimilẽ,vetus codex habet PVGNIS, & paulo pòſt,vbi alij, NEC ea quæ docet,vult vlla arte diſtingui, idem ille manu ſcriptus habet, NEC ea quæ doceri vult,vlla arte diſtinguit.

Omnes Danai aut Mycenenſes, Attica pubes.

Verſus eſt Anapęſticus, qui ſpeciem habet prouerbij ,ad ſignificandum vniuerſum genus:vt dicimus cœlo terra mariq;,cùm vbique deſignare volumus. Nõ enim aliud dicit,quàm quòd paulò ſuperius, OMNES QVI vbique ſunt. Quod autem ſequitur, HOC ANAPAESTO ,ingenioſi quidã ad verbum volupe retulerunt,quaſi voluerit Cic.ſignificare omnes qui citãtur,volupe,id eſt,voluptate agitantur & mouentur. Nos anapæſtum intelligimus totam eam quam appellãt Græci ἀναπαιστικὴν βάσιν,quę eſt, μέτρων συναγωγὴ ἤδη δύο ἢ πλεόνων, ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων,. quæ etiam alio nomine σύστημα appellatur. Ita anapæſti, vel vt alij legunt,anapęſtici nomine ,multos inter ſe coniunctos verſus intelligimus. Tuſcul.3. ſic nuncupat Cicero verſus quoſdam ,qui in Iphigenia Aulidenſi expoſiti ſunt, Anapæſtum. Nec ſiletur,inquit,illud potentiſsimi regis Anapęſtum, qui laudat ſenem & fortunatum eſſe dicit,quòd inglorius ſit &c.

Multi enim & magni Philoſophi,hæc vltima bonorum iuncta.

Ariſtoteles in ſummo bono conſtituendo vnum quiddam & ſimplex non attulit,vt plerique fecerunt Philoſophi,ſed ad honeſtatem,quã actionem virtuti congruẽtem interpretatur,adiunxit proſperitatẽ. ſic enim inquit, τὴν δ' εὐδαιμονίαν ἐκ πολλῶν ἀγαθῶν συντίθεμεν. & alio loco de præclaris actionibus virtuti cõſentaneis agẽs, ταῦτα δὲ ἢ μίαν τούτων τὴν ἀρίστην εἶναί φαμεν τὴν εὐδαιμονίαν, φαίνεται δ' ὅμως καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν προσδεομένη. Callipho autem & Diodorus itidem iunctos bonorum fines fecerunt. Epicurus verò ,tametſi ad Ariſtippi voluptatem adiunxerit Hieronymi indolentiam,quia tamen vno nomine nũcupauit, vltima bonorum iuncta nõ fecit,vt reliqui.

Quum enim ipſam eam voluptatem,quam eodem nomine omnes.

Voluptatem quæ in motu eſt , quæq́ue ſuauitate hilarat ſenſus , vſque adeo laudauit Epicurus,vt ea detracta,negauerit ſe intelligere quod bonum reſtet. Id iam explicauimus verbis ipſius Epicuri,è libro eo quem περὶ τέλους inſcripſit,deſcriptis tũ ex Laërtio,tum ex Athenæo. Altera quã citat ex ſelectis eius ſentẽtiis Cicero, γνώμη,iis verbis Græcè ſcripta eſt , εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου, καὶ ἀλγηδόνων, ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν, οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ,τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς. πάντοθεν ἐκπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν καὶ οὐδαμόθεν οὔτε τὸ ἀλγοῦν, οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν. Quę verba aliter ,ſed mendoſiſsimè,vt pleraque alia legũtur in impreſſo Laërtij codice. Sed & Latina verba,quibus hoc loco illa expreſsit Cicero variè in codicibus leguntur. Nam quum in vulgatis codicibus ſit ſcriptum , NIHIL hæreremus quin vndique complerentur,in veteri eſt, NIHIL haberemus , quum vndique complerentur. Germanicus verò habet ad marginem, NIHIL haberem quod reprehenderem,quum vndiq; complerẽtur. quę vera videtur lectio, meq;,

admonet vt pro ἂν μὲν in Laërtio legendum suspicer, ἔχωμεν. Locus enim ille depravatissimus est, vbi pro ἀσώτους legitur ἀσωμάτους, & pro ἔλυε, ἔλεγε. Aduerte autem Ciceronem μετεώρων retulisse ad Deos, quod etiam lib. 1. fecit: & propriè τοὺς ἀσώτους dixisse luxuriosos. Dicuntur enim, ait Festus, Luxa membra, è suis locis mota & soluta: à quo Luxuriosus, in re familiari solutus. Ita ἄσωτοι à Græcis dici videntur, παρὰ τὸ μὴ σώζειν τὰ ἑαυτῶν.

At ille non pertimuit, saneque fidenter, Istis quidem ipsis.

Est id appositè dictum & accommodatè ad Epicureos. Nam hoc Philosophorũ genus fidens sanè, & nihil tam verens fuit, quàm ne dubitare aliqua de re videretur, vt alio loco ait Cicero. Confugit autem Torquatus pro more Epicureorum, ad illam communem πρόφασιν & vsitatum locum, quod non quid dicat Epicurus, intelligamus. Sed eo reprehenso, sententiæ Epicuri absurditas explicatur, & cum reliquis eius decretis pugnantia.

Primum ita non religiosos, vt edant de patella.

Patellis sacrificio vasa accommoda significari indicat Cælius: vnde illud Ouidij in Fastis, Fert missos Vestæ pura patella cibos. Inde appellari Patellarios deos, qui patellis placarentur. Ex quo illud Plauti, Dij me omnes magni, minutiq; & patellarij. Eos ergo profert luxuriosos contra Epicurũ Cicero, qui neque mortẽ metuãt, cũ parati sint paulo pòst expleta voluptate de vita decedere: nec deos ita reuereãtur, quo minus è sacrificiis securi abripiãt quod libeat, quos certè nemo nõ improbare possit. Aut ergo falsa docet Epicurus aut absurda, & prçter omnium opinionem allata. Versus qui citatur, ex Hymnide Cæcilij petitus est, quæ non extat.

Iam doloris medicamenta illa Epicurea, tanquam de narthecio.

Dolor tanquam morbus animi est: ad quem sedandũ alij alia adhibuerunt medicamenta, è philosophiæ fontibus petita. Epicuri medicinæ sunt his verbis inclusæ, Si grauis dolor, breuis: si longus, leuis est. quæ quidem ab Aeschylo trãstulisse Epicurum scribit Plutarchus. Aeschyli verba sunt, Εἰ γὰρ ὁ μέγας καὶ σώφρος, οὐ παραμένει πόνος· Οὐκ ἔστι μέγας, ὁ παραμένων, οὐδὲ δυσχερὴς τέρψις. Cæterùm Narthecium appellat thecam medicamentorum, Martialis,

Artis ebur medicæ narthecia cernis: habebis
Munera quæ cuperet Pactius esse sua.

Est autem νάρθηξ ferula, cuius semẽ ait Plinius morbis quibusdam succurrere, & eius lignum seruandis medicamentis accommodatum est.

Nolim enim mihi fingere asotos, vt soletis, qui in mensam.

Quos modo asotos, suprà vocauit Latinè luxuriosos. Quorum duo genera sunt. Alij impudẽtes, quique vltra modũ sese cibis & potionib⁹ infarciũt, qui perpetuos dies conuiuantur, κατατρίχοντες, vt est apud Athenæum, τὸν βίον, διασπάζοντες τὴν οἰκίαν, λαφυγμοπωλοῦντες τὰ ὑπάρχοντα, σκοποῦντες οὐ τί δεδαπάνηται, ἀλλὰ τί δαπανήσεται, οὐδὲ τί πράξαι, ἀλλὰ τί οὐ πράξαι, ἐν τῇ νεότητι τὰ τοῦ γήρως ἐφόδια προκατακλίσαντες, χαίροντες τῇ ἑταίρᾳ οὐ τοῖς ἑταίροις, καὶ τῷ οἴνῳ οὐ τοῖς συμπόταις. Alij paulo pudentiores, qualem posteà L. Thorium Balbum describit, qui exquisitis abundant voluptatibus, sed ita vt rationem habeant valetudinis, qui aptis vtuntur exercitationibus, qui eo cibo vescuntur, qui & suauissimus sit, & idem facillimus ad concoquendum, vinóque non medicamentis corrupto, sed natiuo vtuntur, & ad voluptatem vtuntur, cauentque ne noceat, cætera adhibent quæ valent ad dolorem omnem amouẽdum, vitam denique agunt confertam voluptatum omnium varietate. Vtrunque genus si absit metus Deorum ac mortis, & dolor, iucundè putat viuere Epicurus: Cicero non modo prius illud genus, quod non est controuersum, ve-

rum etiam posterius bene beateque viuere non posse probat.

Qui solem, vt aiunt, neque occidentem vnquam viderint, nec orientem.

Athenæus lib. 12. Sybaritarum dictum quoddam refert, vnde hoc prouerbium ductum videri possit, ὅτι τὸν βουλόμενον ἐν Συβάρει μὴ πρὸ μοίρας ἀποθανεῖν, οὔτε δυόμενον, οὔτε ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον ὁρᾶν δεῖ, id est, Qui velit ante diem fatalem apud Sybaritas non mori, is neque occidentem solem videre, nec orientem debet. Cuius rei causam ait esse, quòd eorum ciuitas in humili loco sita sit, atque ideo æstate mane ac vesperi frigus immensum sentiant: meridie verò æstum intolerabilem. Cicero satis indicat in eos dici solitum, qui in conuiuiis totos dies agunt.

Quibus vinum diffusum e pleno sit œnophoro, vt ait Lucil.

Lucillij opera interciderunt, ex quibus hunc deprauatum locum emendare licuisset. Proprerea, nisi ex coniectura, cùm etiam vetera exemplaria corrupta sint, locus corrigi non potest. Ac dum meliora aliquis proferet, eam sequatur lectionẽ, quã coniectura elicit Aldus F. ex Plinio & Martiale, vt pro eo, CVI NIHIL dempseritius, & sacculos abstulerit, legamus, CVI NIHIL dempserit nix, & sacculus abstulerit. Solebant enim per sacculos medicamentis plenos vinũ transfundere: aut niuem infundere, vt inde gelidius & frigidius esset vinum. Sic enim Martialis inquit ad suos ministros,

Sextantes, Calliste, duos infunde falerni:
Tu super æstiuas, Alcine, funde niues.

Quod sequitur, ARGENTVM Odrilitium, vetus codex habet, ARGENtum Corinthium locus, &c.

Nec ille qui Diogenem Stoicum adolescens, post autem Panætium.

Probat exemplo Lælij neminem propter voluptatem dictum fuisse sapientem: idcirco in voluptate summum non esse bonum ponendum. Sapientem enim suum omnes disciplinę beatum existimauerunt, quanquã alij aliis rebus instructũ fecerũt. Epicurus sapientem eum iudicat, qui cuiusuis generis voluptatum sit intelligens & copiosus, vt postea de Balbo ait: Itaque ex eorum numero vnum esse eum fingit, quibus Cato dicebat, referente Plutarcho, τὴν καρδίαν τῆς ὑπερῴας αἰσθητικωτέραν ὑπάρχειν. quò alludere mihi Cicero videtur. At verò longè alia de causa dictus est & habitus Lælius sapiens, vt sonant Lucilij versus, in quibus Lælium fecit loquentẽ Lapatho cœnare solitum, & exprobrantem luxuriam Gallonio gulæ suauitate, & ventris delectatione omnia metienti. Cuius Gallonij meminit quoque Cicero multis in locis, vt in Oratione pro Cecinna, pro P. Quintio, & aliquoties hoc lib. 2.

Lælius præclarè, & rectè sophos, illúdque verè.

In veteri codice est, Præclarè Lælius, & rectè sophos: illudque verè. Quę verba videntur non Lucillij, sed Ciceronis, qui approbet Lælij sententiam, rectéq; eũ sophon, id est, sapientem appellatum dicat: & non minus verè illud esse quod sequitur, De Gallonio Gumа, id est, vt Festus exponit, ingluuioso, quod nunquam bene cœnauerit, &c. Librarios apparet id non intellexisse, & vt versum facerẽt initio ferri pũsse Lælius. Miror tamen cur non etiam mutauerint vocem, illudque, cũ versui non conueniat. Quod sequitur, Acipensere quum Decumano, aliàs erat, accubãs ere cum Decumano, & ita habent veteres codices, sed vt habemus emẽdauit primus Philippus Beroaldus. Fuit autem Acipenser piscis habitus apud antiquos nobilissimus: quem nonnulli, vt ait Athenæus, ἔλλοπα dici Græcè arbitrantur, nonnulli γαλεόν. quem tradunt in cõuiuia inferri solitum à coronatis cum tibicinis cantu, quasi quãdam non deliciarum, sed numinis pompam. Huius Cicero in Dialogo de Fato meminit: Nam quum esset apud se ad Lauerniũ Scipio, vnaque Pontius, allatus est fortè Scipioni Acipenser, qui admodum rarò capitur. Sed est piscis, vt ferunt, in primis

nobilis. Quum autem Scipio vnum & alterum ex his qui eum salutatum venerant, inuitasset, pluresque etiam inuitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas: Acipenser iste paucorum hominum est. Hæc Macrobius Saturn. li. 3. cap. 15. Decumanum appellauit Lucilius prægrandem, & insignem magnitudine, vt antiqui Decumana omnia dici voluerunt magna, scuta Decumana, Decumanos fluctus, Decumanam portam, Decumanum limitem, &c.

Quid bene? Dicet Lucilius, Horto condito, sed cedo caput.

Pro horto, legendum est cocto. Epistolarum ad Atticum lib. 13. Locus est qui hūc explicat. sic autem habet, De Mamurra non mutauit, vnctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat. Itaque & edit, & bibit, ἀδεῶς, & iucundè: opiparè sanè, & apparatè: nec id solum, - Sed bene cocto, &

Condito sermone bono, & si quæris 'libenter. Id quod adnotauit Aldus F.

Rectè ergo is negat vnquam bene cœnasse Gallonium, rectè.

Exponit versum Lucilij, Es homo miser, inquit, Cœnasti in vita nunquam bene: docens aliud esse bene cœnare, aliud libenter. Qui opiparè viuunt & delicatè, ij libenter cœnant: qui frugaliter & honestè seruata ratione, ij bene. sic apud Platonem τὸ εὖ idem esse dicitur, quod τὸ καλῶς, καὶ δικαίως, quibus quod pertinet ad reliquas virtutes intelligimus. Contrà malè id factum dicitur, quod prauè & inhonestè geritur. Et certè ciborum suauitatem spernere ac omnino negligere, stupidi est & amentis, at in ea consectanda omne studium consumere, id demum vituperandū est, & fugiendum.

Quomodo autem Philosophus loquitur tria genera cupiditatum?

Cupiditatum diuisionem lib. 1. à Torquato expositam reprehendit: quòd non rectè in tria genera tribuat, quæ duobus contineri possint: alterius generis partibus cum genere confusis. Primū enim quas duas partes fecit Epicurus, & post eū Torquatus, vno genere colligere debebat: deinde ipsum deinceps si videretur partiri ad hunc modum: Cupiditatum aliæ naturales sunt, aliæ inanes: deinde naturalium aliæ necessariæ, aliæ non necessariæ. Quod autem ait, hoc esse non diuidere, sed rē frangere, id Socrates in Phædro Platonis vitandum esse in omni disputatione proponit: sic enim ex duobus alterum explicat faciendum, alterum declinandum, τὸ κατ' εἴδη διατέμνειν κατ' ἄρθρα ᾗ πέφυκε, καὶ μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνύναι μέρος μηδέν, κακοῦ μαγείρου τρόπῳ χρώμενον. Cæterum cupiditatum naturalium ante Epicurum tum Plato, cum Aristoteles meminerunt: apud quos rectius & aptius eæ in partes distribuuntur. Vbi alij codices habent, D E V I S I T ineleganter, vetus ille habet, D I V I S I T negligēter: illud tamen verum esse videtur propter ea quæ paulò pòst sequuntur, I N H A C diuisione rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero. Mox vbi alij, Q V I S I diceret cupiditatum esse duo genera, naturales & inanes: naturalium item quoque duo, necessarias & nō necessarias, Germanicus aliā ad marginem lectionem habet adscriptam, cuius vestigia in codice veteri extant. sic Germanicus, Q V I H A E C dixerūt, quę ille contemnit, sic solent: Duo genera cupiditatum natur. & inan. Naturalium duo, necessariæ & non necessariæ. Antiquus verò, verba quædam omisit, sed quę reliqua sunt, conueniunt, Q V I H A E C & inanes naturalium duo, necessariæ, & non necessariæ: deinde sequitur, C O N F E C T A res est.

An cupiditas potest finiri? tollenda est atque extrahenda radicitus.

De sententia Stoicorum loquitur, qui τὰ πάθη, id est, perturbationes, opiniones esse censuerunt & iudicia leuitatis, vt dicetur lib. 3. easque omnes in malis esse, ob idque omnino esse tollendas & extrahendas. Aliarum disciplinarum Philosophi, &

præsertim Peripatetici, eas in natura initium habere voluerunt: vnde non extrahẽdas eas, sed moderandas esse censuerunt: vtiliter enim à natura datas esse. Iracundiam, quam cotem fortitudinis esse dicunt, ad excitandos in hostem & improbum ciuem vehementiores impetus: itemque cupiditatem ad summam vtilitatem à natura datam: quòd Philosophiæ Principes & aliis rebus addicti, nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere posint, vt est latius scriptum Tusculan. 4.

Sed tamen ex eo quod eam voluptatem, quam omnes gentes.

Pugnantia Epicurum loqui docet: nimirum dum vllum negat se intelligere bonum, detracta illa sensuum ἡδυπαθείᾳ: dumque non dolere statuit esse τὸν ὅρον τῆς μεγέθους τῶν ἡδονῶν. Si enim alia est illa voluptas, quæ in motu est, alia quæ in stabilitate, vt idem sentit: profectò, quod minimè vult Epicurus, aliud intelligere licet bonũ, pręter illam sensus iucunditatẽ. appellabat autẽ καταστηματικὴν ἡδονὴν ἀταραξίαν, ἀοχλησίαν, καὶ ἀπονίαν, doloris & molestiæ omnis amotionem. ita à contrariis sequebatur, ἀηδίαν ἢ ἀνηδονίαν, maximũ esse dolorem, quod minimè vult Epicurus. Quid autem aduersetur voluptati, quid dolori, licet apud Aphrodisiensem Alexandrum videre lib. 4. ἀπορειῶν καὶ λύσεων.

Cætera addit, quæ si appelles honos præfandus sit.

Miram verecundiam præ se fert, quum tantum dixerit Epicurus, τὰς δὲ ἀφροδισίων ἡδονάς. sed ea multum valet ad contemptum disciplinæ, & inuidiam authori creandam. Vbi vulgo codices habent, HONOS præstandus] vetus ille habet, HONOS præfandus] quod verum videtur.

Eodem authore non desideremus, quum dolore careamus, quanquã.

In vetusto est, QVAM HAEC sunt contraria! & ita Germani ad marginẽ libri sui scripserunt. Epicurus In Epistola ad Menœceũ, scribit omnes nostras actiones cò referri, vt sine corporis dolore & animi molestia viuamus: quam quidem rem, si semel nacti fuerimus, λύεται, inquit, τῆς ἡδονῆς δόμισθαι: quæ profectò cõtraria iis sunt quæ de suauitate sensuum dixit, in qua solum bonum ait se intelligere posse. Atque eæ sunt, eius qui dialecticam contempsit, quique eius professores irrisit, ruinæ: quæ quidem contemptio illum in has angustias inuexit, modò huc, modò illuc sese vertentem, & inde nunquam se extricantem, quod παρεγκλίνοντος in salebras incidere dicitur. Sunt autem Salebræ fluminum aut viarum obstacula, à saltu, vt volunt, dicta: quod idem non multo ante dicebatur, In magnis versari angustiis, & post, Hęrere in salebra. Quod sequitur, QVAM NEMO vnquam voluptatem appellat] in vetusto codice ita scriptum est, QVAM NEMO vnquam voluptatem appellauit, appellat.

Interdum ita extenuat, vt M. Curium putes loqui: interdũ ita laudat.

Ἀναλογίαν Epicuri reprehendit, qui modò illam in suaui & dulci motu positam voluptatem criminatur, modo eandem quasi sui oblitus probat. M. Curius Dẽtatus vir insignis frugalitatis fuit & modestiæ: qui aliquando legatis Samnitum auri pondus offerentibus, quum ipse rapam in foco torreret, Malo, inquit, hanc in fictilibus meis edere, & aurum habentibus imperare. Censores erãt, vt ait Plutarchus, rebus maximis & curam diligentem requirentibus præfecti magistratus: veluti ędibus sacris ac publicis moribus ac viuendi generibus regendis & bene instituendis, ἐξετάζει, vt est apud Suidam τὴν πολιτικὴν διαιτημάτων πρὸς τὸ σώφρον καὶ ἀρχαιότροπον ἰχάσκ τῶν πολιτῶν περιφροντις τὸν βίον. quod etiam indicat extremo tertio de Legibus Cicero, vbi eos vult facta hominum obseruare, ad legésque reuocare: & in quadam Epistola ad Appium Pulchrum, eosdem magistros morum appellat. Sunt

autem Censores, ait Festus, ob id dicti, quòd rẽ suam quisque tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint.

A primo, vt opinor, animantium ortu petitur origo summi boni.

A'πόδειξιν, qua secundum Epicurum à prima animantium appetitione voluptatem Torquatus summum bonum esse probabat, refellit: docẽs neutram Epicuri voluptatem inde posse colligi finem esse bonorum. Illa enim quam summam ducit, posita in non dolendo, paruulos mouere non potest: idcirco ne illam quidem expetunt. Alteram verò, quæ est in motu, & sensum suauitate demulcet, si pueri expetãt, eam non propter voluptatẽ expetunt, sed se suumque statũ tuendi causa. QVANQVAM multum vitiosa] in veteri est, QVAM MVLTA vitiosa. Paulo pòst, NEC VLLVM habet ictum, quo pellat animi statum hîc nõ dolendi] melius alij libri habent, NEC ILLVM habet ictum, quo pellat animũ status hîc nõ dolendi.

Bestiarum verò nullum iudicium puto.

Non modo in ratione Epicuri malè conclusum est, sed & ea quę sumpta fuerũt, falsa sunt. Bestiis enim quod tribuitur iudicium, id nullum est, sed commentitiũ. Cõsilium enim sine ratione consistere nusquam potest, vt nec προαίρεσις. Ideo Aristoteles bestiis hanc detrahit ἐν τῷ μεγάλων ἠθικῶν α, & 7. de moribus ad Nicomachũ, de bestiis loquens, οὐ γὰρ, inquit, προαίρεσιν ἔχει, οὐδὲ λογισμὸν, ἀλλ' ἐξέστηκε τῆς φύσεως. Item illa infantium prima motio naturæ, tametsi voluptatem sequi videatur, aliò tamen referri debet, nempe ad sui conseruationem: aut si ne aliò quidem, alia certè primæ ætatis facta & quasi inuitamenta naturæ sunt etiam spectanda: quæ profectò indicãt ad rem maiorem, quàm sit voluptas, nos esse natos. Quę disputatio lib. 5. latius tractabitur.

Omne enim animal simul vt ortum est, & seipsum.

Locus iste de virtutum initiis in prima animantium ætate perspectarum celebratissimus est apud hunc authorem. Est enim non modo in singulis his quinq; de Finibus libris tractatus, sed etiam in libro de Officis, & in de Legibus. Quos omnes locos & ad sermonis copiam elegantiamque, & ad rerum vberrimam intelligendam disputationem, inter se comparare non inutile fuerit. De his autem primis naturæ luminibus, sparsas reperire licet disputationes apud Aristotelem, cùm in aliis, tùm potissimum in libris de animalium partibus. Ex huius autem disciplina natam esse asserit alio loco Stoicorum summi boni collocationem, in conuenienter naturæ viuendo. ANIMVM scilicet & corpus.] in veteri non est scriptum illud, scilicet.

Nihil verò putare esse præter voluptatem, non membra, non sensus.

Ad hæc verba, & quæ non multo ante præcesserunt de voluptate eò referenda, vt integri saluique simus, pertinet disputatio quædam, quæ est apud Aphrodisiensem ἀποριῶν καὶ λύσεων libro quarto, cuius partem hic ascribemus, μάλιστα δ' ἂν διακρίνοιμεν τοῦτο, εἰ τῇ φύσει ἐπακολουθήσαντες κατανοήσαιμέν τι καὶ λάβοιμεν πότερον ποτέρου χάριν ἡ φύσις ἡμῖν εὐθὺς γενομένοις ἔδωκε, τὴν εὐεργεσίαν διὰ τὴν ἡδονὴν, ἢ τὴν ἡδονὴν διὰ τὰς εὐεργεσίας. ἀλλὰ μὴν γνώριμον, τὸ τὴν ἡδονὴν τοῖς ζῴοις διὰ τὰς εὐεργεσίας ὑπὸ τῆς φύσεως δεδόσθαι ἢ μᾶλλον σώζεσθαι. ἀδύνατον γὰρ αὐτοῖς μὴ τρεφομένοις ζῆν. διὸ τὴν ἐπὶ ταῖς τροφαῖς ἡδονὴν ἔχομεν παρ' αὐτῆς, δι' ἣν ἡδονὴν ζητοῦμέν τι τὴν τροφὴν μὴ παροῦσαν, καὶ παρούσῃ χρώμεθα, τὴν ἀπὸ τῶν βελτιόνων ἀσχολίαν γινομένην ποτὲ διὰ ταύτης παραμυθούμενοι. παντάπασιν γὰρ ἄτοπον τὸ λέγειν τρέφεσθαι ἡμᾶς, μὴ ὡς σωθησομένους διὰ τούτου, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἡδονῆς τῆς ἐπ' αὐτῷ. Quorũ verborum sensus est, In primis autem id diiudicare licebit, si duce natura perspiciamus animoq; cõprehendamus, vtra alterius causa nobis simul vt orti sumus, natura sit at-

tributa, Actióne propter voluptatem, an verò voluptas propter actiones. Atqui nemo non intelligit, voluptatem animantibus à natura propter actiones tributam esse, per quam integra se saluaque conseruent. Nam fieri non potest, vt, nisi nutriantur, vitam tueantur suam: inde insita in nobis est ea, quæ ex alimentis percipitur voluptas. qua nos incitati alimentum quum non adest inquirimus: eóq; præsenti vtimur, vt laborem melioribus in rebus nonnunquam insumptum mitigemus, ac eius dulcedine leniamus. Absurdè enim dixerit quis nos ideo alimentis vti, non vt ita conseruemur, sed vt eorum voluptate vescamur.

Ergo nata est sententia veterum Academicorum & Peripateti.

Veteres Academici & Peripatetici iidem multis in locis Ciceroni dicuntur, nimirum ab vno Principe Platone profecti: posteà tamen diuisi, aliis atque aliis succedentibus Scholæ discipulis. Ii autem in bonorum fine, quod totius philosophiæ caput est & initium, & in quo si peccetur, tota ratio philosophiæ labitur, idem fermè senserunt: nempe id esse bonorum extremum voluerunt, naturæ congruenter viuere, ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν siue κατὰ φύσιν ζῆν: quod interpretati sunt, natura duce, ex virtute viuere. Posteriorum verò Philosophorum, alij ad eum finem quicquam adiungendum arbitrati sunt, hi voluptatem, illi vacuitatem doloris. Alij simplex extremum, prętermissis honestis, duntaxat amplexati sunt: vt qui solam voluptatem, vt qui indolentiam, vt qui tantum prima quæ sunt secundum naturam. Stoici porrò dũ statuunt extremum secundum naturam viuere, aliter atque aliter interpretãtur. Zeno, ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ κατ' ἀρετὴν ζῆν: Chrysippus, κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, Diogenes stoicus, εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ. quæ tria recenset Cicero. Carneadi summum bonũ visum est, τὸ τυγχάνειν τῶν πρώτων κατὰ φύσιν. In hac autem Philosophorum comprehensione annumerandi non fuerunt idcirco Pyrrho, Aristo & Herillus, quòd rerum delectum omnem abstulerint: atqui sublatis officiis sapientia simul aufertur, & virtus omnis.

Eligente ea quæ essent secundum naturam, reiicienteque contraria.

In veteri codice est, ELIGENTEM EA quę essent secundum naturam, reiicientemque contraria. Qua forma loquendi vsus est quoque Cic. lib. 4. Viuere adhibentem scientiam earum rerum quæ natura euenirent. Et paulo pòst eodẽ libro, Officia omnia media aut pleraque seruantem viuere, & iis quæ secundum naturam sint faciẽtem viuere. Quod à Græcis loquendi genus sumpsit Cic. Sic enim dicunt, πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν. Præterea lib. 3. eadem hæc verba repetita sunt, quæ ita illic in omnibus, quos viderim, leguntur codicibus, vt hoc loco legenda contendimus. Verba sunt, RELINQVITVR, vt summum bonum sit viuere scientiam adhibentem earum rerum quæ natura eueniant, seligentem quæ secundũ naturam, & si quę etiam cõtra naturam sunt, reiicientem. Quod illic dicit, VIVERE scientiam adhibentem earum rerum, quæ natura eueniant, hic profert, VIVERE cum intelligentia earum rerũ quæ natura euenirẽt. Verbum, INTELLIGENTIA, dum ad voces, eligẽtem & reiicientem, referri librarij putauerunt, casum mutauerunt.

Reliqui sibi constiterunt, vt extrema cum initiis conuenirent.

Ex singulis vocibus, ait alicubi Cicero, Philosophi spectãdi non sunt, sed ex perpetuitate & constantia. Debet enim apud Philosophos, quorum nomen celebratione dignum futurum sit, talis esse contextus rerum, vt respondeant extrema primis, media vtrisque, & omnia omnibus, vt quid sequatur videant, quídque repugnet. Id verò contempsit Epicurus, qui quàm sibi constaret conuenientérque diceret, nò laborauit. Ita quæ vno loco ab eo confirmantur, eadem aliis eius scriptis refutãtur. talia quædam Tusculana quinta commemorat de eo Cicero. Ex quo fit vt inconstans

& instabilis sit eius disciplina. In collocatione summi boni modò agnoscit solùm esse bonum, motum sensibus iucundum, modò doloris amotionem in fine bonorũ ponit. quæ certè simul constare non possunt.

Nam quod ait sensibus ipsis iudicari uoluptatem bonum esse.

Negabat Epicurus vllam rationem requiri debere in constituendo summo bono, præter sensus, vt vult, incorruptos, & veros iudices. At contra sentiũt omnes, qui legitimè philosophati sunt. ἀπάτης μὲν, inquit Plato, μεστὴ ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων σκέψις, ἀπάτης δὲ ἡ διὰ τῶν ὤτων, καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων, quibus significat eã, quæ oculis dirigatur inuestigationem erroris plenam esse, plenam etiam quæ auribus, quæque cęteris sensibus. Aristoteles tametsi in iis quæ propria sunt cuiusque sensus falli neget, tamen cùm de communibus iudicium adhibendum est rebus, eorum omnino non admittit iudicium, vt fallax & captiosum. Verum est quidem oculos integros iudicare hoc atrum, illud candidum: tangendi sensum, calidum illud, hoc frigidum: at iste motus suauis qui sensibus adfertur, sitne in bonis nécne numerãdus, ne significare quidem possunt. Ad alios igitur iudices est prouocandum. Cæterũ quæ legibus decreta sunt, in genere decreta sunt. Neque enim leges singulis de rebus ferri potuerunt. de quibus autem statuunt, de iis aliter iudicare non licet, nisi æquitatis habeatur ratio. De quibus non statuunt, non omnino in iis nostri sensus, qui fallax est, sequendum est iudicium: sed accommodatè conuenienterque iis quæ iam decreta & statuta sunt, semper est agendum.

Quam igitur pronunciabit sententiam ratio? adhibita primum.

Remotis Epicuri veritatis æstimatoribus sensibus, alium synceriorem & incorruptiorem iudicem adfert, nimirum rationem: quam vult optimis adiunctis consultricibus artibus & scientiis, adiunctis item rerum omnium reginis virtutibus, verè de constituendo bonorum & malorum fine statuere. Atque ea est omnium saniorũ philosophorum sententia: Aiunt enim rationem deprecari ad optima, & rectam rationem causam esse omnium virtutum. quæ quidem vera esse possunt, si accipiantur de rebus rationi subiectis, id est, de politicis & œconomicis, non autem de spiritualib^9. Ita cùm finem bonorum aliquem statuit ratio, finem intelligamus ciuilem, & œconomicum: quem si minus accipere possimus, eum ipsum repudiemus. Nam in spiritualibus, qualia pertinent ad nostrã, id est, veram religionem, planè cæcutiũt Philosophi, & animales, vt eos vocat D. Paulus, homines. Quid ergo statuet ratio, in quo bonum extremũ esse velit? non certè voluptatem, quę homini cum beluis communis est. Debet enim proprium esse homini, nõ commune cum aliis, eius summum bonũ. Non indolentiam, non item prima naturæ initia: quæ comitantur, non finiunt summum bonum. Ergo ad honestatem fugiet, id est, ad virtutis actionem. Hactenus ratio, non enim superius ascendere potest, vt ad Deum qui summum est hominis bonum verè accedat. Eorum autem qui honestum summum arbitrantur esse bonũ, duplex fuit sententia. Stoici enim nihil præter honestum in bonis ducunt, sed reliqua omnia aut ad vitam beatam nihil valere, aut quia eorum sunt aliqua digna æstimatione, præponenda esse, non expetenda. Veteres tum Academici, tum Peripatetici honestum illi quidem propter se & ante omnia expetendum ducunt, in eoq; vitam ponunt beatam: sed compleri debere primis illis quę sunt secundum naturam, & vitæ omni prosperitate, arbitrantur. Quæ Philosophorum in verbis modò, non etiam in rebus dissensio est, vt quarto & quinto huius operis libro docebit Cicero.

Quæ potest appellari ritè sapientia.

Diuinarum rerum etsi scintillas quasdam Deus in animis inseruit, tamen ita eæ corruptæ sunt, vt planè in tantis rebus cæcutiant etiam sapientissimi. Et tamen in tanta ignorantiæ caligine, quod assequi minimè Philosophi potuerunt, aliis id asse-

quendum proposuerunt: & inuenti sunt qui sibi rem tantam arrogarint, sese dum nuncupant sapientes. Sapientiam enim sic definiebant, vt scribitur Tuscul. 4. vt esset rerum diuinarum & humanarum scientia cognitioque, quæ cuiusq; rei causa sit, ex quo efficiatur, vt diuina imitetur sapiens, humana omnia inferiora virtute ducat. Qui enim sapientis nomine sese appellat, is sapientiam habeat necesse est. Ita hoc loco, adhibita, inquit, scientia rerum tum diuinarum, tum humanarum, ratio finem bonorum rectè constituet. Præclarè, si tantam rerum cognitionem assequeretur per se ratio quod quia non potest, quisque sua secutus est cogitata, & figmēta. Hinc tam variæ extiterunt de summo bono sententiæ.

Huius ego nunc authoritatem sequens idem faciam.

Philosophorum summi boni explicationes singulatim discutit, omnes eas repudians quæ ab honesto seiunguntur. Breuiter autē singulas percurrit, donec ad Epicuream peruenit, quam examinandam potissimum nunc sibi proposuit. Aristippi prima est, qui Cyrenaicorum princeps fuit. Is ἡδυπάθειαν, id est, corporis voluptatem, siue motum sensibus iucundum, finem bonorum & extremum esse voluit, in eóque vitam beatam cōstituit: reiecit autē eius schola Epicuri ἀταραξίαν siue ἀοχλησίαν: negauitq; quicquā nisi quod adsit quodq; præsens sit in voluptate numerandū. præteritas enim voluptates, aut futuras, quas libenter amplectebatur Epicurus, cùm illæ iam non sint, hæ nondum adsint, incertæque sint, ad nòs nihil pertinere. At is cum suis reprehenditur, quòd non rectè hominis naturam perspexerit, cuius conformatio constitutioque ad aliam rem eum natum esse confirmat. Aristotelis verba sunt apud Plutarchum, ἀναγκαῖον τὸν τέλειον ἄνδρα καὶ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων. Quod Chrysippus arripuit. βίων δὲ, inquit, τριῶν ὄντων, θεωρητικοῦ καὶ πρακτικοῦ καὶ λογικοῦ, τὸ τρίτον αἱρετέον, γεγονέναι γὰρ ὑπὸ τῆς φύσεως ἐπιτηδὲς τὸ λογικὸν ζῷον πρὸς θεωρίαν καὶ πρᾶξιν.

Nec verò audiendus Hieronymus, cui summum bonum est.

Secunda summi boni explicatio, quæ est Hieronymi Rhodij Peripatetici, tāetsi hac in re Peripateticos prodiderit, posita est in non dolēdo siue in doloris priuatione: quanquam Lactantius duo genera faciat summi boni, priuationē doloris, & non dolere omnino. Reprehenditur hæc finis constitutio, quod κατὰ στέρησιν, id est, in re nihili, non κατὰ ἕξιν, in firma & constante re, bonum extremum posuerit. Ac priuationem doloris summum bonum putare, ait Firmianus, nòn planè Peripateticorum ac Stoicorum, sed Cynicorum Philosophorū esse: quod vult ab ægrotis, & in aliquo dolore positis esse disputatum. Deinde subdit aliquanto pòst, Ab hac vanitate non longè abfuit, qui omnino nihil dolere summum bonum dixit. Nam præter quòd omne animal doloris est fugiens, qui potest sibi hoc bonum præstare, quod nobis vt eueniat, nihil aliud possumus quàm optare? Tertia Carneadis non tam constituta, quàm proposita, in primis naturæ principiis vertitur. At illi primi aditus ingressusque nō satis habent dignitatis, vt summum bonum contineant. Et hę quidem simplices tres sunt summi boni constitutiones. QVIBVSCVM bellum gerebat, opponeretur,] vetus, OPPONERET, quod etiam Germani ad codicis marginem adscripserunt.

Nam qui ad virtutem adiungunt vel voluptatem.

Bona extrema iuncta fecerunt Callipho, & Diodorus. ille ad honestatem, voluptatem: hic, doloris vacuitatem adiunxit. Verum pariter probabiles eæ non sunt, vt in eodem gradu cum virtute sint comparandæ: superior enim est honestas voluptate, & indolentia. Quòd si adiungere honestati duas illas voluerimus, adiungenda erunt eadem sententia & ratione etiam alia, quę naturę conueniunt. Nec dubium est, quin isti communionē illam voluptatis & indolētiæ, quę est hominū cum beluis,

effugere voluerint: ideo affixerunt honestatem, quę beluis non est communicabilis: sed effecerunt, ait Lactantius ille Firmianus, repugnans bonum. quoniam qui voluptati deditus est, honestate careat necesse est: qui honestati studet, voluptate. Nec refert, an indolentiam dicas, cùm res eadem sit, sed mitiori verbo, minúsque odioso explicata.

Quæ quum Aristoni & Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo.

Finem posuit Aristo Chius, τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, μηδ᾽ ἡντινοῦν ἐν αὐτοῖς παραλλαγὴν ἀπολείποντα, ἀλλ᾽ ἐπίσης ἐπὶ πάντων ἔχοντα id est, Pro nihilo existimantem quæ inter virtutem & vitium media sunt: nec vllũ in ijs discrimen relinquentem, sed omnia exæquantem, vitam agere. Eiusdem Aristonis de virtute sententiam refert Plutarchus, Ἀρίστων δὲ ὁ Χῖος τῇ μὲν οὐσίᾳ μίαν καὶ αὐτὸς ἀρετὴν ἐποίει, καὶ ὑγίειαν ὠνόμαζε, τῷ δὲ πρός τι πως διαφόρους καὶ πλείονας. Herillus verò Carthaginiensis extremum bonum dixit esse τὴν ἐπιστήμην, ὅπερ ἐστὶ ζῆν ἀεὶ πάντα ἀναφέροντα πρὸς τὸ μετ᾽ ἐπιστήμης ζῆν, καὶ μὴ τῇ ἀγνοίᾳ διαβεβλημένον, τὰ δὲ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀδιάφορα εἶναι, id est, Viuere, omnia eò referentem, vt cum scientia viuat, & ignoratione non decipiatur: quæ verò interiecta sunt ter virtutem & vitium, indifferentia esse.

Vnum quoddam bonum vidit, sed nec optimum, nec quo.

Quia scientiam alterius rei gratia homines appetunt, non propter ipsam: Artes enim ideo discuntur vt exerceantur, exercentur autem vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem vel gloriam: ideo concludit Firmianus hominis summum bonũ esse nõ posse. Deinde docet, quàm vitiosa sit ad vitam tuendam, & Remp. gubernandam ea sententia. Præterea, inquit, non mediocre huius disputationis est vitium, quod sciẽtia nuda ponitur. Incipient enim beatiores videri, qui artem aliquam scierint: imò verò qui & res malas scierint: vt tam beatus sit, qui venena didicerit tẽperare, quàm qui mederi. Quæro igitur, ad quam rem scientia referenda sit: si ad causas rerum naturalium, quæ beatitudo erit mihi proposita, si sciero vnde Nilus oriatur, vel quicquid de cœlo Physici delirant? Quid, quòd earum rerum non est scientia, sed opinio, quæ pro ingeniis varia est? Restat vt scientia bonorum ac malorum, summũ bonum sit. Cur ergo scientiam maluit, quàm ipsam sapientiam summum bonum dicere, cùm sit vtriusque significatio & vis eadem? Nemo tamen vsque adhuc summum bonum dixit esse sapientiam. quod melius dici potuit. Nam scientia parum est ad bonũ suscipiendum, malumq́; fugiendum, nisi accedat & virtus. Multi enim Philosophorum, cùm de bonis, malisque differerent, aliter tamen quàm loquebantur, natura cogente vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autẽ cum scientia coniuncta est sapiẽtia. Quæ Lactantij verba adscribere malui, quòd hunc locum exponant, quàm alia meo marte fingere.

Nam cum Academicis incerta luctatio est, qui nihil.

Academici censebant nihil oportere, aut profiteri, aut affirmare, aut assensione approbare, sed iubebant cohibere semper, & ab omni lapsu continere temeritatem: quæ tum esset insignis, quum aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quicquam esset turpius, quàm cognitioni & perceptioni assensionem, approbationémque pręcurrere. Hæc Cicero in Academicis latius persequitur. Academicorum, inquit Galenus, proprium est τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν πλὴν τῆς εἰς ἐποχήν. Vocabant autem ἐποχήν, ὡς ἂν εἴποι τις ἀοριστίαν, ὅπερ ἐστὶ περὶ μηδενὸς πράγματος ὁρίσασθαι, μηδὲ ἀποφαίνεσθαι βεβαίως. Dictũ eorum idem refert, κατάληπτον μηδὲν εἶναι, ἀλλὰ πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι. Ortum eorũ indicat Lactãtius. Academici, inquit, cõtra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam: & exẽplis pau-

carum rerum incomprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantiam, tanquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Verũ non viderunt in medio constitutam fore scientiam, quæ illos ad sapientiam transmitteret. Atq; est hoc ab Arcesila introductũ genus Philosophiæ ἀσύστατον, quod Latinè instabile siue inconstans possumus dicere.

Cum Epicuro autem hoc plus est negocij, quòd è duplici genere.

Simplex nomine non etiam re, bonum posuit Epicurus. Adiunxit enim Hieronymi summum bonum, id est, indolentiam, ad Aristippi motionem sensibus iucundam: quæ duo vno voluptatis nomine cõplexus est, idcirco alicubi inter simplices de Finibus bonorũ sententias M. Tullius hanc Epicuri enumerat. Nunc contra eã dicere aggreditur, prius ostensa confutandi difficultate, propter fautorum disciplinæ huius multitudinem. quæ disciplina cur tam multiplicata sit, libro primo dictũ est. Cæterum Epicureorum nomen, quantũuis multi fuerint, semper apud probos & sani indicij homines malè audiit: malebántq; homines Epicurei vita & moribus esse, q̃ dici ac videri. Propterea parũ admodũ nominis huius valuit authoritas, quã virtutis splendor, & vitæ integritas solet commendare: quam quidem isti homines, nisi sit voluptatis efficiens, non quærendam esse iudicarunt. MAXIMAM VIM cum illis populis facit] vetus codex habet, MAXIMAM VIM populus cum illis facit] & eam lectionem Germani etiam adnotarunt.

Quam quidem certationem homo & acutus, & diligens Chrysip.

Idem dicit in Academicis, Vnum igitur par quod depugnet reliquum est, voluptas cum honestate: de quo Chrysippo fuit, quantũ ego sentio, non magna contẽtio. Discrimen hoc loco interpretatur Nonius, diuisionem, separationem, citátq; hanc sententiam, & legit, IN EAM RERVM comparationem positum putat, pro eo quòd habemus, IN EADEM rerum comparatione.

Ego autem existimo si honestum aliquid ostendero, quod sit ipsum.

Honestum omne propter voluptatem expetendum esse vult Epicurus. Qui ergo honestum propter se & non alterius causa expeti probauerit, is totam euerterit summi boni in voluptate collocati rationem. Debet enim id quod extremũ bonorum statuitur, tale esse, vt sua vi suaque natura sit expetendũ, nusquamq; aliò referatur. Quod vt efficiat ab honesti definitione proficiscitur, cuius vim in animis hominum insitam esse, à studiis & factis comprobat. Quod autem multis verbis dicit de honesto, id paucis Plato expressit, ἀγαθὸν τὸ αὐτῷ ἀρκεῖ, & Aristoteles, δι' αὐτὸ αἱρετὸν, siue ἐπαινετὸν appellat, & Stoici τὸ καλὸν definierũt τὸ πρὸς τὴν ἑαυτοῦ χρείαν συμμέτρως ἔχον.

Vbi si memoria fortè defecerit, tuum est vt suggeras.

Manu scriptus habet duntaxat pro illis, NISI VBI memoria fortè defecerit. Vtrum sit verius, iudicent eruditiores. Certè non solet aduersarius ei qui cõtra disputat locos indicare, quos maximè vult intactos & minimè refutatos. Eandẽ lectionẽ inuenerunt Germani in suis codicibus, vt ad marginem libri eius quem ediderunt, adnotarunt.

Homines enim etsi multis aliis, tamen hoc vno à bestiis.

In natura hominis honesti fontes inuestigat, quod in partes quatuor fusum est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam: quæ & totidem verbis Platoni efferuntur, φρόνησις, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη. Sumptum est initium à differentibus hominum cum beluis. Qui locus etiam principio Officiorum iisdem penè verbis expositus est: Homo qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, simili-

tudines comparat, rebúsque præsentibus adiungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, &c. Plato in Theæteto, ἀναλογιζομένη ἐν ἑαυτῇ τὰ γεγονότα καὶ τὰ παρόντα πρὸς τὰ μέλλοντα. & mox, τὴν δὲ γε οὐσίαν καὶ ὅ, τι ἐστὸν καὶ τὴν ἐναντιότητα πρὸς ἀλλήλω, καὶ τὴν οὐσίαν αὖ τῆς ἐναντιότητος αὐτὴ ἡ ψυχὴ ἐπανιοῦσα καὶ συμβάλλουσα πρὸς ἄλληλα κρίνειν πειρᾶται ἡμῖν. In Epitaphio, ἐξελέξατο δὲ τῶν ζώων καὶ ἐγέννησεν ἄνθρωπον, ὃ συνέσει τε ὑπερέχει τῶν ἄλλων, καὶ δίκην καὶ θεοὺς μόνον νομίζει. Similia extant apud Polybium, lib. 6.

Eademque ratio facit hominem hominum appetentem, cumque his.

Eademque natura, ait in Offic. vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem: ingenerat in primis præcipuum quendam amorem, in eos qui procreati sunt, impellitque vt hominum cœtus & celebrationes esse, & à se obiri velit. Sic enim habet vetus noster codex. Quæ est iustitiæ fundamentorum circũscriptio. Locus ex Platonis Epistola ad Archytam Græcè ita habet, ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐκ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν, τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. qui etiã in Officiis citatur. Sed quoniam (vt præclarè scriptum est à Platone) non nobis solùm nati sumus: ortúsque nostri partem patria vendicat, partem amici. CVRRAT lõgius) vetustus codex, SERPAT longius.

Et quoniam eadem natura cupiditatẽ ingenuit homini veri inueniẽdi

Sapientiæ siue prudentiæ initia designat, in qua designatione illud Aristotelis tractatur, πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. quod & in Officiis iisdem fermè verbis exponitur: In primisque hominis est propria veri inquisitio atq; inuestigatio. Itaque cùm sumus necessariis negociis curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audire, addiscere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut mirabilium ad beatè viuendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, simplex, syncerumque sit, id esse naturæ hominis aptissimum. Plato lib. de Legibus, ψεῦδος, inquit, μηδεὶς μηδὲν, μηδ' ἀπάτην, μηδέ τι κίβδηλον γένος ἐπικαλούμενος θεῶν, μήτε λόγῳ μήτ' ἔργῳ πραξάτω ὁ μὴ θεομισέστατος ἔσεσθαι μέλλων. Tria iunxit Cicero, vt Plato, vana, falsa, fallentia: quibus tria itidem opposuit, fidelia, simplicia, constantia, siue verum, simplex, syncerum.

Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum.

Fortitudinis fontes aperit. Est autem θυμὸς rigor ille animi, nihil timendi principium, vt ait Plato, ἢ οὐκ ἐννενόηκας ὡς ἄμαχόν τε καὶ ἀνίκητον θυμός; οὗ παρόντος ψυχὴ πᾶσα πρὸς πάντα ἄφοβός τέ ἐστι, καὶ ἀήττητος; ἐννενόηκα. Vnde & μεγαλοθύμου siue μεγαλοψύχου proprium esse dicitur, τὸ καταφρονητικὸν εἶναι. Quæ in hanc sententiam scribũtur in Offic. ea si velis, conferre, (omnes autem studiosi velle debent) adscripsimus. Huic, inquit, veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quædam principatus, vt nemini parere animus bene informatus à natura velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis causa iustè & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemptio. Eadem alicubi me legisse apud Platonẽ memini.

Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur.

Temperãtię siue modestiæ primam explicat conformationem: Charmides adolescens apud Platonẽ à Socrate rogatus quid esset tẽperantia, respondet quæ ad hũc locum pertinere mihi videntur, δοκεῖ σωφροσύνη εἶναι, τὸ κοσμίως πάντα πράττειν, καὶ ἡσυχῇ, ἔν τε ταῖς ὁδοῖς βαδίζειν καὶ διαλέγεσθαι, καὶ τἆλλα πάντα ὡσαύτως ποιεῖν, καί μοι δοκεῖ, ἔφη, συλλήβδην ἡσυχιότης; τὶς εἶναι ὃ ἐρωτᾷς. & paulo pòst, δοκεῖ τοίνυν, ἔφη,

αἰσχύνεσθαι ποιεῖν ἡ σωφροσύνη καὶ αἰσχυντηλὸν τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἐστὶν ὅπου αἰδὼς ἡ σωφροσύνη. Quod ait de similitudine in formarum specie perspecta, ex Platons Symposio ductum est, vbi ait, δεῖ γὰρ, ἔφη, τὸν ὀρθῶς ἰόντα ἰέναι ἐπὶ τὰ καλὰ σώματα. καὶ πρῶτον μὲν ἐὰν ὀρθῶς ἡγῆται ὁ ἡγούμενος, ἑνὸς αὐτὸν σώματος ἐρᾶν, καὶ ἐνταῦθα γεννᾶν λόγους καλούς. sequitur mox, ἀπὸ τῶν καλῶν σωμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν ἐπιτηδευμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ μαθήματα. In Officiis, Nec verò illa parua vis naturæ rationísque, quod vnum hoc animal sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat, iu factis dictísq; qui sit modus. Itaque eorum ipsorum quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratióque ab oculis ad animum transferés, multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factísq; conseruanda putat: cauétque ne quid indecorè effœminatéue faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinosè aut faciat, aut cogitet.

Si enim ad honestatem omnia referantur, neque in ea voluptatem.

Athenæus Epicuri verba his cognata & similia profert: καὶ ὁ Ἐπίκουρος δέ φησιν, ἀρχὴ καὶ ῥίζα παντὸς ἀγαθοῦ ἡ τῆς γαστρὸς ἡδονή, καὶ τὰ σοφὰ τὰ περιττὰ ἐπὶ ταύτην ἔχει τὴν ἀναφοράν. κἀν τῷ περὶ τέλους πάλιν φησί, τιμητέον τὸ καλὸν καὶ ἀρετὰς, καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ, ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον. κἀν ἄλλοις δέ φησιν, προσπτύω τῷ καλῷ καὶ τοῖς κενῶς αὐτὸ θαυμάζουσιν, ὅταν μηδεμίαν ἡδονὴν ποιῇ. Citat & Arrianus Epicteti familiaris verba, quibus quid esset honestũ hic voluptatis assertor explicuit: οὕτως, inquit, ἰσχυρὸς γίνεται ὁ Ἐπικούρου λόγος ἀποφαίνων, ἢ μηδὲν εἶναι τὸ καλὸν, ἢ ἄρα τὸ ἔνδοξον. ἔνδοξον ergo vertit Cicero, populari fama gloriosum, & in Academicis, quod gloriosum sit in vulgus: Audi, inquit, contra illos qui nomen honestatis à se ne intelligi quidem dicant, nisi fortè quòd gloriosum sit in vulgus, id honestum velimus dicere. Quanquam eam τοῦ καλοῦ significantiam apud Philosophos non inusitatá fuisse facilè intelliget, qui ea legerit quæ scripsit Aphrodisiensis Alexander, ἀποριῶν καὶ λύσεων lib. 4. cap. 18.

Philosophus nobilis, à quo non solùm Græcia & Italia, sed etiam.

Epicuri sententiam exagitat, eius ignorationem & inscitiam ridens: docet antè ab eo malè honestum circunscriptum fuisse ex multitudinis imperitę iudicio. Adiũgit eius de honesto ἀντιλογίαν: quod aliàs ad vulgi iudicium honestum referat, aliàs sua vi & natura quod laudabile sit, id honestum esse intelligat. PERFECTVM atque laudabile. Germanicus codex, PER SE rectum atque laudabile. Quibus autem verbis docuerit, non posse iucundè viui, nisi honestè, libro primo expositum est, ex Laërtio: eadem aut non absimilia citantur à Plutarcho, ἐπεὶ τὸ ἡδέως ζῆν αὐτοῦ καλῶς αὐτὸ παρέχει τὸν βίον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, &c.

Istorum enim verborum amore, quæ perrarò appellantur ab Epicuro.

Locus Platonis in Phædro positus est: quem pauló altius repetemus, ταῦτα μὲν οὖν, inquit, μνήμῃ κεχαρίσθω, δι' ἣν πόθῳ τῶν τότε νῦν μακρότερα εἴρηται. περὶ δὲ κάλλους, ὥσπερ εἴπομεν, μετ' ἐκείνων ἔλαμπεν ὄν, δεῦρό τ' ἐλθόντες κατειλήφαμεν αὐτὸ διὰ τῆς ἐναργεστάτης αἰσθήσεως τῶν ἡμετέρων στίλβον ἐναργέστατα. ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. In Officiis idem locus expositus est, Formam quidem ipsam, Marce fili, & tanquam faciem honesti vides: quæ si oculis cerneretur, vt ait Plato, mirabiles amores excitaret sapientiæ. Vides Ciceronem vtrobique transtulisse sapientiam, quam φρόνησιν Plato appellauit. quod idem fecit huius operis lib. 1. & in Officiis, indiscriminatim nomine sapientiæ & prudentiæ vtitur, cùm ait, in veri perspicíetia so

lertiaque verſari ſapientiam & prudentiam. Sic Plautus in Truculento Phroneſin dicit eſſe ſapientiam. ſic enim ait Dinarchus,

Quæ hic habet Phroneſium ſuum nomen, omnem
Ex pectore emouit meo phroneſin. nam phroneſis
Eſt ſapientia.

Quod dico propter eos qui accuratiorem prudentiæ & ſapientiæ diſcretionem à Marco Tullio requirunt. quaſi verò loquendi communis cõſuetudo Latinorum pendeat & proficiſcatur è ſcholis Philoſophorũ. Quãquam etiam apud eos, præſertim Platonem, vtrũque verbum pro altero ſæpiſsimè vſurpetur. Et certè ſi φρονεῖν apud nos valet ſapere, quid obſtabit quo minus φρόνησιν ſapiẽtiam dicamus? In omnibus locis iis quos de Græcis à Marco Tullio conuerſos vidi, ita ſemper φρόνησιν expreſſam repperi. Itaque quod in Legibus dicit Plato, φρόνησιν καὶ ἀληθεῖς δόξας, Cicero vertit huius operis lib. 5. ſapientiam veráſque opiniones.

Cur iuſtitia laudatur? Aut vnde eſt hoc contritũ vetuſtate prouerb.

Probat iuſtitiam propter ſe expeti: & iniuſtitiam non tantum propter pœnæ timorem declinari, quod lib. 1. docuit Torquatus. Qui locus de laude & munere iuſtitiæ etiam pluribus eſt expoſitus lib. 1. de Legibus. Prouerbij, Qui cum in tenebris mices, vis eſt expoſita de Offic. lib. 3. Hęc nónne eſt turpe, inquit, dubitare Philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent: à quibus natum eſt id quod iam tritum eſt vetuſtate prouerbium? Cùm enim fidem alicuius bonitatémq; laudant, dignũ eſſe dicunt, quî cũ in tenebris mices. Micare interpretatur Nonius Marcellus, ſortiri digitis, citatque iſtum de Officiis locum, & alterum de Varronis Parmenone, Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. Erat autem illa digitorum micatio ludi genus, quod digitorum citiſsima erectione fiebat, & diuinatione quot erecti eſſent. Propterea acri aſpectu opus erat & ſumma fide. In vetuſto codice, item in Germanico, conciſum prouerbium citatur, & deeſt verbũ, MICES. Certè in eiuſmodi prouerbiis, mos eſt Ciceroni prima tantum verba proferre, quòd ſtatim reliqua facilè tum intelligerentur.

Sunt enim leuia & perinfirma, quæ dicebantur à te, cùm animi.

Eleuat cauſam cur iniuſtitia ſit fugienda à Torquato adductam, ex Epicuri ſententia: quam lib. 1. ipſius Epicuri verbis expoſuimus. Eandem retulit in ſuos cõmentarios de dictis & factis Epicteti Arrianus, vbi eam ridet & exagitat: τὸ γὰρ κλέψαι, οὐδ' αὐτὸ ὁ Ἐπίκουρος ἀποφαίνεται κακὸν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεσεῖν, καὶ ὅτι πίστιν περὶ τοῦ λαθεῖν λαβεῖν ἀδύνατον. διὰ τοῦτο λέγει, μὴ κλέπτετε, id eſt, Furari, non malum illud quidem eſſe vult Epicurus, ſed in furti reprehenſionẽ incurrere, & nõ confidere vnquam id fore occultum: idcirco clamat furandum non eſſe. Totus hic locus cum eo qui eſt poſitus primo lib. de Legibus conferatur. Quòd ſi homines ab iniuria pœna, non natura arcere deberet, &c. Hic autem locus ille eſt, vt arbitror, cuius meminit ad Atticum lib. 7. cùm ait, Bene eueniat, inquit Carneades, ſpurce, ſed tamen pudentius, quàm Lucius noſter, & Patron: qui cùm omnia ad ſe referant, quicquã alterius cauſa fieri putent? cũ ea re bonum virum oportere eſſe dicãt, ne malum habeat, nõ quò id natura rectum ſit, non intelligunt ſe de callido homine loqui, non de bono viro. Sed hæc, opinor, ſunt in his libris, quos tu laudando, animos mihi addidiſti. Quãquam etiam ea de re tractetur libro tertio & quinto inſequentibus.

An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui quum Prætor.

De L. Tubulo locus ex ipſius Ciceronis verbis apertus eſt: & quædam dicemus de eo lib. 4. Q. autem Pompeij calliditatem improbam perſtringit Cicero extremo tertio de Officiis, dicitque honeſtius feciſſe C Mancinum, qui vt Numantinis, quibuſcum ſine Senatus authoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſerit eam quam L. Furius & Sex. Attilius ex Senatuſconſulto ferebant: qua accepta fuerit ho-

ſtibus deditus: quàm fecerit Q. Pompeius, quo quum in eadem cauſa eſſet, deprecãte, accepta lex non fuerit. Hícque eam quæ videbatur vtilitatem plus valuiſſe, quàm honeſtatem: illic vtilitatis ſpeciem falſam, ab honeſtatis authoritate ſuperatam fuiſſe. Vbi codices impreſsi habent, CN. SCIPIONI, vetus habet, CN. CAEPIONI, quod verum eſſe putat Ald. F.

Is enim qui occultus & tectus dicitur, tantum abeſt, vt ſe.

Eundem ſupra appellauit verſutum & veteratorem. Verſuti autem, ait Feſtus, dicuntur, quorum mentes crebrò ad malitiam vertũtur. &, Veteratores, dicti ſunt callidi, à multa rerum gerendarum vetuſtate. Talis deſcribitur εἴρων apud Theophraſtum, ἠθικοῖς χαρακτῆρσι. ὁ δὲ εἴρων, inquit, τοιοῦτός τις, οἷος προσελθὼν τοῖς ἐχθροῖς ἐθέλειν λαλεῖν οὐ μισεῖν, καὶ ἐπαινεῖν παρόντας οἷς ἐπέθετο λάθρα, καὶ τούτοις συλλυπεῖσθαι ἡττωμένοις. & mox, καὶ μηδὲν ὧν πράττει ὁμολογῆσαι. Addit exemplum tertium Sextilij Rufi, cuius conſcius animus à deneganda filiæ Fabij Galli, cuius hæres erat, hæreditate non deterruit, imò callidè ſuis emolumentis & commodis deſeruiens legẽ prætendebat. Pro eo quod eſt, NEMO NOSTRVM negabat] alij codices & vetus meus habent, NEMO NOSTRVM credebat.

Addebat ſe etiam in legem Voconiam iuratum contra eam.

Inter ſecundum & poſtremum bellum Carthaginienſe, ait D. Auguſtinus, lata eſt etiam illa lex Voconia, Ne quis hæredem fœminam faceret, nec vnicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari poſsit ignoro. Eam ait Cato apud Ciceronem lib. de Senectute, ſe quinque & ſexaginta annos natum ſuaſiſſe.

Quæ quidem vel cum periculo eſt quærenda vobis.

Per occaſionem ex efficientibus voluptatis, id eſt, pecuniarum copia & facultatum (nam dicitur ὁ πλοῦτος, alicubi τὸ ποιητικώτατον τῶν ἡδονῶν: & Plato de voluptatibus loquens, inquit, ὅτι διὰ χρημάτων μάλιστα ἀποτελοῦνται αἱ τοιαῦται ἐπιθυμίαι) docet eam laborioſam eſſe non minus quàm honeſtatem. Vt enim verum eſt illud Platonis, καλὸν μὲν ἡ σωφροσύνη τε καὶ δικαιοσύνη, χαλεπὸν μέντοι καὶ ἐπίπονον: ita non falſum quod eſt apud Athenæũ, τὸ ἡδονὰς διώκειν προπετῶς, λύπας ἐστὶ θηρᾶν. Vnde fit, vt ne voluptas quidem ſit iis voluptas, qui in corporis ſuauitate ſummum bonum ſtatuunt.

Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hæreditatem reddas.

Eò pertinet hæc formula, vt oſtendat, quod honeſtum ſit, id propter ſe quæri & expeti: nec minus virum bonum à vitio deterreri, ſi nõ adſit teſtis, quàm ſi coram omnibus id faciat. Subiicitur illuſtre Peducei exemplum, qui cum cõtra ſuam vtilitatem, honeſtatis duntaxat gratia, hæreditatem reddiderit, officium ſe malle ſequi, q̃ commodum oſtendit: contrà, quàm fecit Sextilius ille Rufus. Addit & Carneadis præclarum teſtimonium, vnde perſpicitur & intelligitur, magnam vim eſſe honeſti debere, quo nullo commodo inſequente, officium omne ſequendum eſſe præſcribit. SI TE AMICVS tuus moriens rogauerit, vt hęreditatem reddas ſuę filiæ, nec vſquam id ſcripſerit, (vt ſcripſit Fabius) nec cuiquam dixerit] ſic habent impreſsi: ſed vetus codex habet, SI TE AMICVS tuus moriens rogauerit, vt hęreditatem reddas ſuæ filiæ, nec vſquam id ſcripſerit fœdus, nec cuiquam dixerit] indicent eruditiores: mihi ſat eſt quod reperi bona fide indicaſſe. Quod etiam alij habent codices, MORS TIBI emolumentũ factura ſit] vetus, vt Germanicus quoque, FVTVRA SIT.

Perſpicuum eſt enim niſi æquitas, fides, iuſtitia proficiſcantur.

Hic locus lib. I. de Legibus pluribus verbis expoſitus eſt: inter quæ & hæc ponuntur, Atque etiam ſi emolumentis, nõ ſuapte natura virtus expetitur, vna erit vir-

tus, quæ malitia rectissimè dicetur. Vt enim quisque maximè ad suum commodum refert quæcunque agit, ita minimè est vir bonus: vt qui virtutē præmio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Habes, quemadmodum vir bonus non possit reperiri, si virtutes ad vtilitatem referantur. Quam definitionem hic tribuit modestiæ siue temperantiæ, ea ex Aristotelis & Platonis duabus definitionibus nata videtur. Sic Aristoteles, ἐγκράτεια, inquit, καθ' ἣν κατέχουσι τῷ λογισμῷ τὴν ἐπιθυμίαν ὁρμῶσαν ἐπὶ τὰς φαύλας ἡδονάς. Plato autem, σωφροσύνη, μετριότης τῆς ψυχῆς περὶ τὰς ἐν αὐτῇ κατὰ φύσιν γιγνομένας ἐπιθυμίας τε καὶ ἡδονάς.

Quid fortes viri? voluptatémne calculis subductis prælium ineunt?

Iam duas partes honestatis confirmauit ad voluptatem non referri, iustitiam, & temperantiam: nunc agit de tertia, quæ est fortitudo: quā, vt reliquas, voluptatis causa non expeti, contra ea quæ dixerat Torquatus lib. 1. probat multorum exemplis: docetque Torquatos non suis pro commodis officia secutos, quod Torquatus Epicuri defensor volebat, sed hōnestatis gratia. Profert Decios qui se Reipub. causa morti deuouerunt. Attingit Græcos, Epaminondam, & Leonidam, quorum hic quā præclara mortis contēnendæ, & pro patria obeundæ testimonia dederit, refert Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis. Epaminondas verò semper in ore habuisse fertur, ὁ ἐν τῷ πολέμῳ θάνατος ἐστὶ κάλλιστος, significās nihil esse præclarius morte, quā quis obeat in iusto pro patria bello. Num tu ingemuisse, ait alicubi Cicero, Epaminondam putas, quum vna cum sanguine vitam effluere sentiret? Imperantem enim patriam Lacedæmoniis relinquebat, quam acceperat seruientem.

Sic à me satis testium est dictum. Quid enim, teipsum dignißimum.

In manu scripto codice est, SIC A ME satis datum est testium: vt paulo ante dixit, DATIS TESTIBVS. De eo autē quod ait, Consulatū P. Syllæ L. Torquatum eripuisse, mentio fit in ea oratione, quam pro L. Sylla habuit. Te ipsum, inquit, iam, Torquate, expletum huius miseriis pateat, & si nihil aliud Syllæ nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat. Honoris enim contentio vos ad causam, non inimicitiæ deduxerunt. Locus est in extrema oratione, à Cicerone magna contentione animi & calamitatis deploratione expositus.

At quàm pulchrè dicere videbare, quum ex altera parte ponebas.

Repetit beati & infelicis lib. 1. explicatam comparationem: ac deinde beatæ illius vitæ subiecto exemplo, alterū opponit: quo probat non in multitudine, aut magnitudine voluptatum beatitudinem consistere, sed in virtutis præclaris actionibus & officiis, etiam magno cum dolore susceptis. Thorio Balbo voluptuoso homini, & si secundum Epicurum sit iudicandum, sapientissimo, virtutis exemplar opponit, id est, M. Regulum: cuius fides & virtutis officium in primis laudatur: ac de eo plura scripta sunt libro tertio de Officiis. Thorij autem Balbi delicatam & voluptuosam vitam describit, nō vt luxuriosi eius, quem supra negabat Epicurus, beatè viuere: sed voluptuosi sapientis, qui omnibus exquisitis vitet cruditatem, mundus sit & elegans: interim tamen in rosa potet, id est, in deliciis viuat, lautaque mensa vtatur. In Tusculanis non tantum IN ROSA dicit, sed addit, IN VIOLA: Quod si, inquit, gaudere talibus bonis animi, id est, virtutibus beatum, omnésque sapientes gaudiis perfruuntur, omnes eos cōfiteri beatos esse necesse est. A. Etiamne in cruciatu atq; tormentis? M. An tu me in viola putas, aut in rosa dicere? Actione 2. in Verrē, Reticulumque, inquit, ad nares sibi admonebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. Notum est ex Plinio, Vinum fictitium quoddam ex rosæ foliis contusis fieri: rosarum etiam fuisse vsum mensarum delitiis inungendis, & somno faciēdo sedandoque capiti longa potatione graui: item ex rosis corollas parari capiti circūponendas aduersus ebrietatis impetum. sed haud scio, an aliò respexerit Cicero. Nā

satis mihi non facit quod aiunt, Thorium roseta quæsiuisse, & ita in rosa, id est, inter roseta potasse, quum etiam id de viola dicat Cicero. Sed quod ad verba attinet, Codex vetus aliquoties ab impressis enariat: vbi enim hi habent, VOLVPTATVM OMNIVM varietate, ille, VOLVPTATVM omni varietate. & sequitur, HVNC VERO beatum ratio quidem vestra, cùm impressi habeant, ORATIO QVIDEM vestra. Paulo pòst, TVM IPSVM cũ vigiliis, vetus habet, EVM IPSVM. Hæc quanquam minutiora sunt, aliquando tamen plurimũ orationis sensum conturbant, aut intelligentiam adiuuant. Item paulò supra pro LANVVIVS, vetus habet LANVVINVS, quod etiam Germani ad marginem libri sui adnotarunt.

Bella magna gesserat is, bis Consul fuerat.

M. Attilius Regulus Cos. nauali prælio Pœnos vicit: deinde in Africã traiiciẽs, aliquot præliis aduersum Carthaginienses pugnauit, tandem accersito à Carthaginiensibus Xantippe Lacedæmoniorum duce, victus in prçlio & captus est. Quã rem Florus scripsit, & ante eum T. Liuius.

Stuprata per vim Lucretia à regis filio testata ciues se ipsa.

Alij, TESTATA CRIMEN. De Lucretia, nota est ex Liuio, Valerio & Halicarnasseo historia: quam & versibus persecutus est Ouidius Fasto. lib. 4. Exẽplum est insigne, ad probandum propter se expetendam honestatem, & sine teste, sine cõmodis propositis, vitium omne declinandum: non quia voluptatem ipsa declinatio afferat: sed quia sua vi & natura quod nõ est virtuti consentaneũ, id turpe sit & fugiẽdum. Aliud accumulatur exẽplum Virginij, in quo elucet voluptatũ declinatio honestatis gratia. Mauult filiam perdere Virginius castam & pudicam, quàm violatam & compressam retinere. Huius Virginij exemplum inter alia pudicitiæ exẽpla relatum est à Valerio lib. 6.

Vt enim nos ex Annalium monimentis testes excitamus eos, quorũ.

Epicuri disciplina præclarorum virorum commendatione destituta est: quòd voluptas gloriosum non efficiat, sed virtus: itaq; suis tractandis decretis Epicurus exemplis abstinet: quibus aliorum Philosophorum scatent libri, vt Platonis, Xenophõtis, &c. subiicitur Rom. historiarum commendatio, insuper comparatio Epicureorum cum cęteris Philosophis, in explicandis suis dogmatibus. De Stoicorum disciplina, pluribus aget verbis lib. 3. & 4. de Peripateticorum lib. 5. Quàm autem pretiosum thesaurum amiserimus, dum Pomponij historiarum liber ad nos non peruenerit, licet ex verbis Ciceronis colligere quæ sunt in li. de Claris Oratoribus: An mihi potuit, inquam, esse aut gratior vlla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quàm illius libri, quo me hic affatus, quasi iacẽtem excitauit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breuiter, & vt mihi quidem visum est, perdiligenter, complexus est? Istum ipsum, inquam, Brute dico librum mihi saluti fuisse. Paulo pòst, Et noua, inquam, mihi quidem multa, & eam vtilitatem quam requirebam, vt explicatis ordinibus temporum vno in conspectu omnia viderem: quæ cùm studiosè tractare cœpissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonuitq;, Põponi, vt à te ipso sumerem aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere, &c. Cornelius Nepos, qui Attici vitam conscripsit, ait eum antiquitatem adeò diligenter habuisse cognitam, vt eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornauit. Nullam enim legem, neque pacem, neq; bellum, neque rem illustrem esse P. R. quæ non in eo suo tempore sit notata: & quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuisse, vt ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Vbi codices excusi habent, QVOS ET quantos viros habere testium sat est] vetus tantum habet, QVOS ET quantos viros

ac desunt quatuor illa verba, HABERE testium sat est, vt sit admiratio, QVOS & quantos viros suppeditabit Atticus.

Sint ista Græcorum, quanquam ab his Philosophiam, & omnes.

Vanitatis & leuitatis crimine semper Romani Græcos notarunt, quòd dicendi vi & copia res exiguas supra fidei veritatem extulerint, quódque, dum res gestas cõscripserunt, plerũque aut simultate externa facta eleuauerint, aut gratia amplificauerint. ex quò illud Fabij, Græcis historiis plerunq; Poëticæ similis est licentia. Latinos autem vult Cicero, ne ausos quidem fuisse quid falsi dicere, nequid veri non ausos, non gratiam in scribendo, nõ simultatem secutos fuisse. Ac notũ est, omniũq; ore celebratum prouerbium, quo, cũ significamus alicuius vanitatem ac leuitatem iudicij, eum esse Græca fide dicimus.

Pudebit te, inquam, illius tabulæ, quam Cleanthes sanè.

Tabellæ huius & picturæ meminit D. Augustinus lib. de Ciuitate Dei 5. cuius verba hunc locum explicant. Solent, inquit, Philosophi, qui finem boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam Philosophis, qui virtutes quidem probant, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illam propter se ipsam putant appetendam, istas propter ipsam, tabulam quandam verbis pingere, vbi voluptas in sella regali quasi delicata quædam regina considat: eique virtutes famulæ subiiciantur, obseruantes eius nutum: vt faciant, quod illa imperauerit. Quæ prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo voluptas regnet, & salua sit: Iustitiæ iubeat, vt præstet beneficia, quæ potest, ad comparandas amicitias corporalib᷑ commodis necessarias: nulli faciat iniuriam, ne offensis legibus voluptas viuere secura non possit: Fortitudini iubeat, vt si dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam, id est, voluptatem fortiter in animi cogitatione, vt per pristinarum deliciarum suarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos: Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum: & si qua delectant, ne per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet: & voluptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei maximam ponũt, grauiter offendatur. Ita virtutes cũ tota suæ gloriæ dignitate, quanquam imperiosæ cuidã & inhonestæ mulierculę, seruient voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum ferre possit aspectus: & verum dicunt. Hactenus Augustinus. cuius verbis, quàm meis, hunc locum explanatum malo. Athenæus ad hanc tabulam respexisse videtur, cùm de voluptario quodam loquẽs, σαφῶς, inquit, ἄνευ γε τοῦ ποιεῖν τὴν ἀρετὴν τῆς ἡδονῆς, καὶ θεραπαίνης τάξιν ἔχουσαν. Hic Cleanthes nobilis fuit Stoicus, successor scholæ Zenonis: quem adolescentem cùm pauper admodũ esset, aiũt diurno tempore vacasse literis: nocturno verò, vt inopiam sustentaret, extrahendæ è puteo aquæ dedisse operam: vnde φρεάντλης appellatus est. NE QVID perficeret imprudens] in veteri codice legitur, item in Germanico, NE QVID faceret.

At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est) quenquam qui.

Locus est Epicuri, quo aduersus alios Philosophos maximè is cum suis gloriatur. Ea enim sententia, nimirum, Quod ab honesto iucundum nõ separetur, imperitorũ oculos tanquam lumine perstringit: ac, vt alio loco ait, ea est, quę familiam ducit. Nã multitudo voluptatis sibi conscia, dum audit cum ea esse honestatem coniunctam, libenter assentitur: & verum sit quod ait Aristoteles, τοῖς πολλοῖς ἡ ἀπάτη διὰ τὴν ἡδονὴν ἔοικε γίνεσθαι. οὐ γὰρ οὖσα ἀγαθὸν φαίνεται. αἱροῦνται οὖν τὸ ἡδὺ ὡς ἀγαθὸν, τὴν δὲ λύπην ὡς κακὸν φεύγουσιν. Huius autem gloriationis exemplum habemus lib. 1. in Torquato: qui hanc Epicuri referens sententiam, exultabundus aiebat, Clamat Epicurus is, quem vos nimis voluptatibus esse deditũ dicitis, Non posse iucundè viui, &c. qua de re non multo antè à Cicerone reprehensus est Torquatus.

Quid affers cur Thorius, Posthumius, cur Chius, cur omnium horum

In manu scripto est, QVID AFFERS cur Thorius, cur Chius Posthumius, cur omnium, &c. De Sergio Orata Macrob. li. 3. Saturn. cap. 15. ait, quod Orata cognominatus sit, quia ei pisces qui auratæ vocantur, charissimi fuerint. deinde addit, Hic est Sergius Orata, qui primus balneas pẽsiles habuit: primus ostrearia in Baiano collocauit. Fuit autem ætate L. Crassi illius diserti. Quæ verba ex Varronis li. 3. de Re rust. & Plin. lib. 9. ca. 54. petita sunt. Quod aũt legitur CHIVS, arbitror mendum esse: cur autem arbitrer, id facit locus Plinij lib. 9. cap. 55. vbi ait, Muræuarum viuarium priuatim ante alios excogitasse C. Hirium. Itaque forsan pro CHIVS legendum C. HIRIVS, vt inscitè litera c. coniuncta sit, cũ, HIRIVS, & duæ literæ R I prætermissæ, vt fere fit. Fuerunt autem omnes isti homines luxuriosi, & ciborum lautitiis addicti. sic enim indicãt Varronis verba: Sic nostra ętas, inquã, luxuria propagauit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eos pelagios greges piscium reuocauit. num propter hos appellati Sergius Orata, & L. Muręna?

Nisi planè fatui sint, id est, nisi aut planè cupiant, aut metuant.

Vox, PLANE, non est in veteri codice. Hic autem locus supra verbis ipsius Epicuri est expositus, Si ea quæ sunt luxuriosis efficientia voluptatum, &c. Quod ait, NISI PLANE fatui sint, eò pertinet quod illic ait, SI LIBERARENT eos Deorum & mortis & doloris metu, docerentque qui essent fines cupiditatum.

Non metuet autem siue celare potuerit.

Statim sequitur, SIVE OPIBVS maius quicqnam fecerit, certeque mallet obtinere existimari bonus vir] id euariat à scriptura, quæ est in antiquo exemplari. sic enim habet, SIVE OPIBVS magnis quicquid fecerit obtinere, certeque mallet existimari bonus vir] quam lectionem adnotasse etiam Germanos in editione Basiliensi reperio. Apud Platonem lib. 2. de Republica disputatio est, quòd iniustitia fructuosior sit & commodior, quàm iustitia: ad quam alludere Cicero videtur. Illic enim ista ponuntur verba, à quibus Ciceroniana non longè absunt: τὰ μὲν γὰρ λεγόμενα, δικαίῳ μὲν ὄντι μοι, ἐὰν καὶ μοι δοκῶ, ὄφελος φασιν οὐδὲν εἶναι, πόνους δὲ καὶ ζημίας φανεράς. ἀδίκῳ δὲ, δόξαν δικαιοσύνης παρεσκευασμένῳ, θεσπέσιος βίος λέγεται. οὐκοῦν ἐπειδὴ τὸ δοκεῖν, ὡς δηλοῦσί μοι οἱ σοφοί, καὶ τὴν ἀλήθειαν βιᾶται καὶ κύριον εὐδαιμονίας, ἐπὶ τοῦτο δὴ τρεπτέον ὅλως; Docet itaque, quam Epicurei sequũtur iustitiam, veram non esse: sed eius duntaxat simulationem. Quod & in reliquis honesti partibus intelligi debet. Nisi enim eas sua sponte, sua vi & natura expetendas statuamus, virtutis decus minimè tuebimur. Virtutes enim ad voluptatem referre, perinde est ac in aqua, id est, in re fluida & instabili nec fixa, fundamenta ponere.

Quid enim? Fortémne possumus dicere illum eundem Torquatum?

Redit ad Torquatum: cuius vt facta sunt præclara, ita & ad eum cũ quo disputat, propter cognationem, pertinent maximè. Ostẽdit verò, nisi facta voluerit ad virtutem referri, eum fortem non fuisse: quod si voluerit, iam labefactari & prodi doctrinam Epicuri, & de summo bono sententiã. Eius enim exẽplo illa cõfirmabatur libro superiore. Quod aũt ostẽsum est supra de iusticia, ꝙ eã pœnæ timore aut infamiæ metiri haud debeamus: idem quoque ad temperantiam accommodatur. cui vt Cicero subiicit pudorem, modestiam & pudicitiam, ita quoque Græci τῇ σωφροσύνῃ, εὐταξίαν, κοσμιότητα, αἰδῶ, εὐλάβειαν καὶ ἐγκράτειαν subiectas faciunt.

Quid illud, Torquate, quale tandem videtur, te isto nomine.

Ipsius etiam Torquati, quîcum rem habet, testimonio docet, voluptatis gratia omnia non esse facienda: ei studia obiiciens, cogitationes & facta, quę alium scopum

quàm voluptatem præ ſe ferunt: dum palàm profiteri ſe voluptatis cauſa hæc facere non audeat. Quod enim honeſtum eſt & rectum, idem laudabile, glorioſum & prædicatione dignum ſemper eſt: contrà quod non eſt rectum probéque factum, id taciturnitatem requirit & occultationem.

Indiuidua, quum dicitis, & intermundia, quæ nec ſunt vlla.

Duo illa verba, QVVM DICITIS, in vetuſto ſcripta non ſunt exemplari, nec multum ad rem facere videntur. Fingunt Epicurei ἀτόμους quaſdam rerū eſſe initia: fingunt & mundorum multitudinem infinitam: quorum qui medij ſunt, μετακόσμια appellant. Sic enim ait eorum Princeps in Epiſtola ad Pythoclem, καὶ ὅτι δὲ ὁ τοιοῦτος ἀριθμὸς κόσμων γίνεται, καὶ ἐν κόσμῳ καὶ ἐν μετακοσμίῳ, ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα. Quod ergo dicūt ἀτόμους, Cicero indiuidua, & quod μετακόσμια, facto ad verbum nomine, intermundia conuertit. Addit poſteà voluptatis explicationem, vt ipſius aſſertori placuit: quo doceat ne ſe quidem ignorare, quam dicat Epicurus voluptatē. Duplex ea, quo nomine Græco dicta fuerit, ſuperius expoſuimus: ἡ ἐν κινήσει, καὶ ἡ καταστηματική. Quod addit de varietate, ſuprà verbis Plutarchi expoſitum eſt.

At verò illa, quæ Peripatetici, quæ Stoici dicunt, ſemper tibi.

Vrget eum verbis, quibus in conuentibus & frequentiis hominum vſus fuerit, quæ non aliud ſonant, quàm aut virtutem, aut eius attributa, atque officia: in quibus neque illa quæ in motu eſt, neq; ſtabilis voluptas locum habere poteſt. Ex quo vult effici, vt aut aliter dicat quàm ſentiat, aut nō vera ſit Epicuri ratio, quæ ſe nolit prædicari, in vulgus indicari, & omnibus communicari.

Hæc quum loqueris, nos barones ſtupemus.

Alij VARRONES. Manu ſcriptus codex habet, BARONES, vt etiam legit Victorius, exponitque qui dicantur Barones in iis annotationibus, quibus Ciceronis epiſtolas illuſtrauit. Paulo pòſt, VIDE NE non debeas, vetus habet, DVBITES.

Mihi quidem hæ veræ videntur opiniones, quæ honeſtæ, quæ lau.

Stoicæ diſciplinæ recens ille quidem profeſſor, ſed qui certare poſsit cū veteribus, Arrianus, vt inquirat, ſitne voluptas in bonis, ex duobus effatis proficiſcitur, quę huc pertinent. Sic autem ait, τὸ ἀγαθὸν δεῖ εἶναι τοιοῦτον ἐφ᾽ ᾧ θαρρεῖν ἄξιον, καὶ μήτι οὖν βέβαιον ἡ ἡδονή; οὔ. ἆρ᾽ οὖν καὶ βάλλε ἔξω ἐκ τοῦ ζυγοῦ, καὶ ἀπέλασον τῆς χώρας τῶν ἀγαθῶν μακράν. εἰ δ᾽ οὐκ ὀξυβλεπτεῖς, καὶ ἕν σοι ζυγὸν οὐκ ἀρκεῖ, φέρε ἄλλο. ἆρα τῷ ἀγαθῷ ἄξιον ἐπαίρεσθαι; ναί. ἐφ᾽ ἡδονῇ οὖν παρούσῃ ἄξιον ἐπαίρεσθαι; βλέπε μὴ εἴπῃς ὅτι ἄξιον, εἰ δὲ μή, οὐκέτι σε οὐδὲ τοῦ ζυγοῦ ἄξιον ἡγήσομαι. Dicam Latinè vt potero: Debétne quod bonum eſt tale eſſe, vt ei quis meritò confidere debeat? certe debet. Atqui voluptas res eſt ne tam firma? Non eſt. Eam igitur è ſtatera abiicito, eque bonorum ſtatione lōgè propellito. Quòd ſi non ſatis acutè rem adhuc perſpicias, tibíque ea non ſufficiat ſtatera, adiunge aliam. Dignum ne eſt bonum, de quo gloriari ſeq; extollere oporteat? profectò dignum eſt. Atqui voluptas quum adeſt, digna ne eſt, de qua ſit gloriādum? Vide ne dicas dignam eſſe, alioqui te indignum iudicabo, qui ea ſtatera vtaris. CONCILIOQVE proferendę ſint, vetus, PROFITENDAE ſint.

Amicitiæ verò locus vbi eſſe poteſt, aut quis amicus eſſe cuiquam.

Caput de amicitia lib. I. explicatum aggreditur: docens non alterius rei gratia, quàm ſuiipſius amicitias parari: & qui aliter ſenſerint, amicitiam euertiſſe. In hac autem tractatione amicitiæ multa ſunt, vt videtur, ab Ariſtotele petita: quorū nonnulla indicabimus. Primū ſit iſtud de voluntate bene faciendi amicis, τῷ φίλῳ φασὶ δεῖν

βούλεσθαι τἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα. & alio loco, τελεία δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία, καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων. οὗτοι γὰρ τἀγαθὰ ὁμοίως ἀλλήλοις βούλονται ᾗ ἀγαθοί. ἀγαθοὶ δὲ εἰσι καθ' αὑτούς. οἱ δὲ βουλόμενοι τἀγαθὰ τοῖς φίλοις ἐκείνων ἕνεκα, μάλιστα φίλοι. δι' αὑτοὺς γὰρ οὕτως ἔχουσι, καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός.

Quod non ſub dubia vtilitatis ratione effici ſolet.

Diu me torſit hic locus, qui primum mendo carere non videbatur. nec ſcrupulũ abſtulerunt veteres codices, in quibus eſt eadem, quæ in vulgaribus lectio. Tandem incidi in Nonium Marcellum, qui nodum ſoluit. Docens enim ille ſubducere interdum accipi pro ſupputare, hunc locum profert, & pro, SVB DVBIA vtilitatis ratione, legit, SVBDVCTA vtilitatis ratione, quæ vera eſſe lectio videtur. Ita in Hortenſio dicit, Non & ſine ea cogitatione in eum ſubductis rationibus. Et Terentius in Adelphis, Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit: Item 3. de Deorum natura, Medea modò & Atreus commemorabantur à nobis heroicæ perſonæ inita ſubductáque ratione nefaria ſcelera meditantes. Quod ſequitur de amicitiæ ſtabilitate, id Ariſtoteles his verbis prior ſcripſit, ἡ διὰ τὸ συμφέρον φιλία οὐ βεβαία, ἀλλὰ τῷ συμφέροντι μεταπίπτει. & alio loco, οἱ δὲ διὰ τὸ χρήσιμον ὄντες φίλοι, ἅμα τῷ συμφέροντι διαλύονται. οὐ γὰρ ἀλλήλων ἦσαν φίλοι, ἀλλὰ τοῦ λυσιτελοῦς.

Quid enim de amicitia ſtatueris, vtilitatis cauſa expetenda.

Tria verba, VTILITATIS cauſa expetenda, ſunt qui ſuperuacanea exiſtimant. Sed quod ſequitur, propter lectionum varietatem, eſt difficilius. Sic enim in vulgatis codicib⁹ legitur, VIDESNE IN odium veniam, ſi amicum deſtitero tueri. Primũ cur iſta res digna odio eſt? Nũquid eſt turpe, niſi quod eſt? Si nequo incommodo afficiare, &c. In veteri ad hunc modum, VIDESNE? IN odium veniam, ſi amicum deſtitero tueri. Primũ cur iſta res digna odio eſt, nõ quòd eſt turpis, niſi quod eſt: ſine quo incõmodo afficiare, &c. Germanicus codex, PRIMVM CVR iſta res digna odio eſt: niſi quòd eſt turpis? quod ſine tuo incommodo, &c. Ex tam variis, iudicent alij quid verum ſit, mihi placeret, ſi ita legeretur, VIDESNE IN odium veniam, ſi amicum deſtitero tueri Primum cur iſta res digna odio eſt, niſi quod eſt turpis? Si nequo incommodo, &c. nihil tamen affirmo.

Vadem te ad mortem Tyranno dabis pro amico, vt Pythagoreus.

De Damone & Pythia, quod nobile par amicorũ fuit, loquitur: de quibus hæc referũtur lib. de Offic. 3. Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, vt quũ eorum alteri Dionyſius Tyrannus diem necis deſtinaſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulauiſſet, vas factus eſt alter eius ſiſtendi, vt ſi non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi. Qui cũ ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit, vt ſe in amicitiã tertium adſcriberent. Tuſculan. 5. Quorum quum alterum vadem mortis accepiſſet, alter, vt vadem ſuum liberaret, præſto fuiſſet ad horam morti deſtinatam: Vtinam, inquit, tertius vobis amicus adſcriberer. De Oreſte & Pylade nota eſt fabula: quorum cùm rex vter eſſet Oreſtes ignoraret, Pylades ſe Oreſtem eſſe dicebat, vt pro illo necaretur: Oreſtes autem, ita vt erat, Oreſtem ſe eſſe perſeuerabat.

At coluit ipſe amicitias, quaſi quis illum neget, & bonũ virũ & comẽ.

De humanitate Epicuri, & in multos diffuſa amicitia, ita ſcribit Laertius, τοῦ γὰρ ἀνδρὸς μάρτυρες ἱκανοὶ τῆς ἀνυπερβλήτου πρὸς πάντας εὐγνωμοσύνης, ἥ τε πατρὶς χαλκαῖς εἰκόσι τιμήσασα, οἵ τε φίλοι τοσοῦτοι τὸ πλῆθος, ὡς μηδ' ἂν πόλεσιν ὅλαις μετρεῖσθαι δύνασθαι. id eſt, Nam cùm locupletes extẽt mirabilis comitatis eius & humanitatis teſtes, tum patria ipſa, quæ ei ſtatuas erexit æneas: teſtes quoque amici numero tam multi, vt ne vrbibus quidem totis capi potuiſſent. Quod Epicuri ſolent defenſo-

res prætendere. Verum id reiicit tanquam à quæstione alienum, in qua non de hominis moribus, sed de decretorum & sententiarum constãtia, contentio est & disceptatio. Nec item officit multitudinis hominum approbatio. Non enim quæ vulgo probantur, ea continuo probanda sunt omnia: & citatur sententia, σπάνιον τὸ καλόν, vel vt Plato extulit, χαλεπὰ τὰ καλά, quum ait, τὴν γὰρ παροιμίαν ὅ, τι ποτὲ λέγει, τὸ χαλεπὰ τὰ καλά, δοκῶ μοι εἰδέναι. Et Aristoteles inquit, διόπερ ἐστὶ τὸ εὖ σπάνιον, καὶ ἐπαινετὸν καὶ καλόν. AT MVLTIS se probauit, & quidem in rem fortasse.] in antiquo codice est, ET QVIDEM IVRE.

Ac mihi quidem, quòd & ipse bonus vir fuit, & multi Epicurei.

Retorquet in eum, quòd de vita Epicuri, eiúsque amicorum dixerat. Si enim in amicitiæ fide & constantia maneant, si grauitatis & officij studiosi sint, profectò aliud quàm voluptatem spectare sese indicãt: & ita vis maior honesti apparet in eis, quàm voluptatis: ac naturæ bonitate victi, melius faciunt quàm dicunt. Sed fortassis hæc præclara officia eò pertinebãt, vt nõ viderentur ipsi suæ voluptati patrocinari, decreta sua inducentes, sed quia res ita haberet. Sic enim olim comprobationẽ adeptas fuisse Eudoxi rationes de voluptate, docet Aristoteles, ἠθικῶν κ', ἐπιστεύοντο δ' οἱ λόγοι διὰ τὴν τοῦ ἤθους ἀρετὴν μᾶλλον, ἢ δι' αὑτούς. διαφερόντως γὰρ ἐδόκει σώφρων εἶναι. οὐ δὴ ὡς φίλος τῆς ἡδονῆς ἐδόκει ταῦτα λέγειν, ἀλλ' οὕτως ἔχειν κατ' ἀλήθειαν. Fides verò, inquit, eius rationibus adhibebatur ob id potius, quia in moribus virtutem persequebatur, quàm quód id per se ipsę efficerent: siquidem eximiæ habitus est homo tẽperantiæ: vnde non tanquam voluptatis studiosus & amator, sed quód ita rei veritas haberet, id dicere videbatur.

Ita enim viuunt quidam, vt eorum vita refellatur oratio.

In aliis codicibus est, V T eorum vita probetur, refellatur oratio. Epictetus apud Arrianum ad hunc modum cum quodã disputans Epicureo, διὰ τί δὲ, inquit, μὴ τὴν τοῦ γείτονος γυναῖκα διαφθείρωμεν ἂν δυνώμεθα λαθεῖν, ἂν δὲ φλυαρῇ ὁ ἀνήρ, καὶ αὐτὸν προσεκτραχηλίσωμεν, εἰ θέλεις εἶναι φιλόσοφος, οἷον δεῖ, ἄγε τέλειος, εἰ ἀκολουθῶν τοῖς δόγμασιν; εἰ δὲ μή, οὐδὲν διοίσεις ἡμῶν τῶν λεγομένων στωϊκῶν. καὶ αὐτοὶ γὰρ ἄλλα λέγομεν, ἄλλα δὲ ποιοῦμεν. ἡμεῖς λέγομεν τὰ καλά, ποιοῦμεν τὰ αἰσχρά. σὺ τὴν ἐναντίαν διαστροφὴν ἔσῃ διεστραμμένος, δογματίζων τὰ αἰσχρά, ποιῶν τὰ καλά. Quæ verba in vulgatis codicibus deprauata sunt: habent autem hunc sensum, Quid causæ est, quo minus vicini vxorem vitiamus, si latere quidem possimus: & non maritũ trucidamus, si garriat: si verus esse Philosophus desideras, si perfectus & absolutus, si tua sequeris decreta? Sin minus, non video quid à nobis differas Stoicis, qui alia dicimus, alia facimus. Præclaras quidem res & honestas in ore habemus, turpes verò facimus. Tu contra eris affectus, qui turpia loquaris, & facias honesta.

Attulisti aliud humanius horum recentiorum, nunquam dictum ab ipso.

Respondet ad aliam recentiorum Epicureorum amicitiæ constitutionem: quorum alij voluerunt ab vtilitate proficisci amicitiam: & tandem vbi ea fuerit confirmata, propter se coli: quòd certè huic disciplinæ aduersatur. Ponunt enim iã confirmatam amicitiam propter se expeti: at Epicurus omnia propter voluptatem fieri vult. Alij in fœdere sapientum constituunt amicitias: quod fit quando sunt eorum pares in quærendis voluptatibus voluntates. Priores dum intelligunt si amicitia emolumentorũ & voluptatis causa instituatur, eam vnà cum vtilitate & voluptate interituram esse, nec ita firmam ac stabilem fore, rem mirigant, & vtranque partem retinere volentes, vtranque amitrunt. Posteriores, quod fieri potest, sæpeque fieri videmus adferunt, quod lib. 1. etiam dixit Torquatus: sed nõ vident, si id voluptatis gratia fiat, multò magis honestatis causa fieri debere. Adde etiam, quòd dum retinent

idem amicitiæ fundamentum, quod Epicurus, nempe vtilitatem & voluptatem, eo- dem vitio constricti teneantur.

At verò si fructibus & emolumentis & vtilitatibus amicitias cole.

Si emolumentis amicitia colenda sit, vt vult Epicurus, sequetur vt à quibus fructus percipiantur maiores, ea magis amica sint. Atq; ita agros amicis anteponemus, quippe qui nobis sint fructuosiores multo, quàm vlli esse possint amici. Nam amicorum arca multa largitione exhauritur: agrorum vero emolumenta in orbem redeunt. Ex quo efficitur, vt ne amicitia quidē amicitia sit, si vtilitates sectetur, emolumentáque quærat: at si sua vi naturaq; amicitia expetatur, fit vt iaceant quæ de voluptate in amicorum congressu quærenda docet Epicurus.

Et tamen tantis vectigalibus ad liberalitatem vtens, eis sine hac Py.

Codex manu scriptus habet, ET TAMEN tantis vectigalibus ad libertatem vtens, eā sine hac Pyladea amicitia multorū beneuolentia præclarè & tuebere & munies. Pyladeam amicitiam, arctissimam intelligas, & desperatis omnibus emolumētis & fructibus institutam, qualis inter Orestem & Pyladem fuit, dum alterius nomine mortem alter subire contendit. Ioca seriáque cum aliquo dicitur is cōferre, qui omnia sua cum alio communicat negocia & consilia. Figura est prouerbialis ex cōtrariis. PRAEDIORUM, fructuosorum]alij habent, PRECIOSORUM.

Attamen ne cui loco nō videatur esse responsum, pauca etiā nunc dicam.

In beatæ vitæ & miseræ constitutione: illius quidem in voluptate, huius in dolore, quàm inconstans Epicurus fuerit, docet. Qua in re quæ de vita perfecta, tēpore absoluto, & virtute dixit Aristoteles, ea Cicero imitatus est. Sic enim ille ἠθικοῖς μεγάλοις inquit, Ἐπεὶ οὖν ἡ εὐδαιμονία τέλειον ἀγαθὸν ἐστὶ τέλος, οὐδὲ δεῖ λανθάνειν, ὅτι καὶ ἐν τελείῳ ἔσται. οὐ γὰρ ἔσται ἐν παιδί. οὐ γάρ ἐστι παῖς εὐδαίμων, ἀλλ' ἐν ἀνδρί. οὗτος γὰρ τέλειος. οὐκ ἐν χρόνῳ ἀτελεῖ, ἀλλ' ἐν τελείῳ. τέλειος δ' ἂν εἴη χρόνος ὃν ἄνθρωπος βιοῖ, καὶ γὰρ λέγεται ὀρθῶς παρὰ τοῖς πολλοῖς, ὅτι δεῖ τὸν εὐδαίμονα ἐν τῷ μεγίστῳ χρόνῳ τοῦ βίου κρίνειν, ὡς δέον τὸ τέλειον εἶναι, καὶ ἐν χρόνῳ τελείῳ καὶ ἐν ἀνθρώπῳ. Quorum sensus est: Igitur cùm vita beata in bonis sit perfectis, & rerum expetēdarum extremum, nō dubium est, quin sit in eo ponenda homine, qui sit perfectus atque absolutus. Non enim in puero inesse possit, qui beatam degere vitam nequit: sed in viro qui absolutus est. Non item est temporis inchoati, sed perfecti, perfectum autem illud est, quo tota hominis vita continetur. Illud enim rectè à multis dicitur, Beatū non esse quēpiam iudicandum, quin longissimum vitæ tempus confecerit. Itaque vitam beatam quiddam suis numeris omnibus absolutum, temporis perfecti, & in homine itē perfecto esse debere. CONTRA omnem infelicitatem]alij codices, CONTRA omnem miseriam]quod familiarius verbum est Ciceroni, vt etiam potius, beatum & miserum dicit, quàm felicem & infelicem. In veteri, quo vsus sum, exemplari, locus iste mancus est.

Neque expectat vltimum tempus ætatis, quod Crœso scribit Herod.

Herodotus id scribit lib. suarum historiarū primo. Solon peregrē profectus, partim contemplandi gratia, partim ne legem aliquam earum, quas scripserat, abrogare cogeretur, contulit sese Sardis ad Crœsum. cui cùm ostendisset thesauros, opésque magnas Crœsus, Ecquem, inquit, vidisti omnium beatissimum? Tellum Atheniensem, inquit Solon, cui prçter liberos bene institutos, obitus præclarus datus est. Quēnam secundum ab illo, inquit ille, vidisti? Cleobin respondit & Bitonē, quibus prçter victum honestum robur & vincendi industria contigit, & tandem optimus vitæ exitus successit. Crœsus conturbatus, Adeóne, inquit, hospes, ꝑ nulla tibi contēntur nostra beatitudo, vt ne priuatis quidem nos pares ducas? At Solon, Quoniam, in-

quit, vitæ hominum plurimæ interuenire ſolent calamitates : quantumuis magnis præditus ſis opibus, non eſt quòd te appellem beatum. Expectandum enim eſt vltimum ætatis tempus, vt tum denique iudiceris, beatus ne fueris, quum extremum vitæ diem confeceris. Huius rei meminit Ariſtoteles 2. de Moribus ad Eudemum, & primo ad Nicomachum: itemq́; Cic. extremo tertio huiuſce operis.

Etenim quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem.

Epicuri verba ſunt, Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν, καὶ ὁ πεπερασμένος, quæ etiam lib. 1. protulimus. De Deo, quæ paulo pòſt dicit, ſunt in eodem Selectarum ſententiarum libro, τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, &c. quod etiã lib. 1. de Deorum natura eſt expoſitum. Argumentatur itaque Cicero à contrario: Si dolorem temporis diuturnitas auget, itidem & voluptatem. Sũt enim hac in re paria contraria, vt in vno & eodem æquè poſsint viciſsim ineſſe. Prætereà ſi æternitas non maiorem efficiet voluptatem, nihil Deus melius eſt habiturus quàm homo: niſi dicas in Deum nullum cadere dolorem. At Epicurus ait, Κἂν στρεβλωθῇ ὁ σοφὸς, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα. Argumentatur tertio ab efficientibus voluptatis, quæ quia non ſunt in poteſtate hominis ſita, ne vitam quidem beatam eſſe homini ſperandã, quod ad Eudemum ſcribit Ariſtoteles, vt alio loco dicemus. Huc refer etiam ipſius Epicuri ſententiam, quæ & lib. 1. recitata eſt, βραχέα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει.

Negat enim tenuiſsimo victu, id eſt, contemptiſsimis eſcis & potionib.

In Epiſtola, quam ſcripſit περὶ βιωτικῶν Μενοικεῖ, hęc verba poſita ſunt. Sed melius eſt, vt totum locum adſcribamus: eſt enim elegans, & hunc locum illuſtrat, Καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν. οὐχ ἵνα πάντως τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, ἀλλ' ὅπως, ἐὰν μὴ ἔχωμεν τὰ πολλὰ, τοῖς ὀλίγοις χρώμεθα, πεπεισμένοι γνησίως, ὅτι ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν, οἱ ἥκιστα ταύτης δεόμενοι, καὶ ὅτι τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι. τὸ δὲ κενὸν δυσπόριστον. οἵ τε λιτοὶ χυλοὶ ἴσην πολυτελεῖ διαίτῃ τὴν ἡδονὴν ἐπιφέρουσιν, ὅταν ἅπαν τὸ ἀλγοῦν κατ' ἔνδειαν ἐξαιρεθῇ, καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονὴν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται. Eorum verborũ, ſenſus hic eſt, Magnũ verò bonum eſſe putamus, ſi quis contentus frugaliterque viuat: non quidẽ ideo vt ſemper rebus paucis ac tenuibus vtamur, ſed vt paucis ſi multa nõ liceat habere, fruamur: illud in animum verè inducentes, quòd ij ſuauiſsimè cibis fruãtur precioſis, qui eorum minimè indigent, quódque id ſit omne parabile, quod eſt naturale: quod verò inaniter expetitur, id vix vlla opera, & impenſa expleatur. Atque tenues eſcæ & potiones non minorem, quàm victus ad epulandum exquiſitiſsimus, adferunt voluptatẽ, quippe quum omnis, quẽ inedia excitauit, dolor amoueatur. Ac certè è polenta & aqua voluptas ſumma percipitur, cũ eis quis eſuriens ac ſitiens veſcitur. Sed audiamus, quid ille voluptuoſus homo concludat, τὸ συνεθίζειν οὖν ἐν ταῖς ἁπλαῖς, καὶ οὐ πολυτελέσι διαίταις, καὶ ὑγιείας ἐστὶ συμπληρωτικὸν, καὶ πρὸς τὰς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄοκνον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τοῖς πολυτελέσιν ἐκ διαλειμμάτων προσερχομένους, κρεῖττον ἡμᾶς διατίθησι, καὶ πρὸς τὴν τύχην ἀφόβους παρασκευάζει. Ergo, inquit, aſſueſcere tenuibus & non pretioſis cibis ac potionibus, id & valetudinem abſolutam efficit, & hominem ad obeũdas vitæ neceſſarias functiones impigrum reddit, & ad percipiendas viciſsim res ad epulandum exquiſitas, aptiorem ac melius affectum hominem facit, & denique animum confirmat, ac impauidum reddit aduerſus fortunæ impetum.

Idq́ue Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem.

Socratis continentia atque frugalitas inſignis fuit, eſtq́ue multorum ſcriptis celebrata. σίτῳ μὲν τοσούτῳ ἐχρῆτο, inquit Xenophon, ὅσον ἡδέως ἤσθιε. καὶ ἐπὶ τοῦτο οὕτως παρεσκευασμένος ᾔει, ὥστε τὴν ἐπιθυμίαν τοῦ σίτου ὄψον αὐτῷ εἶναι. ποτὸν δὲ πᾶν ἡδὺ ἦν αὐτῷ, διὰ τὸ μὴ πίνειν, εἰ μὴ διψῴη. Senſus eſt, Nam tanto vtebatur ille cibo,

quanto iucundè se vesci sentiebat: ad idque ita institutus erat & assuefactus, vt cibi appetitione pro condimento vteretur. erat etiam potio omnis ei iucunda, quia nisi sitis adesset, non potabat. Refert præterea de eodem Athenæus, Σωκράτης δὲ καὶ πολλάκις κατελαμβάνετο διαπεριπατῶν ἑσπέρας βαθείας πρὸ τῆς οἰκίας, καὶ πρὸς τοὺς πυνθανομένους, τί τηνικάδε; ἔλεγεν, ὄψον συνάγειν πρὸς τὸ δεῖπνον, id est, Socrates autē sub noctem profundam sæpe ante domum suam deambulare visus est: & rogatus, Quid tum ageret, Obsonium, inquit, in cœnā colligo. Cuius rei fit mentio in Questionibus Tusculanis.

Sed qui ad voluptatem omnia referens, viuit vt Gallonius, loquitur.

Gallonius inter gulæ proceres numeratur à Plinio, dicitúrque vir quæstuosus & sumptuosus fuisse. Eū antè ex Lucilio, miserū hominē dixit, qui nunq̄ in vita bene, id est, honestè, rectè, frugaliter, cœnauerit. Contra fuit affectus L. Piso, cui cognomen Frugi propter frugalitatem datum est. Sic enim ait M. Tullius in Oratione pro M. Fonteio, de C. Graccho loquens eius inimico, qui in quadam oratione permulta in ipsum Pisonem turpia dixisset. At, inquit, in quem virum? Qui tanta virtute atq; integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, cùm hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen frugi nominaretur, quem cùm in côcionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, Quem Pisonem? Cogis me, inquit, dicere inimicū meum frugi. Tuscul. 4. ait frugalitatis nomine virtutes omnes contineri, ex quo vulgatum illud fit, quod prouerbij locum iam obtineat, Hominem frugi omnia rectè facere.

Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, his licet dicere se acipenserē.

Nonius Marcellus Mænam inter genera ciborum & potuum annumerat: citátq; hunc locum, vbi scribitur, VOLVPTATES ipsas contemnunt eis licet dicere.] De acipenseris nobilitate superius est dictum. Mænam Plinius inter pisces collocat, qui variis temporibus colorem mutāt. apparet ex hoc loco vilem esse piscem præ acipensere. VERVM isto modo consequatur,] alij, VERVM esto consequatur,] vt etiam habet vetus.

Sit voluptas non minor in nasturcio illo, quo vesci Persas esse.

Xenophon, ἐν τῷ παιδείας Κύρου, οὐ παρὰ μητρὶ σιτοῦνται οἱ παῖδες, ἀλλὰ παρὰ τῷ διδασκάλῳ, ὅταν οἱ ἄρχοντες σημαίνωσιν. φέρονται δὲ οἴκοθεν σῖτα μὲν ἄρτους, ὄψον δὲ κάρδαμον. Sunt tamen qui aiunt, non frugalitatis omnino causa eos nasturcio vti, sed ne sæpius meiendi necessitate vrgeantur, quod apud ipsos probri loco ducitur: quia id infirmæ corporis constitutionis, & noxiorum signum sit humorum. nullum autem præsentius remedium esse ad sedandam meiendi intemperiem, quàm nasturcium. Ex quo ait Mnesilochus apud Aristophanem, στραγγουριῶ γάρ, ἰχθῦς ἔφαγον κάρδαμα.

Quam in Syracusanis mensis, quæ à Platone grauiter.

Syracusanæ mensæ in prouerbium abierunt, de lauta mensa, sumptuosa & opipara. Reprehensio Platonis exposita est Tuscul. Quæst. lib. 5. Est pręclara, inquit, epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptū est his fere verbis: Quò quū venissem, vita illa beata, quæ ferebatur plena Italicarum Syracusanarumque mēsarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri: nec vnquam pernoctare solū, cæteraque quæ comitantur huic vitæ, in qua sapiens nemo efficitur vnquam, moderatus verò multò minus. Hæc epistola inter Platonicas septima est. Reprehenditur quoque ista τρυφὴ lib. de Rep. 3. Συρακοσίαν δέ, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ σικελικὴν ποικιλίαν ὄψου, ὡς ἔοικας, οὐκ αἰνεῖς, εἴπερ σοὶ ταῦτα δοκεῖ. Archestratus apud Athenæū, τὸ δὲ Συρακοσίων τούτων ἀμέλησον, Οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐκ οὐδὲν ἔδοντες.

Ipse enim Metrodorus penè aliter quàm Epicurus, beatum esse.

Particula, QVAM, deest in veteri. Vnde coniectura ducor legendum esse, PENE ALTER Epicurus,] quod reperio Germanos etiam adnotasse. Metrodorus genere fuit Atheniensis, clarissimus Epicuri discipulus: cuius liberos suo etiã testamento Magister commendauit. Sententia eius de summo bono exposita est extremo tertio de Offic. Nam si non modo vtilitas, sed vita omnis beata, corporis firma constitutione, eiúsque constitutionis spe explorata (vt à Metrodoro scriptum est) cum honestate pugnabit. Et Tuscul. 2. Metrodorus quippe eum perfectè putat beatum, cui corpus bene constitutum sit, & exploratum ita semper fore. Id Græcè Metrodorus dicebat, τὸ εὐσταθὲς σαρκὸς σύστημα, καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα: vt ex Plutarchi verbis intelligere possumus: licet Metrodorum non nominet. Sic enim ait in libello eo, in quo differit, ὅτι οὐδ' ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, αὐτοί μοι δοκοῦσιν τοῦτον αἰσθόμενοι τὴν ἀτοπιῶν εἰς τὴν ἀπονοιαν καὶ τὴν εὐστάθειαν ὑποφεύγειν τῆς σαρκὸς, ὡς ἐν τῷ ταύτην περί τινος ἐσομένην, καὶ γεγενημένην, τὸ ἡδέως ζῆν ὄντος. τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα τὴν ἀκροτάτην χαρὰν καὶ βεβαιοτάτην ἔχει τοῖς ἐπιλογίζεσθαι δυναμένοις. & pauló pòst id reprehēdens, vt hic facit Cic. κατάστημα μὲν γὰρ, inquit, εὐσταθὲς σαρκὸς γίνεται πολλάκις, ἔλπισμα δὲ πιστὸν ὑπὲρ σαρκὸς καὶ βέβαιον, οὐκ ἔστιν ἐν ψυχῇ νοῦν ἐχούσῃ γενέσθαι, &c. Cicero videtur ὑπὲρ αὐτοῦ legisse, & Plutarchus ὑπὲρ αὐτῆς: quod ille ad κατάστημα retulerit, hic ad nomen σαρκός. Et fortasse pro εὐσταθὲς, εὐστάθεια scripsit Metrodorus, cuius vocabuli etiam meminit Plutarchus.

Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam ipsum.

Est hic locus expositus Tusculan. 2. pluribus verbis: Venit Epicurus homo minimè malus, &c. Sed Plutarchi locum, quem iam aliquoties attigimus supra, in quo hæc Epicuri ratio est explicata, quo res melius intelligatur, integrum adscribemus. Is positus est in eo libro, vbi disputat, πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν, his verbis, Ἐπιρρητέον δὲ καὶ τῷ Αἰσχύλῳ θάρσει, πόνου γὰρ ἄκρον, οὐκ ἔχει χρόνον, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ παρ' Ἐπικούρῳ θρυλλούμενον ἀεὶ καὶ θαυμαζόμενον, ὡς οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι, μέγεθος οὐκ ἔχουσιν. ὧν τὸ μὲν εἴρηκεν ὁ Αἰσχύλος ἐναργῶς. τὸ δὲ τῷ εἰρημένῳ παρακείμενόν ἐστι, εἰ γὰρ ὁ μέγας καὶ συντόνως, ὃν παραμένει πόνος. οὐκ ἔστι μέγας ὁ παραμένων οὐδὲ δυσκαρτέρητος. Huc etiam pertinet quod inter ipsius Epicuri selectas sententias adscribitur, οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν συνεχῶς ἐν τῇ σαρκί. ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι. τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἀπὸ τὸ ἀλγεῖν. quanquam posterior sententia deprauata videtur & immutata.

Illum mallem leuares, quo optimum atque humanissimum uirũ Cn.

Huius Cn. Octauij mentio fit in Bruto, vbi de Cn. Sicinio verba fiunt, si bene memini. Is cùm Trib. pleb. Curionem & Octauium Coss. produxisset, Curióq; multa dixisset, sedente Cn. Octauio Collega, qui deuinctus erat fasciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, Nunquam, inquit, Octaui, Collegæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more iactauisset, hodie te istic muscæ comedissent. QVAEDAM alia toleratio est verior] alij legunt, QVORVM ALIA toleratio est verior:] alij, QVAENAM ALIA,] in veteri est, QVAE NON alia toleratio, &c.

Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est.

Summo dolore confecti hominis exemplum hoc, est à M. Tullio vsurpatum sæpissimè: & Philoctetæ nomine tum Græci, tum Latini Tragœdias docuerunt. Is fuit Peantis filius, qui omnium optimè sagittas arcu emittebat: quod ab Hercule didicerat, cuius arcum hæreditate consecutus fuerat. Is à Græcis Troiam proficiscentibus

derelictus in Lemno est, viperæ morsu ad pedem accepto. Ex quo ipse in alti litoris saxo iacens, grauiter cruciatus est. Accius de eo Tragœdiam fecit Latinam, ex qua versus sunt quos Cicero profert: fecit & Aeschylus Græcam, quàm vt opinor, ille transtulit. Ea citatur ab Athenæo: item à Plutarcho in eadem re, in qua nūc à Cicerone. μάρτυς, inquit, ὁ Αἰσχύλου Φιλοκτήτης ἱκανὸς, οὗ ὁ δράκων, φησὶν, οὐκ ἀνῆκεν, ἀλλ' ἐνῴκισε δεινὴν στόματος ἔκφυσιν, ποδὸς λαβεῖν ὀλισθάνη ἀλγηδών. quæ verba non longè absunt ab his, Cui viperino morsu, &c. Tusculana secunda iidem versus, quos nunc Cicero profert, expositi sunt. TVRPE ESSE viro debilitari, dolere, frangi,] alij habent, VIRI NON esse debilitari, dolore frangi, &c.

EPICVRVS HERMACHO, S.

Hæc Epicuri Epistola est apud Laërtium, sed tribuitur Idomeneo. sic enim habent Laërtij verba, ἤδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τήνδε ἐπιστολὴν, Τὴν μακαρίαν ἄγοντες ἅμα τελευτῶντες ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί, στραγγουρία τε παρηκολουθήκει, καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον, ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν, ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου. Vbi alij codices habēt, TANTI AVTEM morbi aderant vesicæ & viscerum,] vetus habet, TANTI autē aderant vesicæ & torminum morbi] στραγγουρία est vrinæ stillicidium, & dysenteria, intestinorum tormina sunt. Sic enim Celsus tradit li. 4. Proxima, inquit, his inter intestinorum mala, tormina esse consueuerunt, dysenteria Græcè vocatur: intus intestina exulcerantur, ex his cruor manat. Cicero Tuscul. 2. de Epicuro loquens: Quāuis idem forticulum se in torminibus & in stranguria sua prębeat. Et 4. Itaque dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos. Meminit item in quadam ad Gallum Epistola lib. 7.

VOLVNTATE ab adolescentia suscepta:] Vetus exemplar habet, VOLVNTATE ab adolescentulo suscepta.] quod etiam in Basiliensi codice est notatum. Græcè est, τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως. In Laertio Camerarius, non legit verbū παραστάσεως: itaque ait subaudiendum esse διαθέσεως, aut simile aliquid.

Quorum alter quum uicisset Lacedæmonios apud Mantineam.

Hęc historia paulò aliter recitatur apud Suidam. Ἀθηναίων καὶ Μαντινέων μαχεσαμένων, Ἐπαμινώνδας τιτρώσκεται κατὰ τὸν πόλεμον, καὶ τετρωμένον αὐτὸν κομίζουσιν ἐκ τῆς παρατάξεως ἔτι ζῶντα. ὁ δὲ τέως μὲν τὴν χεῖρα ἔχων ἐπὶ τῷ τραύματι ἐταλαιπώρει, καὶ ἐς τοὺς συμμάχους ἀφεώρα. λαβόντος δὲ ἴσον τοῦ ἀγῶνος τὸ πέρας, οὕτω τὴν χεῖρα ἀπέσχε τοῦ τραύματος, καὶ αὐτὸν ἀφίεντα τὴν ψυχὴν, ἔθαψαν ἔνθα σφίσιν γέγονεν ἡ συμβολή. Cùm Athenienses bellum cum Mantineis gererent, Epaminondas in prælio vulneratus est: cumque adhuc eum viuum sui ex acie exportarent, interim admota vulneri manu, & grauiter affligebatur, & in suos dispiciebat commilitones. Tandem vbi certamen ex animi sententia finem sumpsit, manum è vulnere amouit: & exhalata tum anima, illic sepultus est, vbi manum conseruerant. Meminit Valer. Max. lib. 3. Tit. de Fortitudine. Et Cic. quadam ad Lucceium Epistola. Quem enim nostrum, inquit, ille moriens apud Mantineam Epaminondas, nō cum quadam miseratione delectat? Qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, vt etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur.

Nihil enim iam habes, quod ad corpus referas. Est autem à te semper.

Suis sententiis refellitur Epicurus. dum enim in hac Epistola dicit compensari cum doloribus lætitiam, quam ex inuentis & rationibus capiebat, voluptatem certè dicit, quæ ad corpus non pertinet. At negat Epicurus animi voluptates & dolores vllos esse, qui in corpore non fiant: vt est libro primo expositum: vbi Græca verba

prolata sunt, quibus id ille docebat. Præterea ista puerorum commendatio, beneficiorum memoria, & amicitiæ charitas ad corpus referri possunt minimè. sunt enim rerum præteritarum aut futurarum, quas corpore, eodem authore, sentire non possumus. Et certè dum hæc officia moriens se ostēdit curare, naturæ bonitate vincitur: quæ impediri quidem, sed obrui & amitti non potest. Sic Arriani Epictetus de eodē Epicuro loquens, ἴδου, inquit, τί τὸ ἐγεῖρον αὐτὸν ἐκ τῶν ὕπνων, καὶ ἀναγκάζον γράφειν ἃ ἔγραφεν; τί γὰρ ἄλλο, ἢ τὸ πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις ἰσχυρότατον ἡ φύσις ἕλκουσα ἐπὶ τὸ αὐτῆς βούλημα, ἄκοντα καὶ στένοντα; Quid igitur eum è somno suscitauit, ac ad ea scribēda quæ scripsit, coëgit? Quid enim aliud, quàm, qua re in hominibus nihil potentius, nihil valentius est, natura, quæ inuitum hominem & reluctantem ad suam ipsius voluntatem trahit? VAENEVNTQVE scripta eius bonitate ipsius ac moribus.] alij habent, VINCVNTVRQVE eius scripta probitate] quam lectionem retinet vetus, nisi quod pro, VINCVNTVR, corruptè habet, VAENEANTVR.

Scripsit enim & multis sæpe verbis.

Multis verbis vt in Epistola ad Menœceum. συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον. ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει. στέρησις δέ ἐστιν αἰσθήσεως ὁ θάνατος. ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον, ἀπολαυστὸν ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητὸν, οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον, ἀλλὰ τὸν τῆς ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἐν τῷ ζῆν δεινὸν τῷ κατειληφότι γνησίως, τὸ μηδὲν ὑπάρχειν ἐν τῷ μὴ ζῆν δεινόν. ὥστε μάταιος ὁ λέγων, δεδιέναι τὸν θάνατον, οὐχ ὅτι λυπήσει παρὼν, ἀλλ' ὅτι λυπεῖ μέλλων. ὁ γὰρ παρὼν οὐκ ἐνοχλεῖ, τὸ δὲ προσδοκώμενον κενῶς λυπεῖ. τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν. ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. οὔτε οὖν πρὸς τοὺς ζῶντάς ἐστιν, οὔτε πρὸς τοὺς τελευτηκότας, ἐπειδήπερ οὓς μὲν οὐκ ἔστιν, οἱ δ' οὐκέτι εἰσίν. Hunc locum, etsi non omnino verū, elegantem tamen, libentiùs ideo ascripsimus, quòd etiam in prima Tusculana, nō pauca sint, quæ inde profecta videantur. Eorum autem verborū hic sensus est: Fac autem diligenter animo tuo hanc mediteris sententiam, Mortem nihil ad nos pertinere. Quicquid enim in bonis est & in malis, id in sensu est, Mors verò sensus est priuatio: quare vera illa sententia, quod ad nos mors nihil attineat, quod in vita mortale est; id omne iucundum efficit, vt non incertum tempus quærendum proponat, sed immortalitatis desiderium adimat. Nihil enim in viuendo graue ei potest interuenire, qui antè verè persuasus est, in non viuendo nihil graue inesse. Ita eius perquam inanis est oratio, qui mortem ait se metuere, non quia præsens molesta futura sit, sed quòd, quia futura est, idcirco sit molesta. Nam cùm adest, cumque præsens est, dolorem infert minimè: & quod expectatur futurū, id inaniter affligat. Igitur mors, quo malo nihil acerbius est, nihil ad nos. Nam quoniam cùm sumus, tum mors non adest: cumque mors adest, iam non sumus: profectò mors nec ad viuos pertinet, nec ad mortuos: quandoquidem alteri nulli sunt, alteros ea non attingit.

Et breuiter apteque in eo libro, quem modò nominaui, mortē nihil.

Κυρίαις δόξαις, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. quam sentētiam docet Sextus Empyricus, ab Epicharmo ductā, τὸν δὲ θάνατον, inquit, ὅτι οὐδέν ἐστι πρὸς ἡμᾶς, Ἐπίχαρμος αὐτῷ προσμέμνηκεν εἰπών, ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι οὔ μοι διαφέρει. Sed dū Epicurus rationem inuestigat, cur indifferēs sit, mortem obire, fallitur. Nam quod ait, quòd ea sine sensu sit, id nō metum mortis adimit, quin potius mortis grauitatem ob oculos ponit: nimirum quòd tum sensus rerum omnium amittatur: quam rem maximè natura formidat. sic enim disputat Plutarchus, τὸ γὰρ ἀναίσθητον καὶ λυθὲν καὶ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸ ἀναισθητοῦν, οὐκ ἀναιρεῖ τὸ τοῦ θανάτου δέος, ἀλλ' ὥσπερ ἀπόδειξιν αὐτοῦ προστίθησιν. αὐτὸ γὰρ τοῦτό ἐστιν, ὃ δέ-

δοικεν ἡ φύσις. & alio loco, οὐ γὰρ ὡς ἀρχὴν ἰστέρει τὴν ἀναισθησίαν δίδωσιν ἡ φύσις, ἀλλ' ὅτι τῶν παρόντων στέρησίς ἐστιν, &c.

Hoc ipsum elegantius poni meliúsque potuit.

Hnc pertinet quod refert lib.2.cap.8.Gellius de Plutarcho, qui hanc Epicuri argumentationem,quòd ad nos mors nihil pertineat,reprehẽdit, asserens imperfectè, præposterè atque inscitè syllogismo vsum fuisse Epicurum. Nam prætermisit, inquit,quòd in prima parte sumere debuit,ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Tum deinde autem ipso quod omiserat,quasi posito concessoque,ad confirmãdum aliud, vtitur. Progredi autem hic,inquit,syllogismus,nisi illo prius posito,nõ potest. Hæc Plutarch⁹. Quid cõtrà dicat,ac ad hęc respõdeat Gell. illic videre licet. Itẽq; Aphrodisiensis Peripateticus exponens verbum illud in definitione Syllogismi positũ ab Aristotele,διὰ τὸ κεῖσθαι,multis propositis syllogismis vitiosis,subdit,τοιοῦτος καὶ ὁ περὶ τοῦ θανάτου παρ' Ἐπικούρῳ λόγος εἰρημένος. οὐ γὰρ ἐκ τῶν λεγομένων προτάσεων, τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ· τὸ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, συνάγεται δὲ, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ὡς αὐτὸς ἡγεῖται, ἀλλ' ὅτι τὸ διαλυθὲν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. ἀλλ' οὐδὲ ὁ θάνατος τὸ διαλυθέν ἐστιν, ἀλλὰ διάλυσις. οὐκ ἔδωκε δὲ ὁ δεῖ, τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖν, καὶ τὴν διάλυσιν γενέσθαι ἀναισθήτως. οὐ γὰρ διάλυσις τοῦ ζώου, ἥτις ἐστὶ τὸ ἀποθνήσκειν, ἀναίσθητος, διὸ πρὸς ἡμᾶς τὸ ἀποθνήσκειν, καὶ τὸ μὴ τεθνάναι, εἰ καὶ μὴ τὸ ἀποθνήσκειν ἀεί. διὸ ἦν, διττὸς ὁ θάνατος. ἢ γὰρ ὁ γεγονὼς, ἢ ὁ γινόμενος. ὁ μὲν γεγονὼς, οὐκ ἂν εἴη πρὸς ἡμᾶς· ὁ δὲ γινόμενος πρὸς ἡμᾶς, τοῦτον δὲ καὶ φοβούμεθα. Eiusdem,inquit,generis est & illa,quæ fertur Epicuri,de morte argumentatio. Neque enim ex iis quas in mediũ adducit propositionibus,Quod dissolutum sit,id esse sine sensu: Quod antè sine sensu sit,id nihil omnino ad nos pertinere ,conficit quod vult, Mortem nihil ad nos pertinere, vt ipse putat: sed efficitur,Quod dissolutum sit,id nihil omnino ad nos pertinere. At verò ne dissolutum quidem aliquid,mors est,sed dissolutio . Qui autem concessit, Quod dissolutum sit,id esse sine sensu,non continuo concessit, dissolutionem euenire sine sensu. Neque enim dissolutio,quæ quidẽ mori est, animali accidere potest sine sensu. Ex quo sequitur, vt ad nos tum mori , tum nõ mortuum esse pertineat, tametsi mori non semper attineat. Itaque mors duplex intelligitur: nimirum & quæ iam præterita est, & quę nunc fit. Ea quidem quæ præteriit, esto nihil ad nos pertineat: at quæ fit,ea ad nos attinet: ea verò est quam metuimus.

Tam accuratè,tãque diligenter caueat & sanciat vt Antinomachus.

Vetus codex legit , AMINOMACHVS,] sed peccat in vna litera , I . Sic enim est scriptum apud Laertiũ , qui hoc Epicuri testamẽtum refert: cuius particula quam vertit Cicero, sic habet , ἐκ δὲ τῶν γινομένων προσόδων τῶν δεδομένων ἀφ' ἡμῶν Ἀμυνομάχῳ καὶ Τιμοκράτει, κατὰ τὸ δυνατὸν μεριζέσθωσαν μετ' Ἑρμάχου σκεπτόμενοι, εἴς τε τὰ ἐναγίσματα, τῷ τε πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, καὶ ἡμῖν εἰς τὴν εἰθισμένην ἄγεσθαι γενέθλιον ἡμέραν ἑκάστου ἔτους, τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ γαμηλιῶνος. ὥστε καὶ εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς ταῖς εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων ἡμῖν εἰς τὴν ἡμῶν τε καὶ Μητροδώρου καταπεταγμένην. Ea Cicero sumpsit,quæ in rem suam faciebant. Meminit huius natalis diei Plinius lib.35. cap.2. Iidem palæstras athletarum imaginibus,& ceromata sua exornant,& vultus Epicuri per cubicula gestãt, ac circũferunt secum. Natali eius vicesima luna sacrificant,feriásque omni mense custodiunt,quas icadas vocant,hi maximè qui se ne viuentes quidem nosci volunt.

Ne id quidem,nisi quum multa annorum intercesserint milia.

Philosophi fuerunt quidam,qui arbitrati sunt ,post totius cœli conuersionem,& omnium siderum simul in idem caput reditum , cũcta quæ fuerint eatenus, ab initio reditura esse. Horum sententiam nunc attingit M. Tullius: qui &alio loco totum

illud temporis interuallum, donec fiat reuersio, magnum annum dici, & verè vertentem tradit: locus est lib. 6. de Repub. vbi somniũ Scipionis exponit: & in 2. de Natura Deorum. Præterea ex Platone in libello de Vniuersitate hoc tempus declarat iisdem fermè, quibus hic, verbis. Attamen, inquit, illud perspici & intelligi potest, absoluto perfectóque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cùm se octo ambitus confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt. Græcè id dicit Plato, ἐστι δ' ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι δυνατὸν, ὡς ὅ γε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε, ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχη σχῇ κεφαλήν.

Hæc non erant eius, qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones.

Suprà diximus Epicurum posuisse ἀπείρους κόσμους. Idem fecit & hoc vniuersum infinitum. quæ sententia est his verbis in Epistola ad Herodotũ exposita: ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι. τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει. τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται. ὥστε τὸ οὐκ ἔχον ἄκρον, πέρας οὐκ ἔχει. πέρας δὲ οὐκ ἔχον, ἄπειρον ἂν εἴη, καὶ οὐ πεπερασμένον. Quæ verba Cicero lib. 2. de Diuinatione tractat, vbi sic ait, Vidésne Epicurum (quem hebetem & rudem dicere solẽt Stoici) quemadmodũ quòd in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? Quod finitum est, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. Hoc quoque est concedendum. At quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus. Ne hoc quidem negari potest. Nihil igitur quum habeat extremum, infinitum sit necesse est.

Nunc totum illud concludi sic licet, qui in summo malo est.

Totam disputationem in vnam colligit ratiocinationem: cuius singulæ partes ita perspicuam continent veritatem, vt eis non possit Epicurus obuiam ire. Nã summum malum, quum beatitudini, id est, summo bono, aduersetur, certè interim dum quis in vno est, in altero esse minimè potest: Sapiens autẽ, id est, beatus, si semel beatus est, hanc nunquam relinquet beatitudinẽ: quod & Epicurus fatetur. Vult enim, τὸν ἅπαξ γενόμενον σοφὸν, μηκέτι τὴν ἐναντίαν λαμβάνειν διάθεσιν. At sapiens nonnunquam est in dolore, nam ait Epicurus, Etiam in vita tortum sapientem clamaturum, Quàm hoc suaue! Non igitur dolor summum est malum. Sequitur deinceps de bonorum præteritorum memoria, & malorum obliuione: quarum illam retinendam esse voluit: hanc reiiciendam. Contra id disputat Cic. quòd in nobis non sit situm, vt malorum obliuiscamur: quod exemplo Themistoclis confirmat, qui artem obliuionis non requisiisset, si quæ voluisset obliuioni tradere potuisset: quod idem exemplum in Lucullo est explicatum. Addit etiam, illud esse nimium audacis hominis & imperiosi obliuionem præcipere: quam nemo etiam volẽs prẽstare possit. Vbi ad Manliana imperia alludit, vt annotat Erasmus in Chiliadibus: cui⁹ prouerbij nnq; causa fuerit, narrat T. Liuius, Valer. Max. & alij permulti scriptores. Admonet Erasmus hoc loco pro, MANLIANA nostra} forsitan legendum esse, IVSSA. Codices nonnulli habent, VESTRA.

Quid si etiam iucunda memoria est præteritorum malorum.

Maiora molitur ad euertendam Epicuri rationem, vt probet tantum abesse, vt obliuiscẽda sint mala præterita, vt etiam memoria iucunda sit. idque omnes vno ore prædicare. Vnde vulgo facta sunt prouerbia non pauca: quorum aliquot refert. Græcum quod profert, est apud Aristotelẽ in Rhetoricis ad Theodectẽ, vbi etiã cur ea sit memoria malorũ iucunda, docet. Eius verba sunt, τὰ μὲν οὖν μνημονευτὰ ἡδέα ἐστὶν, οὐ μόνον ὅσα ἐν τῷ παρόντι ὅτε παρῆν ἡδέα ἦν, ἀλλ' ἔνια καὶ οὐχ ἡδέα, ἂν ᾖ ὕστερον καλὸν καὶ ἀγαθὸν τὸ μετὰ τοῦτο. ὅθεν καὶ τοῦτ' εἴρηται, ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα, μεμνῆσθαι πόνων· καὶ, μετὰ γάρ τι καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ μνήμενος, ὅστις πολλὰ πάθοι καὶ πολλὰ ἔοργοι. τούτου δ'

αὔπου, ὅτι ἡδὺ καὶ τὸ μὴ ἔχειν τὸ κακόν. Posterior sententia, quam citat Aristoteles, Homeri est, ad quam alludit quum ait Vergilius, Forsan & hęc olim meminisse iuuabit. Huc etiam pertinet trimeter Græcorum familiaris, ὡς ἡδὺ τοῖς σοφοῖς μεμνῆσθαι πόνων. Sententiam quoque illam Euripidis, in quadam Epistola ad Luceiũ Cic. expressit: Habet enim præteriti doloris secura recordatio delectationem. GRAECE ENIM hũc versum.] Antiquus codex, GRAECVM ENIM hunc versum] Et paulo pòst, in veteri eodem exemplari, versus magis constat, quàm in impressis: SVAVIS laborum est præteritorum memoria.

Quæ si à vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius vti poterat.

Bonorum præteritorum memoriam à voluptatibus corporis, ad quas animi voluptates Epicurus referebat, non posse peti probat. C. Marius alio loco Ciceroni dicitur, in secundis rebus vnus ex fortunatis hominibus: in aduersis vnus ex summis viris. Is post septem consulatus, Cimbricósque triumphos, à Sylla authoritate deiectus est, & opibus omnibus exutus. sed eius integra historia est scripta à Plutarcho. quod ad hunc locum attinet, Is in fugam conuersus ad tugurium senis cuiusdam, qui lacunas purgabat, peruenit. A quo exceptus vt lateret, in quandam paludem iuxta fluuij ripas ductus est, vbi tametsi calamis atque aliis leuibus virgultis coopertus esset, cùm se latere posse non crederet, in palustrem atque cœnosam aquam descẽdit, &c.

Non intelligo, cur Aristoteles Sardanapali epigramma tantopere.

Epigramma scribit Suidas omne id dici, quod rei alicui inscriptum sit, siue versu, siue soluta oratione confectum sit. Huius epigrammatis meminit Cicero in Tusculanis: Quomodo igitur, inquit, iucunda vita potest esse, à qua absit prudentia? absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi iussit in Busto,

Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit: at illa manent multa & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quàm fruebatur. Epigramma integrum est apud Athenæum. Hoc epigrãma ab assentatoribus & voluptuosis hominibus incisum in busto fuisse, dicit Suidas: vbi etiam addit reprehensionem versuum, οἱ δὲ κόλακες, inquit, καὶ μιμηταὶ τῆς ἐκείνου φιλοσαρκίας, καὶ γαστριμαργίας καὶ οἰστρηλασίας ἐπιγράψαι, ὡς ἐξ αὐτοῦ δῆθεν ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ δὲ, Ταῦτ' ἔχω καὶ τὰ ἑξῆς. ψεῦδος ταῦτα ἐπιγράψαντες. οὐ γὰρ ἔχει ὁ πλουτήσας, ἅπερ ἔφαγε καὶ ἔπιεν, ἀλλὰ εἰς τὴν δυσώδη φθορὰν ἐκεῖνα πάντα κεχώρηκεν. ἔχει δὲ μόνην τὴν τοῦ παρανόμου βίου δυσοσμίαν, ἥτις διηνεκῶς τὴν ἀθλίαν αὐτοῦ ψυχὴν ἀλγύνει καὶ ἀνιᾷ συνειδυῖαν ἑαυτῇ τὰ κάκιστα, καὶ μεμνημένην ὧν παρανόμως καὶ ἀσελγῶς ὁ τάλας εἰργάσατο. Assentatores, inquit, vitæque eius voluptariæ, ingluuiei vẽtris, & insaniæ æmuli, hoc epigrãma eius scilicet nomine in busto quo erat conclusus, inscripserunt, Hæc habeo, &c. quæ certè falsa sunt inscribentiũ verba. Neque enim mortuus iam habet, quæ viuus ederat, quæque biberat, sed ea in putidam corruptionem omnia abierunt. habet verò vitæ nequiter actæ solum fœtorem: qui miserum eius animum perpetuò angit atque cruciatur, sibi flagitiorum conscium, & eorum recordantem, quæ iniquè & intemperanter infelix admisit. DIVTIVS sentire poterat dum vita frueretur] in vetusto codice est, DIVTIVS sentire poterat, quàm dũ fruebatur.] Paulo pòst, AVOLAT, vt aiebat] desunt duo verba, VT AIEBAT] in veteri, & pro CAVSSAS pœnitendi] legitur CAVSSAM.

Illud autem ipsum quî obtineri potest quod dicitis, Omnes animi &c.

Lib. primo hanc sententiam explicauimus tum ex Plutarcho, tum ex Laertio.

Eam nunc reprehendit per apostrophen ad Torquatum, docens eius vitam indicare non solam corporis eum sequi voluptatem, sed virtutum potius dignitatem. Adiũgitur & altera reprehensio, quòd non maiores sint animi voluptates, quàm corporis, si propter corporis voluptatem fiat ea, quæ est animi propria. Et tractatur locus per eam Aristotelis communem sententiã, ἀεὶ δι᾽ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει, οἷον δι᾽ ὃ φιλοῦμεν, ἐκεῖνο μᾶλλον φίλον. Si enim propter corporis voluptatem animi voluptas est, profectò maior erit & potior corporis voluptas, quàm animi: quod minimè vult Epicurus, vt dictum est. De tribus etiam temporibus, quorum sit anim° particeps, libro quoque primo est disputatum: & non multò antè tractatũ est de dolore, in quo beatus esse posit: ex quo efficiatur, vt non sit dolor summum malum.

Voluptatem bestiis concedemus, quibus vos de summo bono.

Nullum animal est, quod voluptate non moueatur: hoc intelligens Epicurus, quodque deprauatæ non sint malis moribus beluæ, ab iis argumentum duxit, id esse summum bonum. Sed non animaduertit, summum bonum proprium eius esse debere, cuius bonum quæritur. Iam ergo cùm sit nobis voluptas cum beluis communis, summum bonum nobis esse non potest. Imò verò ne beluis quidem summũ hoc videtur. quippe quæ sæpe contemptis voluptatibus, frigus, famem, montiuagos atque syluestres cursus lustrationésque patiantur propter gignendum, & quod natum est, educandum: proque suo partu ita nonnunquam propugnent, vt vulnera excipiant potius, quàm deserant: nullos impetus, nullos ictus reformident, si saluum retinere fœtum quoquo modo possint. Sic Plato de iis in Symposio loquẽs, καὶ ἕτοιμά, inquit, ἐστιν ὑπὲρ τούτων καὶ διαμάχεσθαι τὰ ἀσθενέστατα τοῖς ἰσχυροτάτοις καὶ ὑπεραποθνήσκειν, καὶ αὐτὰ τῷ λιμῷ παρατεινόμενα, ὥστ᾽ ἐκεῖνα ἐκτρέφειν, καὶ ἄλλο πᾶν ποιοῦντα. id est, Et pro iis quidem quæ procreata sunt, ita propugnare paratę sunt, vt & vulnera imbecilles ipsæ maximè à fortioribus non horrescant excipere, & mortem non reformident pro suo partu adire, famemque diutinam perpeti, vt quod procreatum est alatur, cęteraque omnia pati eius generis, non dubitent.

Turtures & cursu & peregrinatione lætantur, congregatione aliæ.

In antiquo codice legitur, PARTIM cursu & peragratione lętantur, &c. nec adiũgitur verbum TVRTVRES, quod à quodam superscriptũ videtur, vt eius generis haberet exemplum: deinde à scriptoribus, vt verum, inter Ciceronis verba adscriptũ. Diuidit Aristoteles τὰ ἀγελαῖα ζῶα in πολιτικὰ & σποραδικά. in illorũ genere primum hominem ponit, deinde apem, formicam, &c. De eo genere loquitur Cic. & appellat, quæ congregatione cœtum quodammodo ciuitatis imitantur, aptè vtroque verbo ἀγελαίων, καὶ πολιτικῶν expresso.

Ergo in bestiis erunt secreta à voluptate humanarum quædam.

De virtutis in bestiis simulacris plura Aristoteles in Animalium historia, & de eorum partibus: plura & Plutarchus: & quædam explicabuntur huius operis lib. 5. Si ergo in ratione carentibus animantibus, apparent virtutum similitudines, longè à corporis voluptatibus positæ: quantomagis in homine, id est, in præstantiore natura, lõgius elucere debent virtutes, id est, hominis propria officia, munera, & finis? Et si nihil temerè natura fecit, certè hominis conformatio longè alia quàm beluarum, satis docet non ad voluptatem eam naturam ortam esse: vt nihil dicatur de animorũ præstantia, dignitate, & studiis honestatis.

Vt si Xerxes cum tantis classibus, tantisque equestribus & pede.

Tot, inquit, opportunitates tributas homini à natura, tot animorum motiones, industrias, studia, voluptatis causa parata esse, si quis dicat, perinde est ac si quispiam copiosissimo & sumptuosissimo exercitu, dulciculæ cuiusdam rei copiã quærat, quæ & sine vllo conatu haberi potuisset, & habita, parum aut nihil commoditatis adfer-

ret. Herodotus in Polymnia, Xerxis exercitus numerosos descripsit. plura idem & de iuncto Hellesponto, & de Athonis perfossione. Sparsim alij authores attigerũt, veluti de Hellesponto Plutarchus lib. 1. de Fortuna Alexandri, ὁ Ξέρξης, inquit, Ξέρξη καὶ αὐόνη τι, καὶ μάτην πολλὰ περὶ τὴν Ἑλλησποντίαν πονηθεὶς γέφυραν. & Plin. subindicat quid sit iungere Hellespontum: Constrato, inquit, in nauibus ponte, hac duxit exercitum. Citat idem Plutarchus epistolam quandam, quam Xerxes ira commotus, gloriabundus certè, ad Athonem montem scripsit his verbis, Ἀθῶ δαιμόνιε οὐρανόμηκες μὴ ποιεῖν ἐμοῖς ἔργοις λίθους μεγάλους καὶ δυσκατεργάστους. εἰ δὲ μή, τεμὼν ῥίψω σε αὐτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, Atho beate, qui cœlum tua pertingis altitudine, ne meis conatibus magnos exhibeas & operosos lapides. nisi velis, vt in mare excisum te præcipitem. Vbi codices impressi habent partim, ATHOVS, partim ATHO, vetustũ exemplar habebat ATHONES. & certè scribit Priscianus hac inflexione in lib. de Rep. vsum fuisse M. Tullium, vbi ait, Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonẽ pro monumẽto vult funditus efficere? Quis enim est Athos aut Olympus tantus. Vtitur quoque Lucillius apud Gellium, Vt aiunt montes Aetnæ omnes atque asperi Athones. Hymetus mons est celebris in Attica regione, qui floribus semper vestitur: ideo dicitur Ouidio, Semper florens Hymetus: & Iuuenali, Dulcis Hymetus, quia mel gignit optimum, vt est apud Strabonem. MEL SE afferre ex Hymeto] in veteri est, MEL SE auferre.

Ad altiora quædam & magnificentiora, mihi crede, Torquate.

Totius hominis fabrica docet ad voluptatem eum natum nõ esse: itemq; animi officia. In animo virtutum omnium semina reperiuntur: vt coniectura consequentium, quæ est prudentiæ: moderatio cupiditatis, quæ est temperantiæ: fides ad cõseruandam generis humani societatem, quæ est iustitiæ: perpessio laborum, & periculorum honesti causa, quæ est fortitudinis: atque ita habes honesti omnia genera summatim collecta. Hæc certè in beluis non reperiuntur: ergo cùm temere hæc tributa homini non sint, ad altiora quàm voluptatem nos natos esse cõfirmant. Verũ enim est commune Philosophorum effatum, ὧν αἱ κατασκευαὶ διάφοροι, τούτων καὶ τὰ ἔργα, καὶ τὰ τέλη. quod ait in animis inesse quiddam diuinum & cœleste, id antè Plato dixit Homero nuncupatum fuisse, τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐγγιγνόμενον θεοειδές τι καὶ θεοείκελον.

Quòd si esset in voluptate summum bonum, vt dicitis, optabile esset.

Aliud argumentum, Nemo est qui recuset in re bona diutissimè, imò semper versari. At in corporis voluptate semper versari nemo est qui velit: ergo corporis voluptas, in bonis numeranda non est. Ita quoque Plato voluptatem turpem esse probat. Sic enim ait in Philebo Protarchus, ἡδονὰς δὲ γε που ταύτας χαίροντας τὰς μεγίστας ὅταν ἴδωμεν ἡδόμενον ὁντινοῦν, ἢ τὸ γελοῖον ἐπ' αὐταῖς, ἢ τὸ πάντων αἴσχιστον ἑπόμενον ὁρῶντες, αὐτοί τε αἰσχυνόμεθα, καὶ ἀφανίζοντες κρύπτομεν ὅτι μάλιστα, νυκτὶ πάντα τὰ τοιαῦτα διδόντες, ὡς φῶς οὐ δέον ὁρᾶν αὐτά. Attamẽ, inquit, quum videmus in istis vel maximis voluptatibus aliquem versari, statim ipsi quàm ridiculum sit, quamque turpe quod inde consequitur intuẽtes, erubescimus: ac abditi, si qua eiusmodi perfundi dulcedine velimus, id facimus quàm maximè: totúmque id genus nocturnis tribuẽtes tenebris, tanquam luce indignum & conspectu iudicamus.

Cyrenaici quidem non recusant: vestri hæc verecundius, illi fortasse.

Constantius Cyrenaici faciunt, quia ea facere suis decretis & dogmatibus cõsentaneum est & consequens. Nam si summum bonum, in quo esse semper est optandum, est corporis voluptas: certè in voluptate ea semper versari, est optandum. Tenent ergo consequentia illi: Epicurei naturæ bonitate victi, verecundius agunt: ac in eo, quo nihil melius esse docent, versari perpetuò recusant. Quanquam interdiu

rebus venereis vti nol'e Plutarchus Cyrenaicos dicat, οἱ Κυρηναϊκοὶ, inquit, οὐδ' ὁμιλοῦν ἀφροδισίοις οἴονται δεῖν μετὰ φωτός, ἀλλὰ σκότος προθεμένους: cur id faciant docet, ὅπως μὴ τὰ εἴδωλα τῆς πράξεως ἀναλαμβάνουσα διὰ τῆς ὄψεως ἐναργῶς ἐν αὐτῇ ἡ διάνοια πολλάκις ἀνακαίει τὴν ὄρεξιν. Ne, inquit, per aspectum mens facti specie concepta, sæpius appetitionem accendat.

Quæ autem est alia causa erroris tanti, tam longè latéque diffusi.

In animo tres partes statuit Plato, τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμοειδὲς, τὸ ἐπιθυμητικόν. In constituendo summo bono philosophi his partibus quid accommodatum esset & cōueniret, quæsiuerunt. Alij quidē omnes partes spectauerunt, & potissimę quod erat congruum, non tollentes quæ aliarum erant propria partium, summum bonum statuerunt. Atque isti quidem rectè de bonorum fine & malorum, rationis quidem hominum iudicio, iudicauerunt. Qui verò tantum vnam contemplati sunt partem, cæteris neglectis, à vero ij aberrauerunt: qualis Epicurus fuit atque Chrysippus. quod Galenus his quidem verbis docet: τριῶν τούτων ἡμῖν οἰκειώσεων ὑπαρχουσῶν φύσει καθ' ἕκαστον τῶν μορίων τῆς ψυχῆς εἶδος, πρὸς μὲν τὴν ἡδονὴν διὰ τὸ ἐπιθυμητικὸν, πρὸς δὲ τὴν νίκην διὰ τὸ θυμοειδὲς, πρὸς δὲ τὸ καλὸν διὰ τὸ λογιστικόν, Ἐπίκουρος μὲν τὴν τοῦ χειρίστου μορίου τῆς ψυχῆς ἐθεάσατο μόνην. ὁ δὲ Χρύσιππος τὴν τοῦ βελτίστου. Atque illud est, quod nūc ait Cicero, vocans cupiditatem τὸ ἐπιθυμητικὸν, & τὸ λογιστικὸν partē animi in qua inest ratio atque consilium. Sensus verborum Galeni, vt omnes intelligant, is est, Cū tria numero sint, ad quæ singulis animi nostri partibus accommodati sumus, ad voluptatem quidē, ea parte, in qua cupiditas inest: ad victoriam aūt & principatū, ea in qua irarum existit ardor: & ad honestū, ea in qua inest ratio atque consiliū, Epicurus quidem cū animi tantum leuissima parte deliberauit: Chrysippus verò, eius quæ est optima & præstantissima, rationem habuit. reliqua vide in eo libro, qui de Platonis & Hippocratis decretis inscribitur.

Quæro enim de te, si sunt Dij, vt vos etiam putatis, quî possunt esse.

Deum vocauit Epicurus μακάριον καὶ ἄφθαρτον. Si ergo beatus est, percipiat voluptates necesse est: in voluptate enim Epicuro vita beata ponitur. At idem cùm dicat omnes è corpore proficisci voluptates: sequitur vt aut deus nullas percipiat voluptates, aut corpore percipiat, cuius nō est particeps. Deos esse in Epistola ad Menœceum fatetur: θεοὶ μὲν γὰρ εἰσίν. ἐναργὴς μὲν γάρ ἐστιν αὐτῶν ἡ γνῶσις. Quod Cicero tractat lib. 1. de Nat. Deorum. Sic enim ait, loquens de Epicuro Velleius, Solus enim vidit primum esse deos: quòd in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Subiungit aliud argumentum, cuius ea vis est, Omnia quæ summi boni sunt efficientia, laudabilia sunt: Nemo vnquam laudatus est, quia voluptatis fuerit artifex: Voluptas igitur summum bonum non est. Tractatur autem & illustratur exemplis, cùm Græcorum, tum Latinorum.

Non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad portam.

Elogium quid sit, ex Suetonij verbis intelligitur, qui ait in vita Claudij, Nec contentus elogium tumulo eius versibus à se compositis insculpsisse, etiam vitæ memoriam prosa oratione composuit. & Cic. in Catone Maiore, Solonis quidem ait, sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum, lamentisque vacare. Huius verò elogij Attilij Calatini meminit quoque Cic. in libello de Senectute. Apex est autem, inquit, senectutis authoritas. quanta fuit in L. Cæcilio Metello! quanta in Attilio Calatino! in quem illud elogium vnicum, plurimę consentiūt gentes, populi primarium fuisse virum. Notum est totum eius carmen incisum in sepulchro. Iure igitur grauis, cuius de laudibus omnium esset fama consentiens. ET QVID ipsis expediat facturos arbitramur] codex antiquus habet, ET QVICQVID ipsis expediat, facturos arbitrabimur.

Nonne videmus quanta perturbatio rerum omnium consequatur?

Quæ sequantur incommoda voluptatis assertores, indicat. Tollitur beneficẽtia omnis. Quum enim liberalitas nullum beneficiorum fœneratorem quęrere debeat: hæc disciplina, quæ tota in voluptate est posita, docet ob id gratificãdum esse, vt fructus ex benignitate percipiatur. Lib. 1. de Legibus, Quid liberalitas? gratuitáne est, an mercenaria? si sine præmio benignitas est, gratuita. si cũ mercede, conducta. Nec est dubium, quin is qui liberalis benignúsve dicitur, officium, non fructum sequatur.

Sunt etiam turpitudines plurimæ, quæ nisi honestas natura pl. valeat.

Antiquum exemplar habet, QVAE, NISI honesta natura plurimum valẽt] alij, HONESTATIS natura.] Nisi quod turpe est, sua vi & natura hominẽ retineat, atque à malè faciendo retrahat: honestúmque in officio contineat, nõ quia aut pœna, aut ignominia secutura sit, sed quia honestum sua sponte retinendum, & turpe fugiendum: certè infinita admittentur vitia, turpitudinésque plurimæ sequentur. Rebus alienis ex quibꝰ effici voluptates poterũt, manus afferre quid obstabit, remotis testibus, & vt ait Epictetus, ἐὰν κρυφῶς καὶ ἀσφαλῶς γίνηται, addit, διὰ τί μὴ τὴν τοῦ γείτονος γυναῖκα διαφθείρωμεν, ἂν δυνώμεθα λαθεῖν, κἂν δὲ φλυαρῇ ὁ ἀνὴρ καὶ αὐτὸν προσεκτραχηλίσωμεν; Quid obstabit, quo minꝰ vicini vxorẽ corrumpamus, si id clà fore cõfidamꝰ? siq; molestus sit eius maritus, quid retinebit nos, ne ei ceruicẽ pręcidamus? Quid absterrebit nos à cæde locupletum tenebras & solitudinem nactos? Plura dici possunt in hanc sententiam: sed satis sit si intelligamus honestatem cõstare non posse, nisi bonitate sua nos ad se alliciat: & turpitudo fœditate sua per se ipsa deterreat.

Vel Herculis perpeti ærumnas (sic enim maiores nostri labores.

Docet Festus Pompeius ærumnnas dictas fuisse furculas, quibus religatas sarcinas viatores ferebant, quarum vsus erat. Itaque ærumnarum verbo, labores onerosos significari, παρὰ τὸ αἴρειν, quod est tollere. Herculis ærumnas duodecim numerant, quas versibus persecutus est totidem Vergilius: si modò eorum author est. ij positi sunt inter Vergilij opuscula. Prima Cleonæi tolerata, &c. & rursus, Compressit Nemeæ primum virtute leonem, &c. Certè ita orbem ille monstris eiusmodi purgauit sua virtute, vt ἀλεξίκακος dictus fuerit. Sed hæc satis omnibus nota sunt.

SYRONEM dicis & Polydemum] in veteri est, PHILODEMVM.

OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII IN M. T. CICERONIS LIB. TERTIVM DE Finibus bonorum & malorum, Commentarius.

ERTIVS hic liber finis bonorum & malorum continet explicationem de Stoicorum sententia: qui sermo Catoni Stoico tribuitur. In procemio docet quæ secundo libro, cõtra defensores voluptatis conclusa sunt: eadémque contra Hieronymi Peripatetici indolentiam dici posse vult, quia virtus ab vtroque genere repellitur; quiáque, vt aiebat Chrysippus, Qui summum bonum id dicunt esse, si vacemus omni molestia, ij inuidiosum nomen voluptatis fugiunt, sed in vicinitate versantur. Subiungit comparationem tractationis eius, quæ in superiore libro, & eius quæ in hoc continetur, vt hanc esse difficiliorem, propter authorum in differendo subtilitatem, doceat: item propter verborum nouitatem, quæ parienda sunt ad nouæ rei explicationem. Id verò licere docet in hac philosophandi ratione, Latinis inusitata: non minus quàm aliis in artibus ingenuis, inque artificiosis & illiberalibus suas res artifices nominare suis & peculiaribus, ac aliorũ cognitioni inusitatis vocabulis possunt. Et certè cũ è multitudine verba petantur, quam penes est & vis & norma loquendi: sitq; vulgi iudicio ignota philosophia, quæ res abstrusas & occultas tractat: is qui de ea disserere aggreditur, nomina nouæ rei noua fingat necesse est. Huc accedit, quod & inter philosophos nulli tot verba innouarunt atque Stoici, quorum ratio hac disputatione in medium proponitur. Conferuntur & inter se comparantur lingua Græca & Latina: ex quo efficitur, vt si alteri, id est Græcæ, quæ copiosior fertur, nomina cõficere licuerit, liceat quoq; & tenuiori copia instructæ, id est, Latinæ: tametsi id Cicero perlibenter neget: conetúrque, & conandum esse dicat, vt illam diligentia nos vincamus: vt quemadmodum in tractãdis aliis philosophiæ placitis, ne copia quidem verborum Græcis cesserimus: idem & in hac finiũ explicatione, quæ tota ab illis est, efficiamus. In fine Procemij beneuolentiam Bruti, cui hos dedicauit libros, sibi comparat. Cuius tanti facit ingenium, vt non se gratia docendi hos ad eum scripsisse libros

profiteatur, sed vt eum studiorũ quæ tractat, æstimatorem habeat & iudicem.

Voluptatem equidem Brute, si ipsa pro se loquatur.

PRosopopœia est in eo quod dicit, Voluptatem pro se loqui, concedere, repugnare, anteponere iucunda, &c. quasi de disputatore & voluptatis assertore loquatur, non, de re quæ horum quicquam accipere non potest. In eo autem quod ait, dulcedinem & lætitiam, duplicem expressit voluptatem: alteram in corpore, alteram in animo. Dixit enim suprà, lætitiam ad animum pertinere, vt iucundum motum & suauem ad corpus. Nam quod in codicibus legitur, ET VTILITATEM ex eáue natam lætitiam] legi debet illis duabus ET VTILITATEM dictionibus detractis: quas neque ille vetus codex, quo vsus sum, habet. Huc verò à cuiusdam grammatici interpretatione insertæ videntur: qui nomine volupta tis vtilitatem quoque intellexit, vt alicubi lib. 2. M. Tullius ait, se malle vtilitatem q̃ voluptatem in causa esse dicere, cur sui commodi gratia voluptatis patroni omnia faciant. Qui eradere nolet duo illa verba, recipiat Camerarij coniecturã, vt pro VTILITATEM, TITILLANTEM legamus. VT COMMOVERI nos satis sit.] alij melius, COMMONERI. Lib. enim primo dixit Torquatus, Nihil oportere exquisitis rationibus confirmare, tantũ satis esse, admonere. interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis, & inter mediocrem animaduersionem atque admonitionem.

Stoicorum autem non ignoras quàm sit subtile, vel spinosum potius.

Inter omnes philosophos differendi artem, præsertim illam partem, quæ ad iudicium pertinet, subtilissimè accuratissimeque coluerunt Stoici. Qui quia minutis interrogatiunculis, & breuibus ratiocinationibus, omni detracto rhetorum ornamẽto, rem conficiunt, quasi aculeis pungere, & spinosi dialectici, frequentissimè Cic. dicuntur. Nam Aristoteles, Theophrastus, & reliqua Peripateticorum familia, latius rem producere docuerunt, thesi & hypothesi, ac ornamentis à Rhetoribus adscitis: vnde & magis ad Rhetorum amplitudinem accedunt, quàm ad nudam Dialecticorum argumentandi rationem. Itaq; Dialecticorum nomine apud Ciceronem Stoicos intelligimus.

Cogitans in omni arte, cuius vsus vulgaris, communisque non sit.

Olim tum apud Græcos, tum apud Latinos, quum docti eodem sermone vtebãtur, quo vulgus, verba quæ in ore omnium versabantur, erant assumenda loquẽtibus ac scribentibus, sed in rebus populo vsitatis. Quòd si de ignotis plebi erat agendum, tum nouis rebus noua erant construenda nomina: sed id, quàm parcissimè & modestissimè fieri poterat, vt non longius à vulgari loquendi consuetudine discessio fieret. Necessariũ tamẽ fuit nouis inuentis artibus, nouis vti rerũ vocabulis: ita factũ est, vt quodam suo & peculiari loquendi genere singulæ artes vsæ fuerint, singulæq; disciplinæ. Quod si licuit artificiis vulgaribus, si artibus homine libero dignis, certè philosophiæ, quæ longè à plebeculæ sensu recessit, tractandæ, sua accommodanda sunt propria vocabula. CONSTITVANTVR earum rerum vocabula] alij, CONSTRVANTVR.

Atque vt omittam has artes elegantes & ingenuas.

Si noua omnia riderentur artificum vocabula, vt nõ vsitata & nota, profectò null' esset locus artificiis designãdis, addiscẽdis, explicãdis. Teneat̃ ergo prçceptũ omnibus tuendis tum artibus, tum scientiis vtilissimum, Quod vnaquæque suis vtatur &

propriis vocabulis, neq; ob id alia aliã rideat aut damnet, sed iuuet potius, mutuãq; præbeat operam: sicut artifices solent, quorum alij aliis instrumenta suppeditant, ac quouis modo præsidia vicissim conferunt: ita tota conseruatur & retinetur ciuitas: quæ certè, vt non potest, teste Aristotele, ex medicis duobus constare, sed ex medico & agricola: ita etiam nisi in scientiis propria quæque habeat nomina, quibus ab alia distinguatur, confusio sequetur, & mirabilis artium perturbatio. SED ETIAM in illorum ipsorum consequamur] vetus exemplar, ASSEQVAMVR.

Quanquam ea verba, quibus ex instituto veterum vtimur.

Latinis Græca verba sunt quædam vsurpata, quæ repudiare non liceat: sed iis tanquam Latinis vtendum. Talia sunt multa apud Ciceronem: quorũ nonnulla minus trita collegit Budęus, syngrapha, chirographũ, xistus, acroama, diploma, bibliotheca, hypodidascalus, peristroma, emblema, collyb*, physiologia, &c. Sunt & in hoc opere nonnulla, physica, schola, asotus, exhædra & alia, præter hæc quæ nunc enumerat.

Quasi helluo librorum, si hoc verbo tam in clara re vtendum est.

In exemplari manu scripto est, QVASI helluari libris. Verbi helluari meminit Gellius lib. 2. cap 3. vbi docet veteres plerisque vocibus verborum formandis roborandísque spiritum inseruisse. Et docet Festus Pompeius Helluonem dici, qui immoderatè bona sua consumat, à helluando: quæ vox, inquit, aspiratur, vt auiditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior.

Quanquam quidem hoc proprium tuum munus est, vt ita erudiatur.

Non tantum ob propinquitatem generis, istud debebat Lucullo officium Cato, verumetiam ob tutelam, quam is Luculli gerebat: sic enim significant verba Varronis lib. 3. de re Rustica, Age num M. Cato nuper cum Luculli accepit tutelam, è piscinis eius quadraginta milibus sestertiis vendidit pisces?

Commentarios quosdam, inquam, Aristotelicos, quos hic sciebam.

Appositè alius philosophi libros requirit, vt ad suorũ, id est, Stoicorum commendationem Cato excitetur, vnde disputandi initium de Stoica disciplina nascatur. Incipit itaque à suorum laude Cato, ad quos euoluendos incitat Ciceronem: & rationem à fine addit: Quia solam honestatem in bonis ducere debemus: quod primũ caput est Stoicorum decretorum: ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν, καὶ τὸ αἰσχρὸν κακόν: quod reprehendit Cicero, quia rerum mediarum delectus tolli videtur: quod fecerunt Aristo & Pyrho. EGONE, quæris, inquit, scire quid sentiam?] Verbum SCIRE, abundare puto, quod nec habet vetustus codex, nec ad rem facere videtur.

Nam si hoc non obtineatur, id solum bonum esse quod honestũ sit.

Omnibus rebus posthabitis nos in optimæ vitę statu exquirendo totos collocare debemus: vt eum intelligentes, habeamus quò omnia nostra consilia factáq; referamus. Eum nisi, inquit, tribuamus honestati, id est, virtuti & officiis eius, cùm alia sint sub varios subiecta incertósque casus fortunæ: nec virium tantum habeant, vt se ipsa tueantur: profectò ne in nobis quidem situm erit, vt vitam assequamur beatam: atque ita frustra in ea perquirenda labor studiumque insumetur: ideoque philosophiæ studium totum abiiciendum erit. Quòd si virtus tanti æstimetur, vt in ea vita includatur beata, certè sapientia iam caput efferet, quæ à beatitudine non seiungetur: quæ in miseriam non incidet: quod fieret, si alia bona quàm honesta existimarẽtur: & alia mala, quàm turpia.

Quum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum quæ secundum.

Pyrrhoniorum & Stoicorum sectæ in hoc conueniunt, quòd rerum diuisionem facientes, alia dixerunt bona, quales sunt virtutes, & quæ virtutum communionem

habent: alia mala, vt vitia, & quæ vitiis participant: alia media quæ ἀδιάφορα nuncuparunt, Cic. indifferentia. Sed in hoc discrimen est, quod illi quæ inter bonum & malum posita sunt, ita paria fecerunt, vt nullum alij anteponendum censuerint: Stoici verò eorum selectione vsi sunt, quam vocant τὴν τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογήν: itaq; alia aliis anteponenda putauerunt: iisque sese applicauerunt. Sic enim Chrysippus dicebat, μέχρις ἂν ἄδηλά μοι τὰ ἑξῆς, ἀεὶ τῶν εὐφυεστέρων ἔχομαι πρὸς τὸ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν. αὐτὸς γάρ μ' ὁ θεὸς τούτων ἐκλεκτικὸν ἐποίησεν. Quoad, inquit, erunt mihi incerta postera & consequentia, ea equidem interim sequor, quę sese commodiora offerũt, vt ea quæ sunt secundum naturam adipiscar. Nam talem me deus procreauit, vt rerum eius generis selectione vti posim. Qui non fallebatur in eiusmodi electione, eum εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ. dicebant: qua de re latius posteà disputabitur.

Si vna virtus, vnum istud quod honestum appellas, rectum lauda.

Concludit ex eo, quia solum honestum sit in bonis, & vitium in malis, nihil superesse, quod sit aut experendum, aut fugiendum: vt doceat ne Stoicos quidem rerũ illarum vllum delectum reliquisse, perinde atque Pyrrhonios. At prætermittitur huius argumenti dilutio, & continua instituitur Stoicæ disciplinæ explicatio, ad declinandas scilicet fallaces captiones, quæ in respondendo ac interrogando interuenire solent: dum is qui disputat non quid certa firmáque ratione effici posit, considerat: sed ex iis quæ qui ponit quæstionem, aut ait, aut negat, concludit.

Nec tamen exprimi verbum è verbo necesse erit, vt interpretes.

Vtile præceptum de transferendis Græcis in nostram, id est, Latinorum, cognitionem. Dum enim nostri verbum de verbo reddere conati sunt, rem omnem obscurarunt. Itaque nonnunquam censet pluribus verbis reddendum esse, quod vno aptè reddi non potest. Quòd si Græca ea occurrant, quibus fuerint vsi Latini pro suis, nihil obstare, quo minus ea vsurpemus: qualia in Cicerone multa reperiũtur. QVVM sit verbum quod idem declarat, magis minúsve vsitatum] in veteri exemplari est, QVVM SIT verbum quod magis idem declarat vsitatum. Ephippiorum nomine vtimur, pro equi tegmine ad mollem vecturam parato, vt ait Nonius. Cato de liberis educandis, Mihi puero modica fuit vna tunica & toga, sine fasceis calceamentum, equus sine ephippio. & notus est versiculus,

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Vocabulo acratophori Varro vtitur de Re rust. primo, Ea minus sumptuosa vinea, quæ sine iugo ministrat acratophoro vinũ. Α'κρατοφόρον Iulius Pollux in catalogo poculorum ait esse, quod alij ψυκτῆρα, alij δῖνον ἐν ᾧ ἦν ὁ ἄκρατος, nominãt, vbi vinum merum seruabatur.

Sedulò, inquam, faciam, sed fortuna fortes: quare conare quæso.

Sedulò exponit Nonius, quasi sine dolo, huncque locum profert. ita Terentius dixit, Parum succesit quod ago, at facio sedulò. id est, impensè, instanter, & ex animo: quia negligentes, dolosi dicuntur: vt sit SEDVLO, quasi secus à dolo. FORTVNA fortes] subaudi, adiuuat. Prouerbiũest, cuius in Tusculanis mentio fit, Fortes enim non modo fortuna adiuuat, vt est in vetere prouerbio, sed multò magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis. Admonet adagium, ait Erasmus, fortiter periclitandam esse fortunam. nam his plerunque res prosperè cedere.

Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum.

De hac prima naturæ commendatione ab ortus initio repetita, sæpisimè Cic. vt etiam apud Græcos Chrysippus Stoicus nobilisimus disputauit. quod Plutarchus

testatur, cuius verba sunt, πῶς οὖν ἀποκναίει πάλιν ἐν παντὶ βιβλίῳ φυσικῷ ἰδίᾳ καὶ ἠθικῶν γράφων, οἰκειούμεθα πρὸς αὐτοὺς εὐθὺς γενόμενοι, καὶ τὰ μέρη, καὶ τὰ ἔκγονα τὰ ἑαυτῶν. Quid igitur est, inquit, cur toties impudenter singulis suis in libris & de natura & de moribus scribens, repetit, Nos simulatque nati sumus, nobis ipsi conciliamur, commendamurque, & ad nos conseruandos & ad tuendas partes, & ad eos qui procreati sunt, diligendos. Laertius autem istam Stoicorum sententiam, quam nunc tractat Cato, retulit quoque pluribus verbis, τὴν δὲ πρώτην ὁρμὴν φασὶ τὸ ζῷον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ᾽ ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν, πρῶτον οἰκεῖον λέγων εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. οὔτε γὰρ ἀλλοτριῶσαι εἰκὸς ἦν αὐτὸ τὸ ζῷον, οὔτε ποιῆσαι αὖ αὐτὸ, μήτε ἀλλοτριῶσαι, μήτε οὐκ οἰκειῶσαι. ἀπολείπεται τοίνυν λέγειν συστησαμένην αὐτὸ οἰκείως πρὸς ἑαυτό. οὕτω γὰρ τὰ βλάπτοντα διωθεῖται, καὶ τὰ οἰκεῖα προσίεται. ὃ δὲ λέγουσί τινες, πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζῴοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν. ἐπιγέννημα γάρ φασιν, εἰ ἄρα ἐστὶν ἡδονὴν εἶναι, ὅταν αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα, τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ. Quæ verba, quoniam à Cicerone hoc libro & sequẽti, itẽ libris de Officiis & aliis eius operibus conuersa sunt & explicata, non est quod ea interpretari debeamus. DVCTVM esse à se diligendi sui] in antiquo exẽplari est, DVCTVM esse à se diligendo.

Cognitiones autem, vel si hæc verba, aut minus placent, aut minus.

In veteri legitur, RERVM autem cogn.] Καταλήψεις cognitiones rectè vertit. Sic enim Galenus scribit τὸ καταληπτὸν idem quod τὸ γνωστὸν valere: & καταλαμβάνεσθαι, quod βεβαίως γιγνώσκειν. In Academicis de ea κατάληψει sic ait, Neque definiri aiebãt necesse esse, quid esset cognitio aut perceptio, aut si verbum è verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocabãt. Vnde autem nomen ductũ fuerit, idem de Zenone loquens, eodem in libro indicat. Nam quũ, inquit, extensam aduersis manum ostenderat, visum inquiebat huiusmodi esse. Deinde quum paulũ digitos extrinxerat, assensus huiusmodi. Tum cùm planè compresserat, pugnumq́; fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. Qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod antè non fuerat, κατάληψιν imposuit. Fit autem κατάληψις, sententia Stoicorum, partim αἰσθήσει λευκῶν καὶ μελάνων καὶ τραχέων καὶ λείων: partim λόγῳ τῶν δι᾽ ἀποδείξεως συναγομένων. De ea quę modo posteriore fit, hic Cicero loquitur. Proficiscimur autem ἀπὸ τῶν καταλήψεων εἰς τὴν ἐπιστήμην, quam in solum sapientem cadere arbitrantur: sic enim ait M. Tullius in Lucullo, & Plutarchus eorũ referẽs sententiam, πᾶσα κατάληψις ἐν τῷ σοφῷ καὶ τῇ μνήμῃ τὸ ἀσφαλὲς ἔχουσα καὶ βέβαιον, εὐθύς ἐστιν ἐπιστήμη, καὶ ἀγαθὸν μέγα καὶ μέγιστον. id est, Omnis perceptio comprehensioq́; in animo sapientis, & in memoria impressa, si constantiam firmitatémque habuerit, statim scientia efficitur, quod bonum non modò magnum, sed etiam maximum est. Huc etiam pertinet quod ait Lactantius Firmianus, Duabus rebus videri philosophiam cõstare, scientia & opinatione: ac scientiam amplexatos fuisse Zenonem ac Stoicos, opinationem repudiasse: Opinari enim te scire quod nescias, non esse sapiẽtis, sed temerarij potius, ac stulti.

A falsa autem assensione magis nos alienatos esse, quàm à cæteris.

Arrianus de assentiendo quædam scripsit, quæ hunc locum mihi perspicuum videntur factura esse. Eius verba sunt, τί ἐστιν αἴτιον τοῦ συγκατατίθεσθαί τινι; τὸ φαίνεσθαι ὅτι ὑπάρχει. τῷ οὖν φαινομένῳ ὅτι οὐχ ὑπάρχει συγκατατίθεσθαι οὐχ οἷόν τε. διὰ τί; ὅτι ἡ φύσις αὕτη ἐστὶ τῆς διανοίας, τοῖς μὲν ἀληθέσιν ἐπινεύειν, τοῖς δὲ ψευδέσι δυσαρεστεῖν, πρὸς δὲ τὰ ἄδηλα ἐπέχειν. τίς τούτου πίστις; πάθε, εἰ δύνασαι, νῦν. ὅτι νύξ ἐστιν. οὐχ οἷόν τε. ἀπόπαθε ὅτι ἡμέρα ἐστίν. οὐχ οἷόν τε. πάθε ἢ ἀπόπαθε ἀρτίους εἶναι τοὺς ἀστέρας. οὐχ οἷόν τε. ὅταν οὖν

τις συγκατατίθεται τῷ ψεύδει, ἴδιον ὅτι οὐκ ἤθελε ψεύδει συγκατατίθεσθαι. πᾶσα γὰρ ψυχὴ ἄκουσα στέρεται τῆς ἀληθείας, ὡς λέγει Πλάτων, ἀλλὰ ἔδοξεν αὐτῷ τὸ ψεῦδος ἀληθές. Sensus est, Sed quid causæ est, cur rei cuipiam assentimur? Certè quia res ita esse videtur. Rei igitur quę non ita esse, vt dicitur, apparet, assentiri nō possumus. Cur ita? Quia ea est nostræ intelligentiæ ac mentis vis & natura, vt ad vera propensa sit: à falsis alienetur: & de incertis iudicium suspendat. Sed qua id ratione probas? Hoc tempore, si potes, ita sis animo affectus, vt credas noctem esse. Non possum. Fac in animum tuum inducas iam diem non esse. Fieri non potest. Animo tuo persuadeas, aut pares aut impares esse stellas. Nō possum. Vides ergo, si quis assentiatur falso, falso assentiri noluisse. Inuitus enim animus, vt ait Plato, à veritate seiūgitur, opinioneq; veri à falso decipitur.

Sequitur autem prima diuisio hæc, Aestimabile esse dicitur.

Videtur mihi locus menda non carere. Nam diuisionem nullam subijcit: sed tantum definit, quæ æstimabilia, quæque inæstimabilia, Stoicis dicantur. Præterea verbum Græcum quod respondeat æstimabili, deesse videtur, quia ait, SIC ENIM, vt opinor, appellamus. Apud Laërtium fit mentio τῆς ἀξίας &, τοῦ ἀξίαν ἢ ἀπαξίαν ἔχοντος: horum quidē, cū definit προηγμένα & ἀποπροηγμένα. De Axia verò, id est, æstimatiōe, hæc ex Dioclis Epidrome refert, ἀξίαν δὲ τὴν μέν τινα λέγουσι σύμβλησιν πρὸς τὸν ὁμολογούμενον βίον, ἥτις ἐστὶ περὶ πᾶν ἀγαθόν. τὴν δὲ εἶναι μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον, ὅμοιον εἰπεῖν ἥν τινα εἰσφέρει εἰς τὸν κατὰ φύσιν βίον πλοῦτος ἢ ὑγίεια. τὴν δ' εἶναι ἀξίαν, ἀμοιβὴν δοκιμαστοῦ, ἣν ἂν ὁ ἔμπειρος τῶν πραγμάτων τάξῃ. ὅμοιον εἰπεῖν ἀμείβεσθαι πυροὺς πρὸς τὰς σὺν ἡμιόνῳ κριθάς. Quorum verborum sententiam, vt poterimus, explicabimus. Aestimationem dicunt Stoici, partim, momētum illud quod quippiam habet ad tuendā vitam naturæ cōgruentē: & ea in omni bono cernitur: partim, vim aut commoditatē quādam mediā quæ ad eā faciat vitam, quæ naturæ conueniens est: qualem adferūt ad vitam naturę congruā, valetudo aut diuitiæ. Est & alia æstimatio, in hominis probati commutatione posita, quam scilicet rerum peritus designauerit: qualis est tritici cum hordeo & iumento permutatio.

Initiis igitur ita constitutis, vt ea quæ secundum naturam sunt ipsa.

Principia & tanquam elementa ac fundamenta Stoicæ disciplinæ, in exquirēdo summo bono hactenus exposuit: Homo commendatur à natura ad se suásque partes conseruandas, ad declinanda quæ interitum afferant: Homo ad scientiæ perceptionem notitias habet insitas & catalipses, quas propter se amat: habet corporis partes aptas ad suum quāque vsum: habet initia & veluti antecepta & antegressa iudicia de bonis & malis, eorumque mediis, & de singulorum eorum dignitate ac precio, quam æstimationem appellat. Iam superest, vt intelligat quemadmodum in iis sese gerere debeat: quóque pacto ad summi boni adeptionem perueniat. Docet igitur καθήκοντα, id est, officiā, quę in singulis illis primis homo colere debeat. καθῆκον, hoc munus hominis & actionem, primus Stoicæ disciplinæ magister Zeno nuncupauit, vt est apud Suidam, & Laërtium, facto nomine, ἀπὸ τοῦ κατά τινας ἥκειν. Sed de hoc adhuc postea dicemus. Primum ergo primæ commendationis officium est, τηρεῖν ἑαυτόν. Deinde sequitur, τὰ οἰκεῖα προσίεσθαι, καὶ τὰ βλάπτοντα διωθεῖσθαι: quod etiam τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν, secundum Carneadem, Plutarchus dicit: ea verò ἐκλογῇ diiudicantur. & ὁρμὴ ἢ ἀποτροπὴ siue ἔκκλισις: deinde sequitur: quæ si conuenienter naturæ fiat, postrema sequitur εὐλόγιστος ἐκλογή: quæ veri boni notitiam infert. Quam verò deinceps conciliationem ad ea quę sunt secūdum naturam, vocat, ea Gręcis οἰκείωσις, vel συνῳδὸς τῇ φύσει ὁμολογία, vel περὶ τὰ κατὰ φύσιν κηδεμονία vel οἰκονομία nuncupatur. Tot enim modis Plutarchus appellat. Atque hæc officia his membris

continentur, ὄρεξιν, ὁρμήν, πρόθεσιν, συγκατάθεσιν siue ὁμολογίαν. Ac is verè sapiens erit, qui conuenienter his quatuor erit affectus. Sic enim tradit Epictetus apud Arrianum, qui neruos sapientis appellat, & verè philosophi, ὄρεξιν ἀναπότευκτον, ἔκκλισιν ἀπερίπτωτον, ὁρμὴν καθήκουσαν, πρόθεσιν ἐπιμελῆ, συγκατάθεσιν ἀπρόπτωτον.

Quum igitur in eo sit id bonum, quò referenda sunt omnia honestè.

Plutarchus in eo libro, vbi contra Stoicos περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν disputat, hunc tractat locum: de quo nonnulla transscribemus, vt rem intelligas, & quę Gręca verba Ciceronianis respondeant, teneas. Vtitur enim illic Plutarchus ipsis Stoicorum verbis, ἔτι δὲ μᾶλλόν ἐστι παρὰ τὴν ἔννοιαν, ἄλλο μὲν εἶναι τέλος, ἐπ' ἄλλο δὲ τῶν πραττομένων ἕκαστον ἀναφέρεσθαι. Paulo pòst, ἢ δὲ εὐλόγιστος ἐκλογὴ καὶ λῆψις αὐτῶν, καὶ τὸ πάντα τὰ παρ' ἑαυτὸν ποιεῖν ἕκαστον, ἕνεκα τοῦ τυγχάνειν τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, ἐπ' ἐκεῖνο δεῖ πάντα ἔχειν τὰ πραττόμενα τὴν ἀναφοράν, τὸ τυγχάνειν τῶν πρώτων κατὰ φύσιν. αὐτοὶ γὰρ οἴονται μὴ στοχαζομένους, μηδ' ἐφιεμένους τοῦ τυχεῖν ἐκείνων, τὸ τέλος ἔχειν ἄλλο, οὗ δεῖ ἕνεκα ἀναφέρεσθαι τὴν τούτων ἐκλογήν, καὶ μὴ ταῦτα. τέλος μὲν γὰρ τὸ ἐκλέγεσθαι καὶ λαμβάνειν ἐκεῖνα φρονίμως. ἐκεῖνα δὲ αὐτά, καὶ τὸ τυγχάνειν αὐτῶν οὐ τέλος, ἀλλ' ὥσπερ ὕλη τις ὑπόκειται τὴν ἐκλεκτικὴν ἀξίαν ἔχουσα. Hæc verba sunt multum difficilia, tum quia tota Stoicorum ferè disciplina periit, tum quia luxatus est hic Plutarchi libellus, & multis suis partibus priuatus. Dicam tamen Latinè vt potero, studiosorum gratia. Iam verò, inquit, illud incredibile, & contra omnium sententiam dicitur, Aliud esse bonorum vltimum, aliud quò omnia referantur officia. Paulo pòst, Ea est cõstans consẽtaneáque naturæ selectio, & eorum quæ secundum naturam sunt, sumptio, & omnia facere omnes quę possunt vt adipiscantur principia naturæ: eò verò omnia referri officia, quo illa quæ sunt secũdum naturã prima, assequamur. Existimant enim, etiam quibus non sit id propositum, quiq; nõ requirãt principia naturæ adipisci, eos finẽ bonorum nactos esse alium, ad quem illorum selectio, non autem ipsa referri debeant. Finem enim esse seligere, eaque adhibita prudentia atque iudicio sumere. Illa verò eadem parui esse momenti, vt etiam ipsorum adeptionẽ, esseq; tãquam materiam propositam, in qua tamen electione digna sit rei æstimatio. Volunt ergo Stoici summum bonum esse honestam actionem, quod omnium postremũ est: & tum denique consequitur, cùm prima quæ sunt secundum naturam quis naturæ conuenienter sumpsit: itaque omnia eius gratia sapientem facere, vt prima illa adipiscatur, alium tamen finem spectare. Exemplo id facilius intelligetur proposito. Habet scopum sagittarius propositum, quem attingat: is est finis. eò tamẽ omnia consilia, omnem suam industriam refert, vt bene iaculetur, & scopum attingat. Vt ergo aliud est scopus, aliud dare operam vt scopum attingamus: ita volũt Stoici aliud esse summum bonum, aliud eò peruenire adipiscendis primis naturæ conciliationibus. Hęc nimis spinosa sunt & arida.

Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sit qui existimet.

In veteri est, N E Q V I S sequi existimet.] Hanc comparationem refert Plutarchus, ac eam ridet: Eius verba sunt, σκόπει δὲ ὅτι ταὐτὸ πάσχουσι τοῖς τὴν σκιὰν ὑπεράλλεσθαι τὴν ἑαυτῶν ἐφιεμένοις. οὐ γὰρ ἀπολείπουσιν, ἀλλὰ συμμεταφέρουσι τὴν ἀτοπίαν τῷ λόγῳ προσωτάτω τῶν ἐννοιῶν ἀφισταμένην. ὡς γὰρ ὁ τοξεύοντα φαίη τις οὐχὶ πάντα ποιεῖν τὰ περὶ αὐτὸν ἕνεκα τοῦ βαλεῖν τὸν σκοπόν, ἀλλ' ἕνεκα τοῦ πάντα ποιῆσαι τὰ περὶ αὐτόν, αἰνίγμασιν ὅμοια, καὶ τεράστια δόξειεν ἂν περαίνειν, οὕτως οἱ τριτίμπλοι βιαζόμενοι, μὴ τὸ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν τοῦ στοχάζεσθαι τῶν κατὰ φύσιν εἶναι τέλος, ἀλλὰ τὸ λαμβάνειν, τὸ ἐκλέγεσθαι. Vertam vt potero, in gratiam eorum, qui Græcè nesciunt, Vide autem, inquit, quemadmodũ idem eis euenit, quod illis, qui suam ipsorum vmbrã trãsilire studiosè contendunt. Dum enim rem explicare volunt, non absurditatem quam

putant, effugiunt, sed eam mutant in absurdiorem, & quæ à communi omnium opinione plurimum aberret. Vt enim si dicat quispiam, cui sit propositum collimare aliquò sagittam, non eum facere omnia quæ possit, quo propositum assequatur, sed vt omnia faciat, quæ facere possit, is obscura nimium, & quasi portenta monstraque loqui videbitur: sic illi plusquam delirantes, vim verbis dum afferunt, tempus omne in eo conterunt, vt doceant, non esse bonorum finem, potiri primis quæ sunt secundum naturam, vt assequaris tanquam propositum, quæ sunt secundum naturam, sed assumere, sed legere. βάλλειν τὸ σκοπὸν, propositũ assequi dicit eleganter Cicero, & τοξεύειν collimare sagittam aliquò. ita enim in vetusto codice legitur, in aliis, COLLINEARE.

Quum autem omnia officia à principiis naturæ proficiscantur.

Ἀρχαὶ τῶν καθηκόντων, ait Stoicus quidam, τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν. Nec verò, inquit, illa naturæ principia sunt tantum officiorum initia, sed etiam sapientiæ. Nam inde nascitur illa εὐλογιστία περὶ τὰς τῶν ἀξίαν ἐχόντων ἐκλογὰς, quę certè magna est tũ sapientia, tum prudentia. Similitudinem subiungit, qua docet nõ propterea illa quę secundum naturam sunt prima, omnibus anteponenda esse, quia sint initia & officiorum & prudẽtiæ: cùm sæpissimè euenire videamus, vt vnde initium sumptum sit, inferius cõsequente alio habeatur, cuius gratia adhibebatur. Ita ad virtutem aditus virtute est inferior: & artium præludia ipsis scientiis.

Atque vt membra nobis ita data sunt, vt ad quandam rationem.

Vt rei cuinsque sua natura est propria: ita & opus officiumque peculiare esse debet. Sic membra singula suum habent munus proprium: quod & ad animum trãsferri potest. In animo sunt ὀρέξεις καὶ ἐκκλίσεις: sunt ὁρμαὶ, καὶ ἀφορμαί. sunt denique συγκαταθέσεις. Hæ omnes non ad quiduis appetendum aut reiiciendum, non ad quiduis sequendum aut fugiendum, non ad cuiuis rei assentiendum aut dissentiendum à natura concessæ sunt: sed certos habent fines, Quos vltra citraque nequit consistere rectum. Ergo esse debet ὁρμὴ καθήκουσα, & certo generi destinata, ad quod natura eam applicauit: applicauit autem, vt ad bonũ moueatur, à malo se auertat, & ad id quod est indifferens, ἀδιαφόρως sese habeat. quod si fiat, congruenter iam homo conuenienterq; naturæ viuet. Aduerte autem disputationis οἰκονομίαν. Primò quæ essent vitæ beatæ initia, significauit: deniqne officia, quibus ea promouerẽtur initia, illud est docere, qua in re collocanda essent beatitudinis munera. Tãdem quid ipsa sit, explicat: nempe naturæ conuenienter vitam agere, quæ summa est sapientia: de qua posteà pluribus agit. Scilicet virtutem Stoici viderũt, eámque amplectendam proposuerunt, vt summum hominis bonum: quam ne ipsi quidem assequi vnquam potuerunt.

Nec enim gubernationi aut medicinæ similem sapientiam esse.

Artium vltimum cum sapientiæ vltimo non aptè comparari posse docet: dissimilitudinem explicans. In artibus est & artificis habitus, & artis effectio. Cum habitu, sapientiæ nihil est commercij. Ociosus est enim habitus ille, nisi materiam in qua versetur, habeat. At sapientia in se tota conuersa est: nihil ad se tuendam eorum quę sunt externa, requirit. Est enim in animi cura & cogitatione posita, non in fortunæ temeritate: & non minus exercetur in rerum omnium penuria, quàm in abundãtia. Est quoq; sapientia dissimilis artis effectioni. Quum enim suum munus ars effecit, & produit opus, iam ab arte ipsum alienum est: nec artis dignitatem amplectitur. At sapientiæ effectio, quæ est illa εὐλογιστία, in se omnes retinet sapiẽtię numeros: imò ne nomen quidem sapientiæ amittit. Qui enim ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν didicit, is sapiens est, prudens, iustus, fortis, & temperans, quæ sunt sapientiæ propria officia: imò ipsam constituunt tuenturque sapientiam: & ea rectè facta, siue κατορθώματα dicuntur.

Quæ autem nos aut recta, aut rectè facta dicamus si placet.

Cicero primo de Officiis, Perfectum officium, rectum, opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα vocant: atque sic definiunt, vt rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant. Apud Plutarchum ex Stoicorum sententia definitur, κατόρθωμα, νόμου πρόσταγμα. & nominatim sententia Chrysippi recitatur, ὅτι πᾶν κατόρθωμα καὶ εὐνόμημα, καὶ δικαιοπράγημά ἐστι. τὸ δ' ἐγκρατῶς, ἢ καρτερικῶς, ἢ φρονίμως πραττόμενον κατόρθωμά ἐστι.

Tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modò mentionem feci.

Volunt Stoici rerum hanc esse diuisionem, vt aliæ sint in bonis, aliæ in malis, quæ honesta sunt, in bonis: quæ turpia, in malis: quæ verò media sunt, ea omnia ἀδιάφορα siue ἀδιάφορα εἶναι. Quam diuisionem paucis verbis expedit Arrianus in dictis & factis Epicteti: τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δὲ ἀδιάφορα. ἀγαθὰ μὲν οὖν αἱ ἀρεταὶ καὶ τὰ μετέχοντα αὐτῶν. κακὰ δὲ κακίαι, καὶ τὰ μετέχοντα κακίας. ἀδιάφορα δὲ τὰ μεταξὺ τούτων, πλοῦτος, ὑγίεια, ζωὴ, θάνατος, ἡδονὴ, πόνος. Quæ verba citantur à Gellio lib. 5. cap. 2. vbi in impressis codicibus deprauatissimè leguntur. Hanc autem eandem sententiam paulo suprà Cato exposuerat, Quicquid enim præter id quod honestum sit, expetendum esse dixeris, in bonisque numeraueris, & honestum ipsum quasi virtutis lumen extinxeris, & virtutem penitus euerteris. Ratio est, quia si illa media inter honesta locaueris, vt sunt diuitiæ, valetudo, pulchritudo, cùm in hominis potestate non sint, beatam vitam ab hominis arbitrio dimoueris. Honestum ait alio loco, aut ipsam virtutem esse, aut rem gestam virtute.

Videamus nunc quàm sint præclarè illa iis quæ iam posui.

Ex ista summi boni in conuenienter naturæ viuendo positi, explicatione, collegerunt Stoici quædam consequentia: quæ quia sunt admirabilia, & contra vulgi opinionem, παράδοξα appellata sunt: quorum nonnulla populari oratione à Cicerone exposita sunt, in eo libello, qui eodem nomine Paradoxorum inscribitur. Talis est tota illa sapientis Stoicorum descriptio apud Plutarchum, σοφὸς ὁ ὄλβιος, μακάριος, πανευδαίμων, ἀσφαλὴς, ἀκίνδυνος, ἀπροσδεὴς, αὐταρκὴς, τέλειος, ἀβίαστος, ἀπαραπόδιστος, ἐλεύθερος, οὐ κωλύεται, οὐκ ἀναγκάζεται: addũt & alia, sed de iis postea. ΤΕ'ΛΟΣ GRAECVS dicat] in antiquo exemplari est, ΤΕ'ΛΟΣ Græci dicant.

Sed consectari me Stoicorum breuia & acuta delectat.

Hic locus in codice manu scripto ab impressis aliquantum euariat. sic enim in eo legitur, SED CONSECTARIA me Stoicorum breuia & acuta delectant. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile: quod autem laudabile est, omne honestum: Bonum igitur quod est, honestum est. Satísne cõclusum videtur? Certe. Quod enim efficiebatur, ex his duobus quæ erant sumpta in eo, vides esse conclusum. Duorum autem è quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, Non omne bonum esse laudabile. Nam quod laudabile sit, honestum esse conceditur. Illud autem perabsurdum, Bonum esse aliquid, quod non expetendum, quod non placens, aut si id non etiam diligendum, &c. Vtra lectio verior sit, iudicét peritiores. mihi sat est rem bona fide proposuisse. Duo hæc Stoicorum argumenta, quorum posterius in prioris confirmationem adfertur, totidem fermè verbis, ex Chrysippo refert Plutarchus. Sic enim ait, de Chrysippo loquens, ἐν τῷ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων, καὶ μὴν ἐν τῷ περὶ καλοῦ πρὸς ἀπόδειξιν τοῦ, μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι, τοιούτοις λόγοις κέχρηται· τὸ ἀγαθὸν αἱρετὸν, τὸ δ' αἱρετὸν ἀρεστὸν, τὸ δ' ἀρεστὸν ἐπαινετὸν, τὸ δ' ἐπαινετὸν καλόν. καὶ πάλιν, τὸ ἀγαθὸν χαρτὸν, τὸ δὲ χαρτὸν σεμνὸν, τὸ δὲ σεμνὸν καλόν. Eiusmodi aũt argumentationes σωρείτας appellabant: tametsi prior, qua M. Tullius vtitur, in simplicem cõcludendi formam redacta videri possit. Argumenti autem,

quem λόγον nuncupauerunt, tres Stoici designarunt partes, λῆμμα, πρόσληψιν, καὶ ἐπιφοράν. Deinceps autem Cic. contra primam partem aliorum philosophorum σωρείτην diluit, ac refutat aceruali conclusione. Cuius ordo sumptorum is est, Bonum, expetẽdum, placens, diligendum, probandum, laudabile: & inde primo cum extremo adiũcto conclusio efficitur, Quod bonum sit, id esse laudabile, quæ erat controuersa: vnde prioris argumentationis conclusio, Quod bonum sit, id omne esse honestũ, vera esse perspicitur. Eandem argumenti conclusionem verbis nonnihil mutatis exposuit lib. 5. Tuscul. Etenim quicquid est quod bonum sit, id expetendum: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gratũ acceptũq; habendum, ergo etiam dignitas ei tribuenda est. quod si ita, laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile.

Deinde quæro, quis aut de misera vita poßit gloriari, aut non de beata?

Aliud argumentum à consequentibus, cuius ea vis est: Nihil gloriosum præter vitam beatã: Honestè acta vita omnis gloriosa est: igitur vita honesta, sola beata est. Ad λῆμμα addita est à contrario probatio, quia misera vita non est gloriatione digna. Attexitur & aliud conclusum argumentum, ab eodẽ loco sumptum: Nihil gloriosum reperitur, præter id quod insigne est & bonum: honestum omne gloriosum: solum ergo bonum est honestum. Explicatis in hunc modum more dialectico argumentis, perspicitur facile quid rectè efficiatur, quid non rectè. Prius horum igitur concludit rectè: posterius fallax est & captiosum. Non enim quia si gloriosum est id quod est bonum, est & honestum gloriosum: ob id efficitur, vt solum honestum bonum sit. Propterea reprehenduntur lib. 4. huiusmodi rationes vt captiosę & fallaces. Idem hoc argumentum explicatum est Tuscul. 5. his verbis, Atque hoc sic concluditur, Nec in misera vita quicquam est prædicabile, aut gloriandum, nec in ea quæ nec misera sit, nec beata. Et est in aliqua vita prædicabile aliquid & gloriandum, ac præ se ferendum, vt Epaminondas,

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum, vt Aphricanus,
A sole exoriente super Mæoti' paludes
Nemo est qui factis me æquiperare queat.

Quòd si beata vita glorianda, & prædicanda, & præ se ferenda est. Nihil est enim aliud quod prædicandum & præ se ferendũ sit: quibus positis, intelligis quid sequatur. Et quidem nisi ea vita beata est, quę eadem honesta sit, aliud esse necesse est melius vita beata. Quod enim erit honestum, certè fatebuntur esse melius. Ita erit beata vita melius aliquid: quo quid dici potest peruersius? Hoc etiam loco aliter legitur in veteri atque in impressis codicibus. Sic enim ille habet, DE SOLA igitur beata. Ex qua efficitur, gloriatiõe, vt ita dicam, dignam esse beatam vitam, quòd nõ possit quidem, nisi honestæ vitæ iure contingere. Ita fit, vt honesta vita beata sit. Et quoniam is cui, &c. VT AD EA quæ tanta sint] alij codices, VT AB EA, &c.

Quod verò negari nullo modo poßit, quem, inquam, stabili & firmo.

Ratiocinatione colligit id malum solum esse, quod turpe sit & vitiosum. Malum, inquit, nemo non timet, nemo non fugit: at dolores, pericula, & quicquid fortuna & casus inuehit, fortis & magnanimus non fugit, sed tantum quæ turpia sunt & vitiosa, ergo illa in malis habenda non sunt, sed ea tantum quę vitiorum nomine continentur. Tota hęc ratio de bonis & malis à Stoicis petitur ab animo. Dicunt enim omnia quæ in bonis quæve in malis numerãda sint homini, ea προαιρετικὰ esse debere: alia verò, quia in nostra non sint potestate, in bonis aut malis nequaquam ducenda esse. atque huc pertinent leges illæ, quas festiuè dicit Epictetus à Deo latas esse, ad eos puniendos, qui errauerint in bonorum & malorum sumptione: aliterque fecerint, q̃ Diuina iusserit prouidentia & administratio: ὃς ἂν ἄλλο τι ἡγήσηται ἀγαθὸν παρὰ τὰ

προαιρετικὰ, φθονεάτω, ἐπιθυμεάτω, κολακευέτω, ταρασσέσθω. ὃς ἂν ἄλλο κακὸν, λυπείσθω, πενθεάτω, θρηνεάτω, δυστυχεάτω. Qui aliud bonum, quàm quod in animi cura, cogitatione & consilio positum est, existimauerit, inuidentia, cupiditate, assentatione, & omni perturbatione torquetor: Qui aliud malum, dolore, luctu, lachrymis, & omni miseria, conficitor. QVOD VERO negari nullo modo, &c.]aliter codex vetus habet, sic enim in eo legitur, QVOD VERO negari etiam nullo modo possit, quenquam stabili & firmo animo, &c. pro QVENQVAM, alij habent, QVEM INQVAM, alij, VNQVAM.

Tamen non modò his tribus qui virtutem à summo bono segregaue.

Sententias varias de bonorum finibus & malorum, ac earum authores paucis verbis Tuscul. lib. 5. explicat: Sunt autem hæ de finibus, vt opinor, retentæ defensæq; sententiæ. Primum simplices quatuor, Nihil bonum, nisi honestum, vt Stoici. Nihil bonum nisi voluptatem, vt Epicurus. Nihil bonum, nisi vacuitatem doloris, vt Hieronymus. Nihil bonum, nisi naturæ primis bonis aut omnibus, aut maximis frui, vt Carneades contra Stoicos disserebat. Hæc igitur simplicia: illa mixta tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, vt Peripatetici. Nec multò veteres Academici secus. Voluptatem cum honestate Dinomachus & Callipho copulauit. Indolentiã autem honestati Peripateticus Diodorus adiũxit. Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant. Nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumq; aliorum euanuerunt. Huius varietatis sententiarum meminit quoque lib. 2. & 4. huius operis, & aliis item pluribus locis.

Et summum munus esse sapientis obsistere visis, assensusque suos.

Visa Cic. ait se appellare in Academ. quas Græci φαντασίας: vt assensioné, assensum siue approbationẽ, quam illi συγκατάθεσιν nũcupant. Quo in loco quid senserint de visis Academici latissimè explicuit: vbi ait, totam causam de visis hac argumenti cõclusione comprehendi: Eorum quæ vidẽtur alia vera sunt, alia falsa: & quod falsum est, id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, vt eiusmodi etiam falsum possit videri: & quæ visa sunt eiusmodi, vt in iis nihil intersit, non posse accidere, vt eorum aliqua percipi possint, alia non possint. Nullum igitur est visum, quod percipi possit. Inde necessariò nata est ἐποχὴ id est, assensionis retẽtio. Si enĩ percipi nihil potest, tollendus assensus est: quia nihil est tam futile, quàm quicquam approbare non cognitum. Plura videantur, si placet, in Academico secundo.

Quid autem apertius, quàm si selectio nulla sit, ab his rebus.

Contra Pyrrhonem, Aristonem, & Herillum disputat, qui omnia inter bonũ & malum posita exæquarunt. At rerum delectu sublato, tanquã amota virtutum materia in qua versentur, prudentia omnis morum magistra perit. Contra istos multis locis egit Cicero, in hoc opere aliquoties, in lib. Tuscul. quæst. de Officiis, &c. ET HIS QVAE similes earum sunt]vetus melius, ET HIS SI quæ similes earum sunt.] Paulo pòst, ET SI QVAE etiam contra naturam sunt], vetus, ET QVAE contra naturam sunt]vt traiectio particulæ SI, animaduerti possit.

Vt summum bonum sit, viuere scientiam adhibentem earum rerum.

Id Stoici dicunt, ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν κατὰ φύσιν συμβαινόντων. Sic enim id refertur à Galeno ex Posidonio. Apud Laërtium legitur, ἐμπειρίαν: sed mendosè, vt pleraque alia. Alibi id Cicero dicit, viuere cum intelligentia earum rerum, quæ natura eueniant. Sed melius est vt Posidonij verba adferamus. Ille igitur de ijs loquens, qui finem bonorum exponunt, naturæ congruenter viuere, ait, ἃ δὴ παρέντες αὐτοὶ τὸ ὁμολογουμένως ζῆν συστέλλουσιν εἰς τὸ πᾶν ἐνδεχόμενον ποιεῖν ἕνεκα τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, ὅμοιον αὐτῷ ποιοῦντες, τῷ σκοπὸν ἐκτίθεσθαι τὴν ἡδονὴν ἢ τὴν ἀο-

χλευασίαν, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. ἔστι δὲ μάχην ἐμφαῖνον κατ' αὐτὴν τὴν ἐκφορὰν, καλὸν δὲ, ἢ, ὡς δαιμονικὸν ἐνδὸν, παρέπεται καὶ τὸ ἀναγκαῖον τῷ τέλει, τέλος δὲ οὐκ ἔστιν. ἀλλὰ καὶ τούτου διαληφθέντος ὀρθῶς, ἔξεστι μὲν αὐτῷ χρῆσθαι πρὸς τὸ διακόπτειν τὰς ἀπορίας, ἃς οἱ σοφισταὶ προτείνουσι. μὴ μέντοιγε τὸ κατ' ἐμπειρίαν τῶν κατὰ τὴν ὅλην φύσιν συμβαινόντων ζῆν, ὅπερ ἰσοδυναμεῖ τῷ ὁμολογουμένως ἀπᾶν ζῆν, ἡνίκα μὴ ἔστι μικρολογητῶς συντείνειν εἰς τὸ τὴν διαφορὰν τυγχάνει. Quæ verba sonant in hunc sensum, Quibus prætermissis, nonnulli conuenienter congruenterque naturæ viuere interpretãtur nimis restrictè, omnia facere vt assequaris quæ sunt prima secundum naturam: similiterque faciunt, vt si finem bonorum exponant aut voluptatem, aut indolẽtiam, aut quippiam eius generis. Sed ea expositio vt apertè pugnãtia dicit, ita omnis honestatis & beatitudinis expers est. Illud enim necessariò consequitur bonorum extremũ, non autem extremum est. At verò si id rectè exponatur ad dirimendas sophistarum quæstiones, valet: non tamen illud, viuere adhibẽtem scientiam earum rerum, quæ natura eueniant, idem declarat, quod, conuenienter naturæ viuere. cùm ne pusillũ quidem in eo momentum positum sit, ad dirimendam controuersiam.

Sed in cæteris artibus cùm dicitur artificiosè, posterum quodãmodo.

Effectorũ quæ ab artibus & quæ à sapientia in conueniẽter naturę viuendo posita proficiscuntur, discrimen aperit. Quòd artis effectum, arte ipsa posterius fit & inferius: at quod sapiens sapienter efficit, non posterius gignatur, quàm ipsa vnde proficiscitur sapientia: quodque virtutis munus, id virtutis omnibus partibus sit absolutum & perfectum. Nam vt non ad perfectionem progrediatur sapientia, tamen vbi statim προαίρεσις munus suum præstitit, in conuenienter naturæ seligendo, appetendo, &c. iam sapientiæ est effectio. Eam enim foras, vt perficiatur, non est necesse exire, sed apud se ipsa manens, etiam recta efficit, dum λόγος propria instituit & proponit munera. At artis non extat munus vllum, quod non extrinsecus fiat, quod nõ artem relinquat. Eadem ratio est insipientiæ, quæ summa est miseria. Nam si semel in animo hæserit, nec etiam foras se dederit, iam vitium est, iam peccatum: quanquã etiam extrinsecus exerceatur: sed id non est, quod primùm vitiosam rem efficit, sed ipsa prima susceptio, primáque animi deliberatio ad id perpetrãdum peccatum. Intelligamus igitur prudentiæ siue sapientiæ munera, itemque insipientiæ, alia esse in effectu, alia esse sine effectu: pariter tamen vtraque esse aut laude digna, aut vituperio. Nam Stoicorum sententia, quæ vitia sunt, ea omnia paria sunt. qui & de rectè factis eodem modo iudicant, vt pòst dicetur.

Bonum autem, quod in hoc sermone toties vsurpatum est.

In explicatione decretorum Zenonis & totius familię Stoicorum, has boni definitiones Laërtius refert, ἀγαθὸν δὲ κοινῶς μὲν, τό τι ὄφελος. ἰδίως δὲ ἤτοι ταυτὸν, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας. aliquanto pòst, ἄλλως δὲ οὕτως ἰδίως ὁρίζονται τὸ ἀγαθὸν, τὸ τέλειον κατὰ φύσιν λογικοῦ ἢ ὡς λογικοῦ.

Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut vsu aliquid.

In Epidrome Dioclis apud Laërtium, tot modi & plures, quibus notiones fiant exponuntur: his quidem verbis, τῶν διανοουμένων, τὰ μὲν κατὰ περίπτωσιν ἐνοήθη, τὰ δὲ καθ' ὁμοιότητα, τὰ δὲ κατ' ἀναλογίαν, τὰ δὲ κατὰ μετάθεσιν, τὰ δὲ κατὰ σύνθεσιν, τὰ δὲ κατ' ἐναντίωσιν. κατὰ περίπτωσιν μὲν οὖν ἐνοήθη τὰ αἰσθητά. καθ' ὁμοιότητα δὲ ἀπό τινος παρακειμένου, ὡς Σωκράτης ἀπὸ τῆς εἰκόνος. κατ' ἀναλογίαν δὲ αὐξητικῶς μὲν ὁ Τιτυὸς καὶ Κύκλωψ, μειωτικῶς δὲ, ὡς ὁ πυγμαῖος. καὶ τὸ κέντρον δὲ τῆς γῆς κατ' ἀναλογίαν ἐνοήθη ἀπὸ τῶν μικροτέρων σφαιρῶν. κατὰ μετάθεσιν δὲ, οἷον ὀφθαλμοὶ ἐπὶ τοῦ στήθους. κατὰ σύνθεσιν δὲ ἐνοήθη ἱπποκένταυρος. καὶ κατ' ἐναντίωσιν θάνατος. νοεῖται δὲ καὶ,

κατὰ μετάβασίν τινα, ὡς τὰ λεκτὰ καὶ ὁ τόπος. φυσικῶς δὲ νοεῖται δίκαιόν τι καὶ ἀγαθόν, καὶ κατὰ στέρησιν, οἷον ἄχειρ. κατ' ἀναλογίαν Cicero dicit, Collatione rationis, aut vt habet vetus codex, COGNATIONE rationis. Aliàs ἀναλογίαν vertit comparationem & proportionem. Verborum Di..lis sensus est, Rerum notiones in animis fiunt, si aut vsu aliquid cognitum sit, aut similitudine, aut collatione rationis, aut translatione, aut coniunctione, aut contrarij comparatione. Et vsu quidem, eorũ quæ sub sensum cadunt notitia facta est: Similitudine, eorum quæ cum aliquo conferuntur adiacente, vt Socratis fit notio, ab eius statua. Collatione rationis, partim accessione & crescendo, vt Tityus & Cyclops. partim imminuendo, vt Pygmęus cognoscitur: itemque terræ centrum collatione rationis, ex minutioribus globis siue sphæris cognitum est. Translatione, vt oculi in pectore: Coniunctione, hippocentauri facta est notitia. Contrarij comparatione, mortis. Fit & notio quorundam, deflectione, vt vocabulorum, & loci. Iusti autem notitia fit, itemque boni sua vi naturáque. Fit demum notio priuatione, vt eius qui manibus caret. In vulgato Laërtij dice, non est hic locus integer.

Hoc autem ipsum bonum non accessione, neque crescendo.

Attingit Stoicorum dogma, πᾶν ἀγαθὸν ἐπ' ἄκρον εἶναι αἱρετόν, καὶ μήτε ἄνεσιν, μήτε ἐπίτασιν ἐπιδέχεσθαι· quod tractat Seneca Epistolarum lib. 9. Epist. 67. ad cuius cõfirmationem, inter alias hæc ratio refertur: Crescere posse, rei inchoatæ & imperfectæ signum esse: bonum verò perfectum quiddam esse & absolutum: non igitur crescere posse.

Nec verò perturbationes animorum, quæ vitam insipientium miserã.

Capita Stoicorum disciplinæ, quæ sequi is debeat, qui sapiens & beatus futurus est, explicat Epictetus apud Arrianum: vbi & de perturbationibus accommodatissimè ad hunc locum agitur. Et certè à capitum ordine qui illic exponitur, non longè Catonis oratio aberrat. τρεῖς εἰσι, inquit, τόποι περὶ οὓς ἀσκηθῆναι δεῖ τὸν ἐσόμενον καλὸν καὶ ἀγαθόν. ὁ περὶ τὰς ὀρέξεις καὶ τὰς ἐκκλίσεις· ἵνα μήτ' ὀρεγόμενος ἀποτυγχάνῃ, μήτ' ἐκκλίνων περιπίπτῃ. ὁ περὶ τὰς ὁρμὰς, καὶ ἀφορμὰς, καὶ ἁπλῶς ὁ περὶ τὸ καθῆκον· ἵνα τάξει, ἵνα εὐλογίστως, ἵνα μὴ ἀμελῶς. τρίτος ἐστὶν ὁ περὶ τὴν ἀνεξαπατησίαν, καὶ ἀνεικαιότητα, καὶ ὅλως ὁ περὶ τὰς συγκαταθέσεις. τούτων κυριώτατος, καὶ μάλιστα ἐπείγων ἐστὶν ὁ περὶ τὰ πάθη. πάθος γὰρ ἄλλως οὐ γίνεται, εἰ μὴ ὀρέξεως ἀποτυγχανούσης, ἢ ἐκκλίσεως περιπιπτούσης. οὗτός ἐστιν ὁ ταραχὰς, θορύβους, ἀτυχίας, ὁ δυστυχίας ἐπιφέρων, ὁ πένθη, οἰμωγὰς, φθόνους, ὁ φθονεροὺς, ὁ ζηλοτύπους ποιῶν, δι' ὧν οὐδ' ἀκοῦσαι λόγου δυνάμεθα. Dicam vt potero Latinè, Loci tres sunt, in quibus se is exercere debet qui bene honestéque victurus est. Quorum vnus is est, qui in appetitione & declinatiõe versatur: Ne quis quod appetit, minimè consequatur: aut quod declinat, in id incidat. Alter est, in impetu, & remissione, & omnino in officio: vt ordinatè & conuenienter rationi nõ negligenter impetum faciat, aut se remittat. Tertius in eo, ne quis falsò decipiatur, aut captiosa probabilitate fallatur, & vno nomine in assensionibus cernitur. Eorũ pręcipuus est, quiq; plus vrgeat, is qui versatur in perturbationibus. Nam nõ aliter perturbatio nascitur, q̃ aut cũ appetitus re desiderata frustratur, aut cùm declinatio, in rem quam fugiebat, incidit. Hic ille locus est, qui turbas, tumultus, infortunia, & miserias importat: qui luctus, clamores, eiulatus, inuidentias adfert: qui inuidos, obtrectatores homines efficit: ex quibus fit, vt audire rationem imperantem, eique obtemperare non possimus.

Poteram ego verbum ipsum interpretans, morbos appellare.

Idem dicit Tuscul. 3. Hæc enim ferè sunt eiusmodi, quæ Græci πάθη appellant: ego poteram morbos, & id verbum esset è verbo: sed in consuetudinem nostram nõ caderet. Nam misereri, inuidere, gestire, lętari, hæc omnia morbos Græci appellant,

motus rationi non obtemperantes:nos autem hos eosdem motus concitati animi, rectè, vt opinor, perturbationes diximus: morbos autem non satis vsitatè. Ita Cicero quum de Stoicis verba facit, πάθη perturbationes ferè nuncupat: quòd iis sint vitiosæ & contra naturam: cùm verò de Peripateticis, qui πάθη res esse naturales dixerunt, tum animi concitati motus, tum motiones, tum commotiones appellat. Alij affectus siue affectiones, alij de Græco expressius, vt ait Augustinus, passiones vocãt.

Nec hæ perturbationes vi aliqua naturali mouentur.

De perturbatione, Chrysippi verba hæc refert Galenus: διὸ καὶ αἱ ὄντως ἄλογοι κινήσεις πάθη τε λέγεται, καὶ παρὰ φύσιν εἶναι, ἅτ' ἐκβαίνουσαι τὴν λογικὴν σύστασιν. Definiuntur autem Stoicis πάθη, δόξαι καὶ κρίσεις πονηραί, κινήσεις τε καὶ καταστάσεις ἀπαθεῖς τε τῷ λόγῳ καὶ ἀπεστραμμέναι. item ὁρμαὶ πλεονάζουσαι κατὰ τὴν τοῦ λόγου ἀποστροφήν. sic enim habent Chrysippi verba, quæ à Galeno citantur. Sunt verò τῶν παθῶν τὰ αὐωτάτω γένη τέτταρα, λύπη, φόβος, ἐπιθυμία, ἡδονή. Quam ἡδονῆς adfert definitionẽ, ea sic Stoicis effertur, ἔπαρσις ἄλογος ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. Plutarchus ait eos appellare πάθος, λόγον πονηρόν, καὶ ἀκόλαστον ἐκ φαύλης καὶ διημαρτημένης κρίσεως σφοδρότητα, καὶ ῥώμην προσλαβόντα. ex quo concludunt, ὅτι δεῖ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφόν. QVANQVAM Stoici communi nomine] melius habent alij codices, QVAMQVE Stoici, &c.

Sed hæc quidem est perfacilis, & perexpedita defensio.

Alia addit argumenta, quibus efficiat, nisi honestum, non esse quicquã inter bona cõnumerandum. Ita verò rem tractat, vt honesti quatuor partibus vtatur: temperantia, prudentia siue sapientia, fortitudine & iustitia. Temperantiam Zeno versari vult περὶ τὰ αἱρετέα: ideo Cato ab adipiscendo quod auemus, argumentum sumit. Prudentiam idem definit ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων. ita Cato à scientiæ desiderio nulla expectata vtilitate argumentatur. Fortitudinem περὶ τὰ ὑπομονητέα: ob id à viris fortibus, qui res gesserunt præclaras, confirmationem aliam eruit. Postremò Stoicorum ille princeps iustitiam ἐν τοῖς ἀπονεμητέοις καὶ ἐμμενητέοις posuit, inde noster probationem ducit sed à contrariis, vanis, leuibus, futilibus. Ista enim fidem, iustitiæ fundamentum, labefactant, & omnino tollunt. SI TVRPITVDINEM non ipsam per se fugiendam esse statueremus] alij, STATVERIMVS: in veteri scriptum est, STATVEMVS.

Constituto autem illo, de quo ante diximus, Quod honestum sit.

Rerum alias esse æstimabiles, alias inæstimabiles Zeno dicebat. Aestimabiles quidem, quæ dignæ sumptione essent, quæque ad vitam beatam pertinerent. Inæstimabiles verò, quæ nihil ad beatitudinem valerent. Rursus æstimabilium, alias vi sua & natura æstimabiles faciebat, eáque erant bona, quæ non accessione, aut crescendo talia essent: alias ex collatione, & harum partim pluris esse æstimãdas, partim minoris. Quòd si rerum earum quæ ex collatione dignæ sunt æstimatione, aliæ aliis pluris æstimandæ sunt, certè pluris iis omnibus æstimabitur, quod vi sua æstimandũ sit: quale honestum est. Nam verè ait Aristoteles, τὸ φύσει τοιοῦτον, τοῦ μὴ φύσει τοιούτου μᾶλλον τοιοῦτον, vt quod cuiusdammodi sit vi sua & natura, id magis quàm aliud quod non est tale natura sua, eiusmodi sit.

Stultitiam autem & temeritatem, & iniustitiam, & intemperãtiam.

Honestum omne vt propter se vique sua est expetendum: ita etiam vitium omne propter se, non tantum propter consequentia aut mala, aut incommoda, fugiẽdum. Honesti quatuor primis partibus, totidem opponit vitia, quæ πρῶται κακίαι Zenoni dicebantur, quòd multa subiecta alia vitia continerent. Græcè τὸ ἄφρον, τὸ δειλόν, τὸ ἄδικον, καὶ τὸ ἀκόλαστον: siue aliis nominibus, ἀφροσύνη, δειλία, ἀδικία, ἀκολασία siue

ἀκρασία. Stultitia prudentiæ, temeritas fortitudini, iniustitia iustitiæ, intemperantia temperantiæ siue modestiæ opponitur. Κακίαν, quam modò vitium, aliàs vitiositatem vertit. Sic enim ait in Tuscul. vbi docet cur vitiositatem malit, quàm malitiam, Huius igitur virtutis contraria est vitiositas. Sic enim malo, quàm malitiam appellare eam, quàm Græci κακίαν appellant. Nam malitia certi cuiusdam vitij nomen est: vitiositas omnium. Cuiusnam autem vitij nomen sit malitia, indicat lib. 3. de Deorũ natura. Si enim, inquit, rationem hominibus Dij dederunt, & malitiam dederũt. Est enim malitia, versuta & fallax ratio nocendi. A malitia malitiosos dici, & existere sæpe iniurias calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione, idem Cicero alibi ait. HAEC TV, inquam, Cato verbis illustribus] manu script. habet, NAE TV, inquam, Cato, &c. Quo modo loquitur initio lib. 4. huius operis, NAE TV, inquam, Cato ista exposuisti tam multa memoriter, tam obscura dilucidè. Paulò pòst, NEC EFFERRE sese nostris sermonibus.] Vetus exemplar, NEC OFFERRE se nostris serm.

Est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta.

Stoici in arte differendi, quam virtutem faciunt, acutissimi fuerunt: in eaque diligenter elaborauerunt parte, quæ iudicandi vias continet, ob id cæteros, vt eius artis ignaros, contempserunt. Verùm, vt ostenditur huius operis lib. 4. ab Academicis siue Peripateticis omnia aut bonam partem sumpserũt. Carneades philosophus fuit nobilis in primis, cuiusque incredibilis dicendi vis fuit & varietas: vsqueadeò vt nullam vnquam in illis suis disputationibus rem defenderit, quam non probarit: nullam oppugnauerit, quam non euerterit. Stoicos studiosissimè semper refellebat: cõtra quorum disciplinam ingenium eius exarserat. De eo Laertius οὗτος, inquit, τὰ τῶν στωικῶν βιβλία ἀνέγνως, ἐπιμελῶς τὰ Χρυσίππου, ἐπιεικῶς αὐτοῖς ἀντέλεγε. Tusculan. lib. 5. eum facit Cicero Stoicorum & Peripateticorum tanquam honorarium arbitrum. & lib. de Repub. eum dixit sæpe optimas causas ingenij calumnia ludificari solitum fuisse.

Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam has sententias eorũ.

Contra Carneadem rerum potius quàm verborum discrepantiam probat fuisse inter Stoicos & Peripateticos, dogmatum collatione: quam rem attingit quoque lib. de Natura Deorũ. 1. Vbi meminit libri Antiochi, cui Stoici cum Peripateticis re cõcinere videbantur, verbis discrepare, ac tandem eo de libro Balbus suam profert sententiam: Egóne, inquit, ille, miror Antiochum hominem in primis acutum, nõ vidisse interesse plurimum inter Stoicos, qui honesta à commodis non nomine, sed genere toto disiungerent, & Peripateticos, qui honesta miscerent cum commodis, vt ea inter se magnitudine, & quasi gradibus: non genere differrent. Hæc enim est non verborum parua, sed rerum permagna dissensio. HABERE STOICOS & Peripateticos rerum omnino discrepantiam.] In veteri codice est, INTER STOICOS & Peripateticos rerum esse animo discrepantiam] quam lectionem etiam Germani adnotarunt.

Quippe quum Peripatetici omnia quæ ipsi bona appellant.

Tametsi hæ Peripateticorum sentẽtiæ videri possint recentiorum esse, quàm fuerit Aristoteles huius familiæ princeps, vt Stratonis, Polemonis, Stasex, Lyconis, & cæterorum qui ipsi cũ Stoicis congressi sunt, tamen earũ vestigia in Aristotelis libris reperiuntur. Is enim cũ tria bonorũ genera fecisset, animi, corporis, & fortunæ, eaq; dixisset ad vitam beatam requiri, ἠθικῆς μεγάλοις, E'πεὶ δέον, inquit, ἔστιν, ἡ εὐδαιμονία ἐκ αὐτῶν τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν. ταῦτα δὲ γίνεται ἀπὸ τῆς εὐτυχίας, οἷον ἂν ζῶμεν φαύλως, σῶμα ἐν τῇ εὐδαιμονίᾳ. Ergo, inquit, quum beata vita sine bonis externis consistere non possit: ea verò proficiscatur à fortunæ prosperitate, certè necesse est, prosperita-

tem ad beatè viuendum pertinere. De iis autem quæ vitam complent beatam, quid senserit Aristot. Laërtius his verbis exponit, ἔφη δὲ καὶ τὴν εὐδαιμονίαν συμπλήρωμα ἐκ τριῶν ἀγαθῶν εἶναι, τῶν περὶ ψυχήν, ἃ δὴ καὶ πρῶτα τῇ δυνάμει καλεῖ, ἐκ δευτέρων δὲ, τῶν περὶ σῶμα, ὑγιείας, καὶ ἰσχύος, καὶ κάλλους, καὶ τῶν παραπλησίων. τῶν δὲ ἐκτός, πλούτου, καὶ εὐγενείας, καὶ δόξης, καὶ τῶν ὁμοίων. Censuit præterea, inquit, Aristoteles, beatitudinem, summam esse & absolutionem, quæ tribus bonorum generibus constaret: animi, quæ prima & præcipua vique sua bona appellat: corporis, quæ secūdum teneant locum, qualis est valetudo, quales vires, pulchritudo, & cætera de genere eodem: & demum externis, vt opib⁹, nobilitate, bona fama, & aliis einsmodi. De dolore ait, Cōmunem esse sententiam, in malis & fugiendis rebus eum esse nnmerandum, ἀλλὰ μὴν ὅτι καὶ ἡ λύπη κακὸν, ὁμολογεῖται, καὶ φευκτόν. COMPLERI vitam beatam putent] alij codices habent, COMPLECTI: sed hanc lectionem, verba quæ aliquanto pòst sequuntur, refellunt: ILLI enim corporis commodis compleri, &c.

Ne illud quidem est consentaneum, vt si quum tria genera bonorum.

Hanc bonorum diuisionem posuit ἐν ἠθικοῖς μεγάλοις Aristoteles, ἔστι γὰρ τῶν ἀγαθῶν, τὰ μὲν ἐν τῇ ψυχῇ, οἷον αἱ ἀρεταί· τὰ δὲ ἐν τῷ σώματι, οἷον ὑγίεια, κάλλος· τὰ δὲ ἐκτός, πλοῦτος, ἀρχή, τιμή, ἢ εἴ τι ἄλλο τῶν τοιούτων. Et quòd bonorum amplificatio vitam beatiorem efficiat, docet in libris ad Nicomachum, πολλῶν δὲ γινομένων κατὰ τύχην, καὶ διαφερόντων μεγέθει καὶ μικρότητι, τὰ μὲν μικρὰ τῶν εὐτυχημάτων, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἀντικειμένων, δῆλον ὡς οὐ ποιεῖ ῥοπὴν τῆς ζωῆς· τὰ δὲ μεγάλα καὶ πολλὰ γινόμενα μὲν εὖ, μακαριώτερον τὸν βίον ποιήσει. Ait idem alio loco, ἄνευ γὰρ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν, ὧν ἡ τύχη ἐστὶ κυρία, οὐκ ἐνδέχεται εὐδαίμονα εἶναι. Eorum verborum hæc sententia est, Nam bonorum, alia sunt in animo, vt virtutes: alia in corpore, vt valetudo integra, vt pulchritudo: alia externa, vt diuitiæ, principatus, honor, & cætera generis eiusdem. Sequitur, Cùm verò multas prosperitates fortuna inuehat, partim magnas, partim exiguas: quæ paruæ sunt, vt etiam contrariæ, non magnum habent ad vitam degendam momentum: quæ autem magnæ multæque prosperè eueniunt, quo maiores erunt, eo beatiorem vitam efficient. Mox, Nam si non adsint externa bona, quorū domina est & princeps fortuna, profectò beatè viuere non licebit. Quod autem vlla bonorum accessione vita magis expetēda fiat, negāt Stoici: vt qui vitam beatam, aut elationem, aut submissionem suscipere nolint. At Peripatetici, tametsi arbitrātur, vitam beatam esse maximè expetendam, etiam si cum cæteris non coniungatur, eam tamen cum minimo bono coniunctam pluris faciunt, quàm separatā. Sic enim Aristoteles, ἔτι δὲ, inquit, πάντων αἱρετωτάτην μὴ συναριθμουμένην· συναριθμουμένην δὲ, δῆλον ὡς αἱρετωτέραν μετὰ τοῦ ἐλαχίστου τῶν ἀγαθῶν. Ad hæc, inquit, eā ponimus etiā si sola sit, & separata, maximè expetendam: sin coniuncta fuerit cum alio, profectò eam iudicamus optabiliorem, vel si cum bonorū iuncta sit minimo. QVAE NOS bona naturæ appellemus,] alij, QVAE NOS BONA verè appellemus] vetus QVAE NOS bona quidem appellemus.

Etenim si valere & sapere magis expetendum sit, quàm sapere solū.

Hic locus variè legitur. In nonnullis codicibus in hunc modum, ETENIM si valere & sapere magis expetendum sit quàm sapere solū, neque tamen si vtrunque sit æstimatione dignum, pluris sit coiūctum quàm sapere ipsum separatim. Nam &c. In veteri codice sic legitur, ETENIM si & sapere expetendum sit & valere, coniunctum vtrunque magis expetendum sit, quàm sapere ipsum separatim. Nā qui valetudinem æstimatione aliqua dignam iudicamus, neque tamen, &c. Alij codices plura habent, in hunc modum, ETENIM si & sapere expetendum sit, & valere: cōiunctum vtrunque magis expetendum sit, quàm sapere solùm: neque tamen si vtrūq; sit æstimatione dignum, pluris sit coniunctum, quàm sapere ipsum separatum: nam

qui valetudinem æstimatione aliqua dignam videamus, neque tamen eam, &c. QVOD idem Peripatetici non tenent] vetus, TENERENT.

Vt enim obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ.

Prouerbiales congerit similitudines, vt rem faciat illustriorem: & rerum quę inter bona & mala mediæ sunt, æstimationem, si cum honesto conferantur, nullius esse momenti, doceat. Eę verò repetentur lib. 4. cum reprehēsione. Prouerbio primo de luce, locum fecit infinitus ac immensus solis splendor, quo cætera obscurantur lumina, vt lunæ & stellarum omnium, ac multo magis lucernarum, & rerum splendidarum in hoc extremo terræ orbe genitarum. Alteri, immensa maris falitæ aquæ copia. tametsi in veteri codice, non MVRIAE, sed, MELLIS legatur. Tertio Crœsi diuitiarum ingens magnitudo. Quarto demum, viæ longitudo, quæ est ab Italia ad Indos vsque.

Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus εὐκαιρίαν.)

Εὐκαιρίαν Stoicorum lib. de Offic. primo, occasionem vertit. Sit enim de Stoicis loquēs, Nam & ordinem, inquit, sic definiunt, compositionem rerum aptis & accommodatis locis. Locum aūt actionis, opportunitatē tēporis esse dicunt. Tēpus aū t actionis opportunū Græcè εὐκαιρία, Latinè appellatur occasio. QVAE CVNQVE opportuna dicuntur] alij, QVAEQVE opportuna.] Vetus, QVAE opportuna.

Denique ipsum bonum, quod in eo positum est vt naturæ cōsentiat.

Plutarchus in eo lib. vbi contra Stoicos disputat, παρὰ τὴν ἔννοιαν οὖν, οὐ μόνον ὅτι, inquit, ταῦτα λέγουσιν οἱ ἄνδρες, ἀλλὰ κἀκεῖνα πρὸς τούτοις, ὅτι ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγινόμενος, ἀλλὰ κἄν ἀκαρές τις ὥρας γένηται φρόνιμος, οὐδὲν πρὸς εὐδαιμονίαν ἀπολειφθήσεται τοῦ τὸν αἰῶνα χρωμένου τῇ ἀρετῇ, καὶ μακαρίως ἐν αὐτῇ καταβιοῦντος. Prēter hæc, inquit, Stoici negant bonum fieri temporis productione maius: quique sapiens factus vel puncto temporis fuerit, non minus beatum esse eum volunt, quàm si perpetuò virtutem coluerit, in eaque beate vitam totam duxerit. Paradoxon confirmatur à simili, & per occupationem similitudo de valetudine refellitur, exposita differentia ac varietate, Alia genere æstimanda esse, alia breuitate, alia diuturnitate, alia frequentia, &c.

Quod nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem non putamus.

Neque peccata, neque rectè facta crescere, paradoxa sunt própria Stoicorū. Ἴσα εἶναι ἁμαρτήματα. πάντας ἐπίσης κακοὺς καὶ ἀδίκους, καὶ ἄφρονας τοὺς μὴ σοφούς. μηδὲν ἀγαθὸν μηδενὸς ἀγαθοῦ μεῖζον εἶναι, μηδὲ ἔλαττον. τὸ βραχὺν χρόνον κτήσασθαι τὴν ἀρετὴν οὐδὲν ἀπολείπεσθαι τῆς ἄκρας εὐδαιμονίας.

Vt enim qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare.

Hæc similitudo est apud Plutarchum exposita, verbis, vt videtur Chrysippi. ὥσπερ ὁ πῆχυν ἀπέχων ἐν θαλάττῃ τῆς ἐπιφανείας, οὐδὲν ἧττον πνίγεται τοῦ καταδεδυκότος ὀργυιὰς πεντακοσίας, οὕτως οὐδὲ οἱ πελάζοντες ἀρετῇ τῶν μακρὰν ὄντων, ἧττόν εἰσιν ἐν κακίᾳ. καὶ καθάπερ οἱ τυφλοὶ τυφλοί εἰσι, κἂν ὀλίγον ὕστερον ἀναβλέπειν μέλλωσιν, οὕτως οἱ προκόπτοντες ἄχρις οὗ τὴν ἀρετὴν ἀναλάβωσιν, ἀνόητοι καὶ μοχθηροὶ διαμένουσιν. De ea similitudine plura lib. 4. dicentur, vbi ea reprehenditur.

Diuitias autem Diogenes censeat eam non modò vim habere, vt quasi.

Diogenem intellige Babylonium Chrysippi auditorem, & Antipatri magistrum, magnum & grauem Stoicum, qui aliquando Romam ab Atheniensibus cum Carneade legatus missus est, adolescentibus Scipione & Lælio, vt est in Tuscul. à Cicerone scriptum. Eius sententiam de diuitiis ad voluptatem & valetudinem gignendam non modò valentibus, sed etiam vt retineantur & seruentur vim habentibus, nō re-

cē accommodari posse ad virtutem & artes, dissimilitudine ostēdit. Dictū est anteà quæ Stoicis τὰ μέσα dicūtur, ἀρχὰς εἶναι τῶν καθηκόντων: in officiis verò & rectè factis neminem ea continere possunt. Addit rationem, Bonum non nisi à bono contineri posse. Ea verò media neque in bonis esse, neque in malis.

Itaque si voluptas, aut si bona valetudo sit in bonis, diuitias quoque.

In iis rebus quę sunt indifferentes, prudētię, & aliarum virtutū initia ponunt Stoici: nimirum quòd ab his officia omnia inchoentur: vel quòd potius eæ officiis pręsint, & quasi moueant appetitiones, ac materiam officiorum suggerant: non autem in officio contineant. Quòd si continerent in officio, idque tuerentur, certè in eodem genere cū officiis essent, vel in malis, vel in bonis. Vt in eodem genere sunt diuitiæ cum valetudine & voluptate, quia & eas inchoant, & inchoatas tuentur. Sed actiones virtutis sunt quæ continent virtutes, & ideo eiusdē generis rerum eæ sunt: quanquam à rebus alterius generis inchoentur. Morbus incipit me vexare: hoc initium erit officij, si inde morbum rationi conuenienter ferre incipiam. Mors adest, faciam vt præclarè & honestè eam adeam. Diuitię adsunt, iis bene vtar. Hoc officium est: at animi constantia, sapientia, &c. in eo me retinēt officio, non morbus, nō mors, non diuitiæ. Videamus artes, quibus cōtineantur. Artes cōprehensionibus cōtinentur & cognitionibus, quas καταλήψεις appellāt. ex multis enim perceptionibus sciētia & ars gignitur. Et cū in rebus iis, quæ per se sunt adsciscendæ, sint artes: non autem in eo genere diuitię reperiantur: certè diuitiis non continebuntur artes: Quòd si non artes, neque certè virtutes, quę maiorem requirunt constātiam, quàm omnes disciplinę, maioremque exercitationem & animi contētionem. Difficilius enim acquirūtur: ob id animi robore maiori est opus. Quod etiā Aristot. scripsit, περὶ τοῦ γὰρ οὐδὲν οὕτως ὑπάρχει τῶν ἀνθρωπίνων ἔργων βεβαιότης, ὡς περὶ τὰς ἐνεργείας τὰς κατ' ἀρετήν. μονιμώτεραι γὰρ καὶ τῶν ἐπιστημῶν αὗται δοκοῦσιν εἶναι. COGITATIONES cōprehēsionésq; rerū] melius, COGNITIONES, vt antè καταλήψεις, cognitiōes vertit. Chrysipp⁹ virtutē dixit esse ἀποβλητήν: alij ἀναπόβλητον, διὰ βεβαίας καταλήψεις, vt Cleanthes.

Deinceps explicatur differentia rerum, quam si non vllam esse.

Totius disciplinæ Stoicorum, certa erant capita, quę in doctrina explicanda ordine tractabantur, περὶ ὁρμῆς, περὶ καθηκόντων, περὶ ἀξίας καὶ πράξεων, περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, &c. Nunc περὶ ἀξίαν ἐχόντων ἢ ἀναξίαν disputationem ingreditur, in qua rerum quæ inter honestum & turpe mediæ sunt, partitiones explicantur. Non enim eæ ita debent exęquari, vt nullus delectus adhibendus in iis sit, vt fecit Aristo: alioqui prudentię nullus esset locus, quę in rebus huiusmodi est occupata.

Tum inter hæc & illa quæ nihil valerent ad beatè miserène viuendū.

Rerum eam fecerunt Stoici diuisionem, vt dicerent τῶν ὄντων, τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακά, τὰ δὲ οὐδέτερα. οὐδέτερα definierunt, ὅσα μήτε ὠφελεῖ, μήτε βλάπτει. Vocant autem ὠφελεῖν τὸ κινεῖν, ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν. & βλάπτειν, τὸ κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ κακίαν. Inde existit diuisio, vt οὐδετέρων, alia προηγμένα τὰ ἀξίαν ἔχοντα, alia ἀποπροηγμένα τὰ ἀναξίαν ἔχοντα statuerint. προηγμένα & in animo, & in corpore, & in iis quę externa dicuntur, posuerūt. In animo, vt εὐφυΐαν, τέχνην, προκοπήν: in corpore, ὑγίειαν, ῥώμην, εὐαισθησίαν, ἰσχὺν, εὐεξίαν: in externis, vt πλοῦτον, δόξαν, εὐγένειαν, &c. & itidem ἀποπροηγμένα, in animo quidē, ἀφυΐαν, ἀτεχνίαν, in corpore, πήρωσιν, νόσον, ἀσθένειαν καχεξίαν: in externis, πενίαν, ἀδοξίαν, δυσγένειαν, &c. προηγμένα pluribus modis Cicero interpretatur, tum hoc libro, tum aliis, producta, promota, pręposita vel proposita, præcipua: ἀποπροηγμένα verò, reiecta, reiectanea, remota, reducta. Hanc Zenonis diuisionem & sententiam disertè Cicero Academico 1. exposuit, Zeno igitur nullo modo is erat, qui, vt Theophrastus, neruos virtutis inciderit, sed contra, &c.

Quoniam autem omne quod est bonum, primum locum tenere dicimus.

In bonis quę sunt, ea, vt suprà etiam diximus, apprimè talia sunt, nec crescendo

valent sed genere, vt sunt virtutes, sapientia, iustitia, fortitudo, temperantia. Reliqua quæ æstimatione aliqua digna sunt, id est, προηγμένα, ea nec in bonis, nec in malis ducēda sunt. Quod ita probant Stoici: Vt, inquiunt, calidi proprium est calefacere, nō frigefacere: sic boni est prodesse non nocere: nō minus autem nocet quàm lædit valetudo, diuitiæ, & cætera generis eiusdem: non igitur in bonis est valetudo. &c. Præterea, qua re bene quis & malè vti potest, ea non est in bonis ducenda: diuitiis autē, valetudine, & cæteris eiusmodi tum bene tum malè vti quis potest: non ergo in bonis sunt. Ex eo concludunt omnia quæ ἀδιάφορα siue οὐδέτερα appellant, ea in genere bonorum aut malorum non esse numeranda.

Itaque id definimus, quod sit indifferens cum æstimatione mediocri.

Προηγμένα definiunt Stoici, τὰ ἀδιάφορα ἃ καὶ ἀξίαν ἔχει. ἀδιάφορα autē dicunt διχῶς λέγεσθαι. ἅπαξ μὲν τὰ μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν συνεργοῦντα, ὡς ἔχει πλοῦτος, δόξα, ὑγίεια, ἰσχὺς, καὶ τὰ ὅμοια. ἐνδέχεται γὰρ καὶ χωρὶς τούτων εὐδαιμονεῖν, τῆς ποιᾶς αὐτῶν χρήσεως εὐδαιμονικῆς οὔσης, ἢ κακοδαιμονικῆς. ἄλλως δὲ λέγεται ἀδιάφορα τὰ μήτε ὁρμῆς, μήτε ἀφορμῆς κινητικά, ὡς ἔχει τὸ ἀρτίας ἔχειν, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τρίχας ἢ περιττάς, ἢ ἐκτεῖναι τὸν δάκτυλον ἢ συστεῖλαι, τῶν προτέρων ἀδιαφόρων οὐκέθ' οὕτω λεγομένων, ὁρμῆς γάρ ἐστιν ἐκεῖνα καὶ ἀφορμῆς κινητικά. διὸ τὰ μὲν αὐτῶν ἐκλέγεται τῶν ἑτέρων ἐπίσης ἐχόντων πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγήν. Quę verba in Laërtio non sunt integra. habent autem hunc sensum: Indifferentia volunt bifariam accipi. Primum quidem, quæ neque beatam vitam, neque miseram adiuuant: quales sunt diuitiæ, gloria, valetudo, & eiusmodi cætera. Nam fieri potest, vt sine illis beatam quis agat vitam: quanquam eorum vsus cuiusdam modi, ad beatam aut ad miseram vitam pertineat. Altero autem modo indifferentia dicuntur, quæ neque appetitionem mouent, neque reiectionem: vt est, pares capitis pilos habere aut impares, vt protendere digitum aut contrahere: quod de priore genere indifferentium nondum dictum est, quæ certè & appetitionem mouent & reiectionem. ob id eorū quædam cum delectu sumuntur: cùm interim illa alterius generis ita paria sint, vt ipsa sequaris an declines nihil intersit. NEC HAEC posita non aliqua essent præposita.] Vetus codex, NEC HOC posito, non aliqua esset præposita] si pro ESSET, ESSE legamus, vera erit, vt arbitror, quæ est in veteri codice lectio: NEC hoc posito nō aliqua esse præposita] quod sequitur, RECTE igitur hæc facta distinctio est] vetus habet, DEFINITIO. Paulo suprà, vbi alij, ITAQVE id definimus] vetus, ID QVE ita definimus.

Sequitur illa diuisio, vt bonorum alia sint ad illud vltimum pertinentia

Eam Laërtius his verbis expositam nobis seruauit: τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι τελικὰ, τὰ δὲ ποιητικὰ, τὰ δὲ τελικὰ καὶ ποιητικά, τὸν μὲν οὖν φίλον, καὶ τὰς ἀπ' αὐτοῦ γινομένας ὠφελείας, ποιητικὰ εἶναι ἀγαθά. θάρσος δὲ, καὶ φρόνημα, καὶ ἐλευθερίαν, καὶ τέρψιν, καὶ εὐφροσύνην, καὶ ἀλυπίαν, καὶ πᾶσαν τὴν κατ' ἀρετὴν πρᾶξιν, τελικά. ποιητικὰ δὲ καὶ τελικὰ εἶναι ἀγαθὰ, καθὸ μὲν ἀποτελοῦσι τὴν εὐδαιμονίαν, ποιητικὰ εἶναι ἀγαθά· καθὸ δὲ συμπληροῦσιν αὐτὴν ὥστε μέρη αὐτῆς γενέσθαι, τελικά. Eadem in Suida reperias. Quàm eleganter τελικὰ Cicero verterit, notent studiosi.

Hæc quæ præposita dicimus, partim sunt per se ipsa præposita.

Hæc præpositorū diuisio totidem penè verbis apud Laërtium est exposita: τῶν προηγμένων τὰ μὲν δι' αὐτὰ προῆχθαι, τὰ δὲ δι' ἕτερα, τὰ δὲ καὶ δι' αὐτὰ, καὶ δι' ἕτερα. δι' αὐτὰ μὲν, εὐφυΐα, προκοπὴ, καὶ τὰ ὅμοια. δι' ἕτερα δὲ πλοῦτος, εὐγένεια, καὶ τὰ ὅμοια. δι' αὐτὰ δὲ καὶ δι' ἕτερα, ἰσχὺς, εὐαισθησία, ἀρτιότης. δι' αὐτὰ μὲν, ὅτι κατὰ φύσιν ἐστί· δι' ἕτερα δὲ, ὅτι περιποιεῖ χρείας οὐκ ὀλίγας. ὁμοίως δὲ ἔχει καὶ τὸ ἀποπροηγμένον, κατὰ τὸν ἐναντίον λόγον. Vbi alij codices habent, BONA VALETVDO] vetus habet, INTEGRA VALETVDO.

Ne digitum quidem in eam porrigendum esse dicebant.

Prouerbialis hyperbole Stoicis vsitata, quæ contemptum significat. Citat Plutarchus è Chrysippo, πολλάκις δὲ μηδὲ τὸν δάκτυλον προτεῖναι ταύτης γε τῆς ἀσφαλείας ἕνεκα. Lib. 4. similis est, Ne manum quidem fuisse versuros. Verba Plutarchi eam confirmant lectionem, quæ est in veteri codice. Vbi enim alij scriptū habent, IN EAM porrigendum] ille habet, EIVS causa porrigendum.

Consentaneum tamen est fungi officio, quum id officium nec in bonis.

Definitionē officij ita apud Laërtiū expositā reperimus, καθῆκόν φασιν εἶναι, ὃ πραχθὲν εὔλογόν τιν' ἴσχει ἀπολογισμόν, οἷον τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ. addit ὅπερ καὶ ἐπὶ τὰ φυτὰ καὶ ζῷα διατείνει. ὁρᾶσθαι γὰρ κἀπὶ τούτων καθήκοντα. ἐνέργημα δὲ αὐτὸ εἶναι ταῖς κατὰ φύσιν κατασκευαῖς οἰκεῖον. paulo pòst, καθήκοντα μὲν οὖν εἶναι, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν: vel vt alij legūt, ὅσα λόγῳ περιέχει ποιεῖν. ὡς ἔχει γονεῖς τιμᾶν, ἀδελφούς, πατρίδα, συμπεριφέρεσθαι φίλοις.

Quoniam enim videmus esse quiddam, quod rectè factū appellemus.

Suprà dixit se appellare rectè factum, quod Græci κατόρθωμα: id in Officiis vocat perfectum officiū, rectum atque absolutum: Illud autem, inquit, officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est: &, vt iidem dicunt, suos omnes numeros habet, nec præter sapientem, cadere in quēquam potest. Est & aliud quod inchoatum dicitur, non sapientum modò proprium, sed omnibus hominibus commune: atque illud est, quod in mediis rebus numeratur. Certè si probabilis satis sit ratio, vt officium sit: sique in rebus mediis inter virtutem & vitium aliquid sumēdum, & aliquid reiiciendum, inueniat ratio: quod officium est: itaque iudicet sapiēs: item si officium sit quoddam perfectum & absolutum: & inde sequatur, vt sit aliquod inchoatum, eū bonum elationem, aut submissionem non admittat: si denique aliquid est, in quo tam sapiens quàm insipiens versari possit: non dubium quin officium in genere sit rerum mediarum, id est, quæ neque sunt in bonis, neque in malis. OMNI OFFICIO continetur] alij, COMMVNI officio] vetus, OMNIVM officio continetur.

In his & excessum è vita, & in vita mansionem.

Hunc Stoicorum locum de manendo in vita, & è vita excedendo tractat Plutarchus ἐν τῷ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων, vbi quia citat verba Chrysippi, vnde ista Cicero mutuatus videtur, melius est hic locum adscribere. neq; enim Laërtius, qui dogmata Stoicorum exponit, huius rei meminit. Ait itaque Plutarchus, Ἀλλ' οὐδ' ὅλως, φασίν, οἴεται δεῖν Χρύσιππος, οὔτε μονὴν ἐν τῷ βίῳ τοῖς ἀγαθοῖς, οὔτ' ἐξαγωγὴν τοῖς κακοῖς παραμετρεῖν, ἀλλὰ τοῖς μέσοις κατὰ φύσιν. διὸ καὶ τοῖς εὐδαιμονοῦσι γίνεταί ποτε καθῆκον ἐξάγειν ἑαυτούς, καὶ μένειν αὖθις ἐν τῷ ζῆν τοῖς κακοδαιμονοῦσι. Idem aliquanto superius in eo libro, de Chrysippo loquens, καὶ προελθὼν δέ φησιν. ὅτι καὶ τοῖς φαύλοις καθήκει μένειν ἐν τῷ ζῆν. εἶτα κατὰ λέξιν, πρῶτον γὰρ ἡ ἀρετὴ ψιλῶς οὐδέν ἐστι πρὸς τὸ ζῆν ἡμᾶς. Sensus est, At verò, inquiunt, sententia Chrysippi, nullo modo manēdi in vita, bonis, aut migrandi ratio, malis, sed mediis rebus quę sunt secundū naturā est metiēda. Ex quo fit, vt beatorū officiū aliquādo sit excedere è vita, & rursus miserorū officium in vita manere. Suprà in eodem libro, Et deinceps ait, Improborum officium esse manere in vita: & pòst hęc ipsa verba subiungit, In primis enim virtus ne minimum quidem ad vitam degendam pertinet. Item ἐν τῷ περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς Στωϊκούς, eundem locum exagitat: καὶ παρὰ τὴν ἔννοιάν ἐστιν, ἄνθρωπον ᾧ πάντα τἀγαθὰ πάρεισι, καὶ μηδὲν ἐνδεῖ πρὸς εὐδαιμονίαν καὶ τὸ μακάριον, τούτῳ καθήκειν ἐξάγειν ἑαυτόν. ἔτι δὲ μᾶλλον, ᾧ μηδὲν ἀγαθόν ἐστι, μηδ' ἔσται, τὰ δεινὰ δὲ πάντα καὶ τὰ δυσχερῆ, καὶ κακὰ πάρεισι, καὶ παρέσται διὰ τέλους, τούτῳ μὴ καθήκειν ἀπολέγεσθαι τὸν βίον, ἂν μή τι διὰ τῶν ἀδιαφόρων αὐτῷ προσγένηται. ταῦτα δὲ ἐν τῇ Στοᾷ νομο-

θεῖται, καὶ πολλοὺς μὲν ἐξάγουσι τῶν σοφῶν, ὡς ἄμεινον εὐδαιμονοῦντας. καίτοι ὁ μὲν σοφὸς ὄλβιος, μακάριος, πανευδαίμων, ἀσφαλὴς, ἀκίνδυνος. ὁ δὲ φαῦλος καὶ ἀνόητος, οἷος εἰπεῖν γέμων κακουργιῶν, καὶ οὐκ ἔστιν ὅπῃ τιθῇ, ἀλλὰ καὶ τούτοις μονὴν οἴονται καθήκουσαν εἶναι, κἀκείνοις ἐξαγωγήν. εἰκότως δὲ, φησὶ Χρύσιππος, οὐ γὰρ ἀγαθοῖς, καὶ κακοῖς δεῖ παραμετρεῖσθαι τὸν βίον, ἀλλὰ τοῖς κατὰ φύσιν. Illud quoque, inquit Plutarchus, præter communem est omnium sententiam, Hominis eius, cui bona omnia adsint, & nihil ad beatitudinem, vitámque felicem desit, officium esse desistere à vita. Illud etiam magis: Cui nullum adest bonum, nullumque posthac adfuturum est, sed graues adsunt, semperque adfuturæ sunt omnis generis molestiæ, omniaq; mala, eius non esse officium, vitam repudiare, nisi earum rerum quæ sunt indifferẽtes, quicquam, quod excessus è vita causa sit, accesserit. Hæc scilicet in Stoicorum porticu decernuntur, & non paucos è sapientibus vita decedere cogunt, cùm etiam apprimè beati sint: atqui sapiens fortunatus, felix, terque quatérque beatus, securus, & ab omni periculo remotus est: Improbus verò & stultus, quàm maximis fieri potest, refertus est sceleribus, & ei ne locus quidem superest, vbi locetur. Attamen etiam his in vita mansionem: illis excessum è vita conuenire putant. Nec sine causa, ait Chrysippus, Quia vita non bonis aut malis, sed rebus quæ secundum naturam sunt, metienda est.

Huius officium est è vita excedere. Ex quo apparet & officium.

In vetusto exemplari legitur, DE VITA EXCEDERE. Ex quo apparet & sapientis esse aliquando officium, excedere.]Paulo pòst, vbi alij, DESCISCERE à vita: quidam legunt, DEFICERE à vita] manu scriptus habet, DESISTERE à vita. Quod ait, sæpe officium esse sapientis desciscere à vita, si id opportunè facere possit, id arbitror ad eam pertinere, quam toties obiicit Stoicis Alexander Aphrodisiensis, τὴν εὔλογον ἐξαγωγήν. Beata, inquit, vita experenda est, & omnino nemo est qui eã recuset, οὐκ ἄρα, ὃν καταλείπει τις βίον ἔχων, εὐδαίμων οὗτος βίος. ὁ δὲ τὴν ἀρετὴν ἔχων, καταλείποι ἄν ποτε τὸν βίον τὸν μετὰ ἀρετῆς ἔχων, διὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν εὔλογον. Et alio loco, εἰ ἀρετὴ αὐτάρκης πρὸς τὸ παρασχέσθαι τὸν βίον ἡμῶν ἄκρως εὐδαίμονα καὶ μακάριον, πῶς εὔλογος ἐξαγωγὴ τῷ τὴν ἀρετὴν ἔχοντι ἐν μακαρίῳ βίῳ ὄντι; In eo quod sequitur, id dicit ἑαυτὸν ἐξάγειν εὐλόγως ἐκ τοῦ βίου. sic enim ait, ὡς γὰρ ἄτοπον τὸ λέγειν τὸν Δία ἐθέλειν ἀποθανεῖν, οὕτως ἄτοπον καὶ τὸ ἐπίσης τούτῳ μακαρίως ζῶντα ἑαυτὸν ἐξάγειν εὐλόγως ἐκ τοῦ βίου. alio loco, τὸ γὰρ εὔλογον ἐξαγωγὴν εἶναι ἐξ ὁμολογουμένων ἐστὶ τὸ ἀδύνατον εἶναι χωρὶς τῶν σωματικῶν καὶ ἐκτὸς, εὐδαίμονα γενέσθαι βίον. ἔτι εἰ εὔλογος μὲν ἡ ἐξαγωγὴ, κωλυθέντα μὲν δὲ ἐξάγειν ἑαυτὸν ἀπό τινος, πῶς οὐκ ἄθλιος ὁ βίος ἐν τοῖς τοιούτοις δι᾽ ὃν εὔλογον ἐξάγειν ἑαυτόν;

Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi natura fieri.

Φασὶ δὲ, inquit Laertius de Stoicis, καὶ τὴν πρὸς τὰ τέκνα φιλοστοργίαν φυσικὴν εἶναι αὐτοῖς & Plutarchus, τὴν πρὸς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίαν ἀρχὴν μὲν ἡμῖν κοινωνίας καὶ δικαιοσύνης τιθέμενοι. Quod & conueniẽter naturæ, & vt obsisterent Epicuro, statuerunt Stoici. Negabat enim Epicurus illam naturalem φιλοστοργίαν ad hominẽ pertinere. Ideo ne liberos alerent sapientes, iubebat. Non erat, ait Epictetus, fore, vt si semel liberi susciperentur, non in nostra esset potestate, eos non amare, eos non tueri, eos non educare, &c. Huc pertinet quod ait de Offic. lib. 1. Nam cùm sit hoc natura commune animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio: proxima in liberis, deinde vna domus, omnia communia. id autem est principium vrbis, & quasi seminarium Reipub.

At illa quæ in concha patula Pinna dicitur, isque qui enat è concha.

Singularia quasi humanitatis & communis inter se commendationis exempla

profert ex animantibus ratione carentibus. De pinna idem ait Cic. lib. 2. de Natur. Deorũ. Pinna verò, inquit, (sic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula cõchis cum parua squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque, quũ pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita à squilla pinna morsu, comprimit conchas: sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressúne aliquo inter se, an iam inde ab ortu naturæ ipsæ congregatæ sint. Idem fermè scribit Plinius lib. 9. cap. 42. Quod & Cicero, & Plinius mutuati videntur è Chrysippo, à quo plurima quoque alia Cicero sumpsit. sic enim Chrysipp⁹, referente Athenæo lib. 5. περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς, ἡ πίννη, φησί, καὶ ὁ πιννοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις κατ' ἰδίαν οὐ δυνάμενα συμμένειν. ἡ μὲν οὖν πίννη, ὄστρειόν ἐστιν· ὁ δὲ πιννοτήρης, καρκίνος μικρός. καὶ ἡ πίννη διαστήσασα τὸ ὄστρακον, ἡσυχάζει τηροῦσα τὰ ἐπιόντα ἰχθύδια. ὁ δὲ πιννοτήρης παρεστὼς, ὅταν εἰσέλθῃ τι, δάκνει αὐτὴν ὥσπερ σημαίνων. ἡ δὲ δηχθεῖσα συμμύει. καὶ οὕτως τὸ ἀποληφθὲν ἔνδον κατεσθίουσι κοινῇ. Paulò suprà hęc verba, dixerat Athenæus eundem Pinnoterem à quibusdam dici Pinnophylaca: quod & Plinius ait: & in quibusdam Ciceronis codicibus pro, PINNOTERES legitur, PINNOPHYLAX. Sed audiamus Plinium. Concharum, inquit, generis & pinna est. Nascitur in limosis subiecta semper, nec vnquam sine comite, quem Pinnoterem vocãt, alij Pinnophylacem: is est squilla parua, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, & vbi licentia ac audacia creuit, implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu leui significat. Illa ore compresso, quicquid inclusit exanimat, partemque socio tribuit.

Mundum autem censent regi numine Deorum.

Censent, ait Laërtius, Stoici τόνδε κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν, quod li. 2. de Deorum Natura Balbus Stoicus confirmat pluribus verbis, inter quæ & hæc sunt exposita: Dico igitur prouidentia Deorum, mundum & omnes mundi partes & initio constitutas esse, & omni tempore administrari: eámque disputationem tres in partes nostri ferè diuidunt. Quarum prima pars est, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet esse Deos: quo concesso, confitendum est, eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet omnes res subiectas esse naturæ sentienti, ab eaq; omnia pulcherrimè geri: quo constituto, sequitur ab animantibus principiis eam esse generatam. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerum cœlestium atque terrestriũ. Huc pertinet quod ait Arrianus, καλῶς λέγουσιν οἱ φιλόσοφοι, ὅτι εἰ προῄδει ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὰ ἐσόμενα, συνήργει ἂν καὶ τῷ νοσεῖν, καὶ τῷ ἀποθνήσκειν, καὶ τῷ πηροῦσθαι, αἰσθανόμενός γε, ὅτι ἀπὸ τῆς τῶν ὅλων διατάξεως τοῦτο ἀπονέμεται. κυριώτερον δὲ τὸ ὅλον τοῦ μέρους, καὶ ἡ πόλις τοῦ πολίτου. Præclarè, inquit, dictum est à philosophis, Si quis vir bonus & honestus futura prouideat, eum ad morbos, excessum è vita, & dolores ferendos se accommodaturũ: quippe qui id euenire intelligat ab huius vniuersitatis ordinata constitutione: vniuersum verò suis partibus, & ciuitatem ciuibus esse præstantiorem. Et alio loco ait, diuina lege constitutum esse suppliciũ in eos qui non se morigeros & obedientes exhibent diuinæ gubernationi: suppliciũ est, quod omni miseriarum genere plectentur. ἔστω ἀλαζὼν, ἔστω κενόδοξος ὁ ἀπειθῶν τῇ θείᾳ διοικήσει, ἔστω ταπεινὸς, ἔστω δοῦλος, λυπείσθω, φθονείτω, ἐλεείτω, τὸ κεφάλαιον πάντων, δυστυχείτω.

Eumque esse quasi communem vrbem & ciuitatem hominũ & De.

Socrates quum rogaretur aliquando, cuiatem se esse diceret: Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam, & ciuem arbitrabatur. Ab hoc initio profecti Stoici, disputarunt, mundum vniuersum ciuitatem, vrbem siue oppidum esse hominum & Deorum commune. Nam in homine rationẽ, qua nihil melius est, & in Deo

esse,quod primam homini cum Deo societatem efficiat : inter quos autem ratio sit, inter eosdem etiam rectam rationem communem esse: quæ cùm sit lex,lege qnoque consociatos homines cum Diis putandos esse. Inter qnos porrò sit communio legis, inter eos communionē iuris esse.quibus aūt hæc sint inter eos cōmunia, & ciuitatis eiusdem habendos esse. Si verò iisdem imperiis & potestatibus pareant, multò iam magis parere huic cœlesti discretioni mentique diuinæ & præpotenti Deo : vt etiā iam vniuersus hic mundus vna ciuitas communis Deorum atque hominum existimanda sit. Ita disputat Arrianus, οὐκ ἀπογαλακτισόμεθα ἤδη ποθ' ἑαυτούς, καὶ μεμνησόμεθα ὧν ἠκούσαμεν παρὰ τῶν φιλοσόφων, εἴ γε μὴ ὡς ἐπαοιδῶν αὐτῶν ἠκούομεν, ὅτι ὁ κόσμος οὗτος μία πόλις ἐστὶ, καὶ ἡ οὐσία ἐξ ἧς δεδημιούργηται μία, καὶ ἀνάγκη περίοδόν τινα εἶναι καὶ παραχώρησιν ἄλλων ἄλλοις· καὶ τὰ μὲν διαλύεσθαι, τὰ δ' ἐπιγίνεσθαι· τὰ μὲν μένειν ἐν τῷ αὐτῷ, τὰ δὲ κινεῖσθαι. In eos inuehit, qui de exilio conqueruntur. Infantiúmne tandem lacte nos eximemus, & eorum recordabimur, quæ à philosophis audiuimus, si modò illos perinde atque incantatores non audiebamus, Hunc mūdum vnā esse omniū cōmunem ciuitatem, & ex vna fabricatū fuisse materia: esseq; necesse, vt quędam sit rerū vicissitudo, & alia aliis cedant, vt partim dissipentur, partim succrescāt: quædam in eodem statu maneant, quædam commutentur.

Et vnumquenque nostrum esse eius mundi partem.

Μέρη γὰρ, inquit Chrysippus, εἰσὶν αἱ ἡμέτεραι φύσεως τῆς τοῦ ὅλου. & Arrianus docens quemadmodum quis ex vocabulis & rerum appellationibus officia possit inuenire, πολίτης εἶ, inquit, τοῦ κόσμου καὶ μέρος αὐτοῦ, οὐχ ἓν τῶν ὑπηρετικῶν, ἀλλὰ τῶν προηγουμένων. παρακολουθηκὸς γὰρ εἶ τῇ θείᾳ διοικήσει, καὶ τοῦ ἑξῆς ἐπιλογιστικός. Τίς οὖν ἐπαγγελία πολίτου; μηδὲν ἔχειν ἰδίᾳ συμφέρον, περὶ μηδενὸς βουλεύεσθαι ὡς ἀπόλυτον, ἀλλ' ὥσπερ ἂν, εἰ ἡ χεὶρ ἢ ὁ πούς λογισμὸν εἶχον, καὶ παρηκολούθουν τῇ φυσικῇ κατασκευῇ, οὐδέποτ' ἂν ἄλλως ὥρμησαν ἢ ὠρέχθησαν, ἢ ἐπανενεγκόντες ἐπὶ τὸ ὅλον. Ciuis es mūdanus, mundique pars vna, non quidem earum quæ ad seruiendum & obediendum destinatæ sunt, sed quæ præesse ac imperare debent. Natus enim es, vt diuinam sequaris gubernationem ac discretionem, & vt rerum consequentium rationem habere possis. Quid igitur ciuis profitetur? Vt nullam habeat rationem priuatæ vtilitatis: vt nulla de re tanquam dimissus, statuat: sed perinde agat, atque manus & pes agerēt, si rationis essent participes, & naturalē assequerentur constitutionem: nunq̄ certè prius aliquid impetum fecerint, aut quid appetiuerint, quàm de eo ad vniuersum corpus retulerint.

Ex quo fit, vt laudandus sit is, qui mortem oppetat pro Rep.

Εὐλόγως τέ φασι, inquit Laërtius, ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος, καὶ ὑπὲρ φίλων, κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι, ἢ πηρώσεσιν, ἢ νόσοις ἀνιάτοις. M. Tullius in Tuscul. Tanta charitas, inquit, patriæ est, vt eam nō sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. Itaque non deterret sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè potest abesse, quo minus in omne tempus Reipub. suisque consulat, & posteritatem ipsam, cuius sensus habiturus non sit, ad se putet pertinere.

Quoniamque illa vox inhumana & scelerata ducitur eorum.

Seneca libro 2. de Clementia scribens, multas magnas voces, sed detestabiles in vitam humanam irrepsisse, vulgóque celebratas fuisse, vt hanc, Oderint dum metuant, Cui, inquit, Græcus versus similis est, qui se mortuo, terram misceri iubet. Id aliquando cùm à quodam sermone communi diceretur Græcè, Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, Nero respondisse fertur, imò ἐμοῦ ζῶντος, alludens ad id vrbis incendium, quod paulo pòst effecit. Eorum vox est propria, qui posteritatis nullam ra

tionem habent. Erasmus in suas Chiliad. hunc quoque senarium retulit.

Quódque nemo in summa solitudine vitam agere velit.

Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐν ἐρημίᾳ, inquit Stoicus, βιώσεται ὁ σπουδαῖος. κοινωνικὸς γὰρ φύσει καὶ πρακτικός. addit alius, καὶ φιλάλληλος, καὶ ἡδίως συναναστρέφεται ἀνθρώποις.

Atque etiam Iouem quum Optimum, Maximum dicimus.

Lib. 2. de Natura Deorum, Sed ipse, inquit, Iuppiter, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem: à Poëtis, Pater diuumque hominumque dicitur: à maioribus autem nostris, Optimus, Maximus: & quidem antè Optimus, quia maius est, certéque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Iuppiter Stator ideo dictus est, quia cùm aliquando fugerent Romani, & Romulus de suorum tum virtute desperaret, Iouem rogauit, vt starent: quod cùm impetrasset, Iouem Statorem appellauit. Alij malunt statorem ex eo diei, quia cùm tonans pingatur sedens in antiquis monetis ac simulacris: stator stans pingitur, tanquam erectus ad ferendam opē. Stoici, vt hic Cato, ad altiorem intelligentiam hoc, vt solent omnia de Diis, reuocāt. Ita Seneca lib. de Beneficiis, Non, inquit, quemadmodum historici tradiderunt, ex eo quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est. Tales habent etiam Græci Iouis appellationes, quibus volunt à veteribus Dei munera varia obscurè significata fuisse. γενέτωρ, φάτριος, ὁμόγνιος, ἑταιρεῖος, φίλιος, ἱκέσιος, ξένιος, ἀγοραῖος, βουλαῖος, σήσιος.

Et quo modo hominum inter homines iuris esse vincula putant.

Ἔτι δ' ἀρέσκει αὐτοῖς, μηδὲν εἶναι δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα, διὰ τὴν ἀνομοιότητα. quod dictum Chrysippo tributtur, & Posidonio. QVI NEGARET iniustum fore] Manu scriptus codex, MIGRARET: quod probat Camerarius & Victorius: vt in primo de Offic. Quæque pertinent ad veritatem & fidem, ea migrare interdum, & non seruare sit iustum. Quod citat ex Chrysippo, est item expositum de Offic. li. 1. Atque (vt placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia, &c.

Consentaneum est huic naturæ, vt sapiens velit gerere.

Alia enumerat Stoicorum decreta, quæ sic feruntur, πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν, ἂν μή τι κωλύῃ. καὶ γὰρ κακίαν ἐφέξειν, καὶ ἐπ' ἀρετὴν παρορμήσειν. καὶ γαμήσειν ἂν, καὶ παιδοποιήσεσθαι. καὶ ἐρασθήσεσθαι δὲ τὸν σοφὸν τῶν νέων ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν. Quod postremum Cicero Tuscul. 4. etiam explicat, Stoici, verò, inquit, & sapientem amaturum esse dicunt, & amorem ipsum conatum amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie definiunt. Id Græcè dicunt, ἔρωτα εἶναι ἐπιβολὴν φιλοποιίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον Id genus amoris appellant ἔρωτα τὸν περὶ σπουδαῖον, cùm aliud vitiosum sit, quod definiunt ἐπιθυμίαν τινά. Huc etiam pertinet, quod ait Plutarchus de Stoicis loquens, θῆρα γάρ, φασίν, ἐστιν ὁ ἔρως ἁπλῶς μὲν, ἀφυοῦς δὲ μειρακίου πρὸς ἀρετήν. In Laërtio pro φιλοποιίας, aliàs φιλαντοιίας legitur: aliàs, vt etiam apud Suidam, φιλοποιίας: apud Alexandrum Aphrodisiensem φιλοποιίας reperio, quod verū videtur, præsertim cum Cicero vertat, amicitiæ faciendæ.

Cynicorum autem rationem atque vitam alij cadere in sapientem.

Apud Laërtium, κυνιεῖν τε τὸν σοφόν, φασι εἶναι γὰρ τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν. De offic. 1. Nec verò audiēdi sunt Cynici, aut si qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt & irrident, quòd ea quæ re turpia non sunt, nominibus ac verbis flagitiosa dicamus: illa autem quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe est, sed dicitur non obscœnè: liberis dare operam, re honestum est, nomine obscœnum: pluráque in eam sententiam ab iisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem, inquit Cicero, naturam sequamur, & ab omni quod abhorret ab ipsa oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Apud Arria-

num caput est περὶ κυνισμοῦ: in quo multa de hoc viuendi genere dicuntur. Primùm enim docet, non esse cuiusuis hominis hác Cynicorum rationem, ὁ δίχα θεοῦ, inquit, τηλικούτῳ πράγματι ἐπιβαλλόμενος, θεοχόλωτός ἐστι, καὶ οὐδὲν ἄλλο, ἢ δημοσίᾳ θέλει ἀσχημονεῖν. Qui inquit, rem tanquam sine Dei consilio aggreditur, is Deo inuisus est, & nihil aliud quàm palàm obscœnè agere cupit. Eodem loco ita viuentem appellat ἄγγελον ἀπὸ τοῦ Διὸς πρὸς τοὺς ἀνθρώπους περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, item κατάσκοπον τοῦ τίνα ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις φίλα, καὶ τίνα πολέμια. Qualis esse debeat Cynicus, idem docet, δέρεσθαι δεῖ αὐτὸν ὡς ὄνον, καὶ δερόμενον φιλεῖν αὐτοὺς τοὺς δέροντας, ὡς πατέρα πάντων, ὡς ἀδελφόν. Is, inquit, cædatur, vt asinus, cæsus tamen cædentes diligat, non aliter quàm huius vniuersitatis parentem, non aliter quàm fratrem, necesse est. Paulo pòst, δεῖ γὰρ αὐτὸν οὐ μόνον τὰ τῆς ψυχῆς ἐπιδεικνύοντα παριστάναι τοῖς ἰδιώταις, ὅτι ἐνδέχεται δίχα θαυμαζομένων ὑπ' αὐτῶν, καλὸν καὶ ἀγαθόν· ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ σώματος ἐνδείκνυσθαι, ὅτι ἡ ἀφελὴς καὶ λιτὴ καὶ ὕπαιθρος δίαιτα οὐδὲ τὸ σῶμα λυμαίνεται. alibi τὸ μὲν γὰρ αἰσχυντικὸν τοσοῦτον ἔχειν δεῖ τὸν κυνικόν, ὥστ' ἂν τὸν ἀναίσθητον δοκεῖν εἶναι πολλοῖς, λίθον. Nã is debet nõ modò monstratis animi bonis, talẽ se exhibere rerum imperitis, vt significet citra res eas quas ipsi suspiciũt & admirantur bene honesteque victurum hominẽ: verũ etiam corpore suo repræsentare, simplici, tenui, idque sub dio, victu ac cultu corpus minimè labefactari. Alio loco, Nam in eo, inquit, qui Cynicorum rationẽ atque vitam sequitur, tanta inesse debet abstinentia, vt carere omni sensu, & stupidus vt saxum, esse videatur. Alia addit non pauca, quæ recensere longum esset.

Vt ergo conseruetur omnis homini erga hominem societas.

Vetus habet, VT VERO conseruetur omnis hominis erga hom. Ὠφελήματα καὶ βλάμματα ad bona & mala pertinent: quæ quia amplificari & crescere non possunt, consequens est nec illa crescere posse. εὐχρηστήματα verò & δυσχρηστήματα pertinent ad illa quæ media sunt, & ἀδιάφορα dicuntur: quorum quia nonnulla pluris, nonnulla minoris æstimanda sunt, idcirco paria illa esse non possunt. Docent enim Stoici, ὡς ἴδιον θερμοῦ, τὸ θερμαίνειν, οὐ τὸ ψύχειν· οὕτω καὶ ἀγαθοῦ τὸ ὠφελεῖν, οὐ τὸ βλάπτειν. Appellant autem βλάπτειν, τὸ κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ κακίαν: vt ὠφελεῖν, τὸ κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν. Ex quo concludunt, μηδένα φαῦλον ὠφελεῖσθαι. Et eorum dictum refert Plutarchus, ἂν εἷς σοφὸς ὁποδήποτε προτείνῃ τὸν δάκτυλον φρονίμως, οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην σοφοὶ πάντες ὠφελοῦνται, Si sapiens vnus, quando id cunque fiat, protendat sapienter digitum, omnes quotquot in orbe sunt terrarum sapientes, emolumenta ferent.

Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere.

Dogma de amicitia illud est Stoicorum, vt dicant, τὴν φιλίαν ἐν μόνοις σπουδαίοις εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα: quam definiunt, κοινωνίαν τινὰ τῶν κατὰ τὸν βίον χρωμένων τοῖς φίλοις ὡς ἑαυτοῖς: quod aliàs dicit M. Tullius, Esse amicitiam nihil aliud, nisi omniũ diuinarum humanarumque rerum, cum beneuolentia & charitate summa consensio: quæ sine virtute esse nullo pacto potest. Quæ certè consensio si non adsit, sed hinc amicitia retrahat & honestas, illinc vtilitas, necesse est alterutram deprimi: & eam profectò quæ ad commoda nostra nos impellit, ad quam omnes nimis propendimus. πᾶν ζῷον, ait Epictetus, οὐδενὶ οὕτως ᾠκείωται ὡς τῷ ἰδίῳ συμφέροντι. cuius etiã illa sunt verba, ἂν μὲν ἐν ταὐτῷ τις θῇ τὸ συμφέρον, καὶ τὸ ὅσιον, καὶ τὸ καλὸν, καὶ πατρίδα, καὶ γονεῖς, καὶ φίλους, σώζεται ταῦτα πάντα. ἂν δ' ἀλλαχοῦ μὲν τὸ συμφέρον, ἀλλαχοῦ δὲ τοὺς φίλους, καὶ τὴν πατρίδα, καὶ τοὺς συγγενεῖς, καὶ αὐτὸ τὸ δίκαιον, οἴχεται ταῦτα πάντα καταβαρούμενα ὑπὸ τοῦ συμφέροντος. ὅπου γὰρ ἂν τὸ ἐγὼ, καὶ τὸ ἐμόν, ἐκεῖ ἀνάγκη ῥέπειν τὸ ζῷον. Si eodem loco, inquit, ponantur, vtile, sanctum, honestum, patria, parentes & amici, in tuto sunt omnia, eáque bene seruantur. At si alio constituatur loco quod est vtile, alio amici, patria, cognati, imò etiam ipsa iustitia, ea

omnia ab vtilitate deprimuntur. Nam quò ego & meum propendunt, eò animal delabi necesse est.

Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura: alienumque.

Aliud decretum, φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον. Aliud, ἀναμαρτήτους εἶναι τοὺς σοφούς, τῷ ἀπεριπτώτους εἶναι ἁμαρτήματι, ἀβλαβεῖς τε εἶναι. οὐ γὰρ ἄλλους βλάπτειν, οὔτε αὑτούς. De iure, quòd natura constitutum sit, non voluntate hominum, latissimè Cicer. lib. 1. de Legibus disputat: vbi & hæc posita sunt: Iam verò stultissimum est illud existimare, omnia iusta esse, quæ scita sunt in populorum institutis aut legibus. Et mox, Est enim vnum ius, quo deuincta est hominum societas, & quod lex constituit: quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam.

Grauißimeque & verißimè defenditur, nunquam æquitatẽ ab vtilit.

Tractatur hic locus de non seiungenda honestate & vtilitate de Offic. lib. 3. & primo, Rectéque, inquit, Socrates execrari eum solebat, qui primus vtilitatem à natura seiunxisset. Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Et nota est Stoicorum sententia, qua volunt, πᾶν ἀγαθὸν συμφέρον εἶναι, καὶ δέον, καὶ λυσιτελὲς, καὶ χρήσιμον, καὶ εὔχρηστον, καὶ καλὸν, καὶ ὠφέλιμον, καὶ αἱρετὸν, καὶ δίκαιον.

Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, Dialecticam etiã adiũ.

Quoniam vita beata scopus est & propositum, quò omnia philosophiæ studia, omnesque actiones referri debent, vt lib. 1. in explicatione summi boni secundum Epicurum, artes quas admittebat eius disciplinæ princeps, ad vitam quam beatã prædicabat, annumerauit: ita etiam in hac ratione Stoicorum exponenda, quæ artes ad eorum valeant summi boni constitutionẽ indicat. De Dialectica quid sentiãt Stoici, in vita Zenonis Laërtius scribit, Dioclis quidẽ verbis, quę Cic. attingit, αὐτὴν δὲ τὴν διαλεκτικὴν ἀναγκαίαν εἶναι, καὶ ἀρετὴν ἐν εἴδει περιέχουσαν ἀρετάς, τήν τε ἀπροπτωσίαν, ἐπιστήμην, τοῦ πότε δεῖ συγκατατίθεσθαι, καὶ μή. τὴν δὲ ἀνεικαιότητα, ἰσχυρὸν λόγον πρὸς τὸ εἰκὸς, ὥστε μὴ ἐνδιδόναι αὐτῷ. τὴν δὲ ἀνελεγξίαν, ἰσχὺν ἐν λόγῳ, ὥστε μὴ ἀπάγεσθαι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἀντικείμενον. τὴν δὲ ἀματαιότητα, ἕξιν ἀναφέρουσαν τὰς φαντασίας ἐπὶ τὸν ὀρθὸν λόγον. αὐτήν τε τὴν ἐπιστήμην φασὶν, ἢ κατάληψιν ἀσφαλῆ, ἢ ἕξιν ἐν φαντασιῶν προσδέξει ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου. οὐκ ἄνευ δὲ τῆς διαλεκτικῆς θεωρίας τὸν σοφὸν ἄπτωτον ἔσεσθαι ἐν λόγῳ. τό, τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος διαγινώσκεσθαι ὑπ' αὐτῆς, καὶ τὸ πιθανὸν, τό, τε ἀμφιβόλως λεγόμενον διακρίνεσθαι. χωρίς τε αὐτῆς οὐκ εἶναι ὁδῷ ἐρωτᾶν καὶ ἀποκρίνεσθαι. Dicam, vt potero Latinè: Ipsam autem Dialecticam necessariam esse volunt: eamque virtutis nomine appellant, cuius complexu, nonnullæ virtutes continentur. Prima est, ab omni lapsu se continendi peritia, quæ ars est rationem habens quando sit assentiendum, & quando non sit. Deinde, aduersus captiosam probabilitatem iudicij retẽtio, quæ ratio est constans, cauensque, ne probabilitate fallamur, à veroque abducamur. Tertia, firma & constans assertio, quæ in oratione vis est, ad id valẽs, ne ab eo cui assensum est deducamur in partem contrariam. Postrema virtus est, erroris & temeritatis auersio, quæ affectio est quædam à visis ad rectam rationem animum abducẽs. Volunt præterea scientiam dialecticam esse, vel comprehensionem siue cognitionẽ stabilem & firmam: vel animi habitum eum qui ab iis quæ visa sunt, & quasi accepta sensibus, ne fallamur, & temerè labamur, rationem sequitur. Atque sine hac dialecticæ cognitione, sapientem arbitrantur firmum & constantem dicendo ac disputãdo esse non posse. Eam enim vnam continere omnem perspiciendi scientiam quid in quaque re veri sit, & falsi, quidque probabiliter assumatur: & cùm ambiguè dicitur quippiam, qua ratione diuidi explicarique oporteat: sine qua via & ratione nec percõtari, nec respõdere vllus possit. TEMERITAS ignoratioque vitiosa est, ab his ea quæ tollit, hæc virtus.] in veteri est, TEMERITAS ignorantiaque vitiosa est, ars ea

quæ tollit hæc, virtus nominata est.

Physicæ quoque non sine causa tributus idem est honos.

Plutarchus contra Stoicos disputans, locos profert quosdam è Chrysippi libris, vnde hæc mutuatum esse Ciceroné, facilè est intelligere. eos adscribemus. Ἄκου δὲ ἃ λέγει περὶ τούτων ἐν τῷ τρίτῳ περὶ θεῶν. οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν, οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομέν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Πάλιν ἐν ταῖς φυσικαῖς θέσεσιν, οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως, οὐδὲ οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς, οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως, καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως. Προελθὼν δ' αὖθις, δεῖ γὰρ τούτοις συνάψαι τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐκ οὔσης ἄλλης ἀρχῆς αὐτῶν ἀμείνονος, οὐδ' ἀναφορᾶς, οὐδ' ἄλλου τινὸς ἕνεκεν τῆς φυσικῆς θεωρίας παραληπτῆς οὔσης, ἢ πρὸς τὴν περὶ ἀγαθῶν ἢ κακῶν διάστασιν. Quorũ verborum sensum facilè is intelliget, qui, quæ nunc ait Cato, diligenter ea considerauerit.

Quæque sunt vetera præcepta sapientium, qui iubent tempori parere.

Plato ait in Protagora, septẽ sapiẽtes cõuenisse, ac primitias sapiẽtię Apollini Delphico dedicasse, quæ his duobus, Nosce teipsum, &, Nihil nimis, cõtineantur, paucis verbis, more veterum philosophantiũ, multa significantes. Et φράσεις, significat, alia illic anathemata veterum sapientum fuisse: obscura quidem, sed magnarum rerum significantia. Talia sunt καιρῷ λατρεύειν, quod dicit Phocylides Καιρῷ λατρεύειν μὴ ἀντιπνεῖν ἀνέμοισι. &, ἕπου θεῷ. Hæc, inquit Cato, intelligere quam vim habeant, nemo possit, nisi naturæ cognitionem teneat. Abstrusiorem enim intelligentiam ea habent, quàm vulgus intelligat, & eò ferè redeunt omnia, vt naturam ducem sequamur: quam qui non norit, is labatur, erret, hallucinetur necesse est.

Atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias.

Quia cœpimus verba Chrysippi, quib⁹ Physicę vtilitas declaratur, enumerare, adscribamus & eiusdem alia, quàm quæ adscripta sunt, ex eodem Plutarcho descripta. Ait igitur Chrysippus, οὔτε γὰρ περὶ τελῶν, οὔτε περὶ δικαιοσύνης, οὔτε περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, οὔτε περὶ γάμου, καὶ παιδοτροφίας, οὔτε περὶ νόμου καὶ πολιτείας φαίνεται τὸ παράπαν φθεγγόμενος, εἰ μὴ καθάπερ οἱ τὰ ψηφίσματα ταῖς πόλεσιν εἰσφέροντες προγράφουσιν, Ἀγαθὴν τύχην. οὕτω καὶ αὐτὸς προγράψει τὸν Δία, τὴν εἱμαρμένην, τὴν πρόνοιαν, τὸ συνέχεσθαι μιᾷ δυνάμει τὸν κόσμον ἕνα ὄντα, καὶ πεπερασμένον. ὧν οὐδέν ἐστι πεισθῆναι μὴ διὰ βάθος ἐγκραθέντα τοῖς φυσικοῖς λόγοις. Neque, inquit, de finibus, neque de iustitia, neque de bonis & malis, nec de nuptiis & liberorum educatione, nec de lege & Republica quis rectè verba facere videbitur omnino, nisi perinde atque qui noua ciuitatibus adferunt decreta, BONAE FORTVNAE solent initio inscribere: sic & hic Iouem primum depingat, fatum, prouidentiam, & quòd hic vnus ac finitus mundus vna virtute, vi, atque potestate contineatur. Quarum rerum nulla cuiquam suaderi potest, nisi is Physicis cognoscendis inuigilauerit, altissimeque incubuerit.

Rectius enim appellabitur Rex, quàm Tarquinius.

Paradoxon Stoicorum, μόνους τοὺς σοφοὺς βασιλέας εἶναι. ἡ γὰρ βασιλεία, inquiũt, ἐστὶν ἀνυπεύθυνος ἀρχὴ, ἥτις περὶ μόνους ἂν τοὺς σοφοὺς συσταίη. ἐγνωκέναι γὰρ δεῖν τὸν ἄρχοντα περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. μηδένα δὲ τῶν φαύλων ἐπίστασθαι ταῦτα. Quòd soli sapientes reges sint. Nam regnum est, principatus reddendæ rationi, & reprehensioni minimè obnoxius: qui quidem in solis consistere potest sapientibus. addunt, Necesse

enim esse eum qui sit in magistratu rationem bonorum & malorum nosse: quã nullus improbus tenere potest. Qualis Tarquinius fuit propter insolentiam morum & arrogantiam cognométo Superbus: is tutor relictus liberis Anci Regis, regnum intercepit, & ita administrauit, vt tyrannis verius fuerit, quàm regnum. Rempublicã grauiter oppressit, leges peruertit, magistratus mutauit: & nimio plus bella gerere concupiuit, homo si quis alius, contumax, pręfractus, superbus & insolens.

Rectius magister populi (is enim est Dictator) quàm Sylla.

Volunt etiam Stoici suos sapientes, ἀρχικοὺς, δικαστικούς τε καὶ ῥητορικοὺς μόνους εἶναι, τῶν δὲ φαύλων οὐδένα. Qualem autem in sua dictatura se Sylla gesserit, cùm alij, tum Plutarchus explicat.

Rectius diues quàm Crassus, qui nisi egnisset, nunquam Euphratem.

Aliud, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. Hoc paradoxon populari oratione explicatum est à Marco Tullio, vbi definit diuitem eum esse cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Quæ definitio non in quæstuosos, non in auidos pecuniæ, sed in solos sapientes valet. Vbi etiam in Crassum diuitem inuehit, ac eius refert dictum, Multi, inquit, ex te audierunt cùm diceres, Neminem esse diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus, quod populus Romanus ex tantis vectigalibus iam pridem vix potest. Igitur hoc proposito nunquam eris diues, &c.

Rectè eius omnia dicentur, qui scit vti solus omnibus.

Hoc dicunt, τῶν σοφῶν πάντα εἶναι. δεδωκέναι γὰρ αὐτοῖς παντελῆ ἐξουσίαν τὸν νόμον. Quod ita Diogenes Cynicus confirmabat, Omnia Deorum sunt: amici autem sapientum sunt Dij: at verò amicorum sunt omnia communia: igitur sapientum omnia sunt.

Rectè etiam pulcher appellabitur, animi enim lineamenta sunt pulchr.

Hoc paradoxon ridet Plutarchus, ὁ δὲ τούτων σοφὸς, οὐκ ἀπολείποντος τὸ σῶμα τοῦ γήρως, ἀλλὰ καὶ προσαιθέντος, καὶ προσεπισωρεύσαντος μὲν ὢν κυρτὸς, ἂν οὕτω τύχῃ, νωδὸς, ἑτερόφθαλμος, οὔτε αἰσχρὸς, οὔτε δύσμορφος, οὔτε κακοπρόσωπός ἐστι. Stoicorũ inquit sapiens, non modò si corpus integrum non relinquat senectus, sed etiam ita propellat & accumulet, vt is gibbosus, si ita res ferat, edetulus, & altero priuatus oculo maneat: neque turpis, neque deformis, neque illiberali facie est habendus.

Rectè solus liber, nec dominationi cuiusquam parens.

Μόνον ἐλεύθερον τὸν σοφόν. εἶναι γὰρ τὴν ἐλευθερίαν ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, τὴν δὲ δουλείαν στέρησιν αὐτοπραγίας. Quod Cic. in Paradoxis dicit: Quid est enim libertas? Potestas viuendi vt velis. & paulo pòst, Si seruitus sit, sicut est, obedientia fracti animi & abiecti, & arbitrio carentis suo, quis neget omnes leues, &c. Et Arrianus disputãs hac de re, Ἐλεύθερος γάρ ἐστιν, inquit, ᾧ γίνεται πάντα κατὰ προαίρεσιν, καὶ ὃν οὐδεὶς δύναται κωλῦσαι. & alio loco, οὐ γάρ ἐστιν ἄλλο τί ἐστιν ἐλευθερία, ἢ τὸ ἐξεῖναι ὡς βουλόμεθα διεξάγειν. & mox, ὅστις δ' ἀπήλλακται λυπῶν καὶ φόβων καὶ ταραχῶν, οὗτος τῇ αὐτῇ ὁδῷ καὶ τοῦ δουλεύειν ἀπήλλακται. Qui, inquit, ab ægritudinibus, formidinibus, & perturbationibus animi, liberatus est, is simul & à seruitute liberatus est.

Rectè inuictus, cuius etiam si corpus constringatur.

Hoc quoque ridens Plutarchus, ὁ δὲ Στωϊκὸς, inquit, σοφὸς ὥσπερ ἐξ ἀδαμαντίνης ὕλης ὑπ' αὐτῶν τῆς ἀπαθείας κεχαλκευμένος οὐκ ἄτρωτός ἐστιν, οὐδ' ἄνοσος, οὐδ' ἀναλγὴς, ἄφοβος δὲ μένει καὶ ἄλυπος, καὶ ἀήττητος, καὶ ἀβίαστος. Et alio loco, ὁ δὲ τῶν Στωϊκῶν σοφὸς ἐγκλειόμενος οὐ κωλύεται, καὶ κατακρημνιζόμενος οὐκ ἀναγκάζεται, καὶ στρεβλούμενος οὐ βασανίζεται, καὶ πηρούμενος οὐ βλάπτεται, καὶ πίπτων ἐν τῷ παλαίειν ἀήττητος

ἐστιν, καὶ πολλὰ τραχιζόμενος ἀπολιόρκητος, καὶ πολεμούμενος ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀνάλωτος. id est, Porrò sapiens Stoicus, ab illis ex impatibilitate, veluti ex adamantina materia fabricatus, non est ille quidem extra periculum vulnerum, morborum, & dolorum, manet tamen intrepidus, sine molestia, inuictus, & non coactus. Et alibi, Stoicorum sapiens etiam si constringatur, non impeditur: & si præcipitetur, nō cogitur: si in vincula coniiciatur, non torquetur: si vratur, non læditur: & in luctam si veniat, inuictus semper est: si vallo circundetur, expugnari nō potest: & si denique ab hostibus vndique circunueniatur, inexpugnabilis tamen manet.

Nec expectet vllum tempus ætatis, vt tum denique iudicetur.

Placet Stoicis, in qno virtus sit, eum beatum esse. Vt autem in aliquo virtus sit, non esse longo tempore opus: qnod & Plutarchus ridet, ὁ δὲ, inquit, τῶν Στωϊκῶν σοφὸς, χθὲς μὲν ἦν αἴσχιστος ἅμα καὶ κάκιστος, τήμερον ἄφνω μεταβέβληκεν εἰς ἀρετήν, Stoicorum, inquit, sapiens heri quidem cùm esset & infestißimus & simul pessimus omnium, hodie repentè in virtntem migranit. De Solonis dicto ad Crœsum libro secundo ex Herodoto scripsimus: quæ res ita Græcè, si quis mauult refertur, ὁ δὲ Σόλων τὴν παρεούσης τύχης τοῦ Κροίσου καταφρόνησε, ἐκέλευσέ τε τὴν βίου παντὸς τὸ τέλος ἀναμένειν, μηδὲ προπηδᾶν, μηδ' ἐπαγόμενον τοῖς εὐδαίμοσιν ἐγκαταγράφειν. ἀτέκμαρτα γὰρ εἶναι, ἄδηλα τὰ ἀνθρώπινα. Solon autem, inquit, quam videbat prosperam Crœso esse fortunam, contempsit: iussitque vt integrum vitæ tempus expectaret, nō acceleraret, nec properaret quis seipsum ante in beatornm numerum adscribere. Res enim humanas ignotas esse quales futuræ sint, & incertas. Hoc nō placuit Stoicis: neque itē Aristoteli. Sic enim ait lib. 2. de Morib. ad Eudemum, διὸ καὶ τὸ Σόλωνος ἔχει καλῶς, τὸ μὴ ζῶντ' εὐδαιμονίζειν, ἀλλ' ὅταν λάβῃ τέλος. οὐδὲν γὰρ ἀτελὲς εὔδαιμον, οὐ γὰρ ὅλον, Itaque, inquit, à Solone illud rectè dictum non est, Vt quis in vita adhuc manens, non iudicetur beatus: sed tum deniqne quum extremum vitæ diem morte cōfecerit. Nihil enim beatum esse quod non absolutum & perfectum sit, quippe cùm totum quid & integrum id non sit.

Vsque ad illum à Cyro extructum rogum protulisset.

In veteri est, PERTVLISSET. quam etiam lectionem adnotatam habebat Basiliensis codex. De rogo extructo à Cyro, vt in eo incenderetur Crœsus, Herodotus scribit lib. 1. vbi ait, Persæ & Sardibus potiti sunt, & Crœso viuo, cùm regnasset annos quatuordecim, totidemque dies fuisset obsessus, amisso magno imperio, vt ei fuerat responsum. Eum captum Persæ ad Cyrum perduxerunt: quem ille vinctum compedibus, super ingentem, quam struxerat lignorum struem, imponit: circaq; eū bis septem Lydorum filios, siue habens in animo primitias has alicui Deo offerre, siue volens votum persoluere, siue cupidus sciendi, num quis dęmonū liberaret Crœsum, quem religiosum esse audierat, qno minus pyræ impositus, viuus concremaretur. Crœso autem super rogum stanti, etsi in tanta calamitate posito, tamen venisse in mentem Solonis, quòd ab eo sibi nutu Dei fuisset dictum, Ex viuentibus beatum esse neminem. Quod dictum vbi subiit Crœso, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum, ingemiscentem ter Solonem nominasse: & Cyrum cùm audisset, iussisse interpretes eum percontari, quemnam inuocaret, &c.

OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII IN M. T. CICERONIS LIB. QVARTVM DE Finibus bonorum & malorum, Commentarius.

IBRO isto, quæ pro Stoicis à Catone dicta sunt, refelluntur. Omnia autem Zenonem à Peripateticis mutuasse docet, verbisque immutatis pro suis edidisse. In quo quidem Zenonis & Peripateticorum sententiæ comparantur: argumentaq; pro Stoicis facientia reprehenduntur. Procœmium cum superiore libro continuatum est: in quo statim ab initio, remota dißimulatione M. T. Ciceronis de non omnino intellecta Stoicorum spinosa disciplina, controuersia inducitur, de rerum conuenientia, & verborum discrepantia, quæ fuit Stoicis cum Peripateticis: quod veluti huius libri propositum fuisse indicat Tusculan. 5. vbi quidam introductus in disputationem cum M. Tullio, Adducis me, inquit, vt tibi assentiar: sed tua quoque vide ne desideretur constantia. Quonam modo? inquit Marcus: tum ille, Quia legi, inquit, tuum nuper quartum de Finibus: in eo mihi videbare contra Catonem differens, hoc velle ostendere, quod mihi quidem probatur, inter Zenonem & Peripateticos nihil præter verborum nouitatem interesse. Cui respondet Cicero, Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum, & testificaris quid dixerim aliquando, aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant. Nos in diem viuimus: quodcunque nostros animos probabilitate percußit, id dicimus.

Non modo fundatam, verum etiã extructam disciplinam.

METaphoræ ab ædificiis. Stoicę disciplinæ fundator fuit Zeno Cittieus: extructores, Chrysippus, Hecato, Cleanthes, Archedemus, Panætius, Diogenes, & alij quàm plurimi. Quod sequitur, NOVA LEGE videam] vetus codex habet, NOVA LEGE audiam.] Nouam autem legem dicit Pompeianam, vt arbitror, de qua est apud Asconium in commentariis in Milonianam: & de qua in Bruto mentionem Cicer. facit, loquẽs de se & Hortensio, Maximè verò per-

ſpecta eſt vtriuſque noſtrum exercitatio, paulo antè quàm perterritum armis hoc ſtudium, Brute, noſtrum conticuit & obmutuit: cùm lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel potius eaſdē noui veniebamus quotidie. quibus quidem cauſis, tu etiam Brute præſto fuiſti, &c. IN HAC mea cauſa tempus dilaturum putas] in vetuſto exemplari eſt, IN HAC me cauſa tempus dilaturum, &c.] TVM EGO, non me hercule ſoleo] addit vetus, NON ME hercule, inquam, ſoleo.

Qui cùm viderent nos ita eſſe natos, vt & communiter ad eas virtutes.

Explicationem aggreditur diſciplinæ Peripateticorum, ſumpto à diuiſione philoſophiæ initio, & cur ita diuiſio facta ſit, ab initiis repetit, fontes partium in animis noſtris oſtendens. Partes ſunt, ἠθικὸν, λογικὸν, φυσικόν. Sic enim eas repetit Chryſippus, πρῶτον μὲν οὖν δοκεῖ μοι κατὰ τὰ ὀρθῶς ὑπὸ τῶν ἀρχαίων εἰρημένα τρία γένη τῶν τοῦ φιλοσόφου θεωρημάτων εἶναι, τὰ μὲν λογικὰ, τὰ δὲ ἠθικὰ, τὰ δὲ φυσικά. Quanquam Laërtius primum authorem huius diuiſionis Zenonem Citticum faciat. Sic enim ait, τριμερῆ φασὶν εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον. εἶναι γὰρ αὐτοῦ τὸ μέν τι φυσικὸν, τὸ δὲ ἠθικὸν, τὸ δὲ λογικόν. οὕτω δὲ πρῶτος διεῖλε Ζήνων ὁ Κιτιεὺς ἐν τῷ περὶ λόγου.

Materia tantum ad meliorem partem & tractatione differunt.

Materiam virtutum fecerunt Peripatetici τὰ πάθη, animi commotiones: quę quia variæ ſunt, varias genuerunt virtutum ſpecies. Nā virtus omnis ratio eſt, quæ actionibus & illis animi vehementibus motionibus modum adhibet: quam multi vnam tantum fecerunt virtutem, quam prudentiam nominarunt, & pro varietate rerum in qua verſaretur, aliis atque aliis nominibus appellarunt. ſi enim in eo occupetur, vt ſuum cuique diſtribuat, appellari iuſtitiam: ſi in moderandis animi appetitionib⁹ & cupiditatibus, temperantiam: ſi in perferendis doloribus & periculis honeſtatis cauſa, fortitudinem. Itaque qui vnam earum habeat, reliquas itē habere: & qui vnā amiſerit, nullam eum habere cenſuerunt. Idem docuiſſe Zenonē Plutarchus ſcribit, Ἀρετὰς, inquit, ὁ Ζήνων ἀπολείπει πλείονας κατὰ διαφορὰς, ὥσπερ ὁ Πλάτων, οἷον φρόνησιν, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην ὡς ἀχωρίστους μὲν οὔσας, ἑτέρας δὲ καὶ διαφερούσας ἀλλήλων. πάλιν δὲ ὁριζόμενος αὐτῶν ἑκάστην, τὴν μὲν ἀνδρείαν φησὶ φρόνησιν εἶναι ἐν ἐνεργητέοις. τὴν δὲ δικαιοσύνην φρόνησιν ἐν ἀπονεμητέοις, ὡς μίαν οὖσαν ἀρετὴν, ταῖς δὲ πρὸς τὰ πράγματα σχέσεσι κατὰ τὰς ἐνεργείας διαφέρειν δοκοῦσαν.

Quàm multa non ſolùm præcepta in artibus, ſed etiam exempla.

Non ieiunè, & ſine vllo ornamento dicendi exercitationem ſecuti ſunt Peripatetici, ſed elegantem in primis, & copioſam. Vnde iactant magnam ſibi cognationem eſſe cum Oratoribus. Fuerunt enim in dicendo cùm vberrimi, tum eruditiſſimi & grauiſſimi: multaque dicendi præcepta reliquerunt: quorū nonnulla, pręſertim Ariſtotelis, extant. Stoici verò dicēdi artē neglexerunt, diſputandi aculeos perſecuti ſunt. Quod ſequitur, DE FORTITVDINE hominum, de ſpinis vellentiū, vt Stoici, nec oſſa nudantium] ita Marſus legit, DE FORTITVDINE: nec more hominum vellentium ſpinas vt Stoici, nec oſſa nudantium.] Quæ lectio vera nécne ſit, nihil dico. In eo enim veteri quo vſus ſum codice, ſcriptum non eſt aliter, quàm in vulgatis. Germani ad marginem ſcripſerunt, SPINAS. Tuſcul. 4. Cicer. ait Peripateticos prætermiſiſſe ſpinas partiēdi & definiendi perturbationes, in quibus Stoici magnam partem occupati ſunt. Et alibi ait, ſubtile eſſe, vel ſpinoſum potius Stoicorum diſputandi genus.

Sic dicendi exercitatio duplex. Nam quicquid quæritur, id habet.

In Oratore, Hæc igitur quæſtio, inquit, à propriis perſonis & temporibus ad vniuerſi generis orationem traducta, appellatur Theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcētes,

non ad Philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum in vtramque partem, vt ornatius & vberius dici possit, exercuit. De hac autem duplici quæstione, ita inquit in Topicis, Quæstionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam: Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negociis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum. Propositum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis.

At quanta conantur: mundum hunc omnem, oppidũ esse nostrum.

Paradoxa obiicit, τὸν κόσμον μίαν ἡμῶν πόλιν εἶναι. Quod à Catone extremo libro tertio dictum est & explicatum. Enumerat & alia paradoxa, quæ his Plutarchi verbis comprehensa sunt, ἆρα ὅλα ἐστὶ τὰ κοινὰ πρῶτα καὶ τὸ βοντὰ βασιλεῖον, τοὺς μόνους σοφοὺς βασιλεῖς, καὶ μόνους πλουσίους, καὶ καλοὺς αὐτῶν, καὶ πολίτας καὶ δικαστὰς μόνους. Quæ certè Stoici paradoxa minutis interrogatiunculis & ieiuna oratione tractãt, à Catone tamen satis rotundè explicata sunt, id est, vt Nonius interpretatur, eleganter, concisè vel collectè. qui idem hunc locum citat, vbi legit, ROTVNDE quippe: habes enim à rethoribus] & ita codex vetustus quo vsus sum, scriptum retinet.

Quid enim ab antiquis ex eo genere quod ad differendum valet.

Veteribus cùm Academicis, tum Peripateticis, cognitam fuisse differendi rationem, nec hac in parte eos cedere Stoicis, docet. Ita vero rẽ distribuit, vt omnes dialecticæ partes perstringat. Diuidẽdi & definiendi rationem, concludendi subtilitatem, captiunculas sophistarum euitandi industriam. Definiendi artes reliquit Aristoteles, cùm in Topicis, tum in Analyticis posterioribus, vbi docet, cùm sumpseris ea quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, vsque eò persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. De diuidenda re in partes, certa non extant Aristotelis præcepta: de ea tamen scripsit. Nam inter eius libros refert Laërtius, διαιρέσεις ἰταλικὰ, & librum vnum, διαιρετικῶν. Hi libri cum plurimis aliis interciderunt. Citat & idem author libros eiusdem, vnum περὶ εἰδῶν, alterum περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν. Argumentum ratione conclusum appellat, quam in Academicis dicit argumenti conclusioné, quæ est Grecè ἀπόδειξις, cuius initia ait Aristotel. ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι & πρώτων & ἀμέσων ἢ, γνωριμωτέρων ἢ, προτέρων ἢ, αἰτίων τοῦ συμπεράσματος. Argumentorum ratione concludentium varietatem, & cum captiosis dissimilitudinem explicat προτέρων ἀναλυτικῶν α, vbi ἀναγκαίων συλλογισμῶν genera docet, & ἀσυλλογίστων. De sensib^9 agit in posterioribus Analyticis, vbi docet, Si sensus quispiam labefactetur, necesse esse & aliquam scientiam ac cognitionem labefactari. Fieri quidem certè scientiam per ἀπόδειξιν, quæ ex rebus vniuersis conficiatur: vniuersas tamen res, non nisi ex inductione, quæ è sensuum percepti efficiatur, cognosci. Et alio loco disputat, scientiã sensibus effici non posse, quòd tantum ij res singulas percipiant, quæ sub scientiam cadere non possunt. In vulgatis codicibus, deprauatè legebatur, VT TRES in partes diuidatur] & paulo pòst, CAPVT esse faciunt, eáque perspicua dicunt] pro eo quod in veteri est, VT RES in partes diuidatur]&, CAPVT esse faciunt ea, quæ perspicua dicunt.

Vna inueniendi, altera differendi, hanc posteriorem & Stoici.

Hoc dicit initio Topicorum M. Tullius: Cùm omnis ratio diligens differendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi: vtriusque princeps, vt mihi quidem videtur, Aristoteles fuit: Stoici autẽ in altera elaborauerunt. Iudicãdi enim vias diligenter persecuti sunt, ea scientia, quam διαλεκτικὴν appellant. Inueniendi vero artẽ, quæ τοπικὴ dicitur, quæ ad vsum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totã reliquerunt. Alteram partem hìc differendi, in Topicis iudicãdi appellat, & tamen ibidem ait διαλεκτικὴν Græcis appellari. Superiores artificio & via tradide-

funt: fic enim ait Ariſtoteles initiò Topicorum, ſibi propoſitum eſſe μέθοδον εὑρεῖν ἀφ' ἧς δυνησόμεθα περὶ παντὸς συλλογίζεσθαι τοῦ προτεθέντος προβλήματος.

Neque verò ob duas modò cauſas, quod Epicuro videtur.

In alia philoſophiæ parte, quæ in naturę obſcuritate inueſtigãda cernitur, etiã excelluerũt Stoicos Peripatetici. Ac naturæ quidẽ cognitio pręter duas illas cauſas, quę li. 1. ſunt à Torquato, expoſitę ꝑ Epicuro, etiã propter alias expetẽda eſt, tũ ad Dei, tũ ad animorũ, tũ ad morũ intelligẽdã rationẽ. Habet verò illa naturæ explicatio comitẽ quãdam voluptatem inſatiabilẽ: quod, vt eorum plurima, quę iam expoſita ſunt, libro primo περὶ ζώων μορίων enunciauit Ariſtoteles, καὶ γὰρ ἐν τοῖς μὴ κεχαρισμένοις αὐτῶν πρὸς τὴν αἴσθησιν κατὰ τὴν θεωρίαν, ὁμοίως ἡ δημιουργήσασα φύσις ἀμηχάνους ἡδονὰς παρέχει τοῖς δυναμένοις τὰς αἰτίας γνωρίζειν καὶ φύσει φιλοσόφοις.

Quum autem quæreretur res admodum difficilis.

Quid de hac quinta natura cenſuerit Ariſtoteles, lib. 1. Tuſcul. pluribus explicat Cicero. Ariſtoteles, inquit, longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio, & diligentia, quum quatuor nota illa genera principiorum eſſet cõplexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, è qua fit mẽs. Cogitare enim & prouidere, & diſcere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari, hæc & ſimilia eorum, in horum quatuor generum nullo ineſſe putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine, & ſic ipſum animum, ἐνδελέχειαν appellat nouo nomine, quaſi quandam continuatam motionem & perennem. Zenonis verò ſententiam in Academicis idem expoſuit. Sic enim de eo loquens, De naturis autem, inquit, ſic ſentiebat. Primùm, vt quatuor initiis rerum illis, quintam hanc naturam, ex qua ſuperiores ſenſus & mentem effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim ignem eſſe ipſam naturam, quæ quicque gigneret, & mentem atque ſenſus.

De maxima autem re eodem modo diuina mente atque natura mundũ.

Deorum prouidentia mundum adminiſtrari, commune decretum eſt Stoicis cũ Peripateticis ac veteribus Academicis. θεὸν προνοητικὸν εἶναι τοῦ κόσμου καὶ τῶν ἐν κόσμῳ. At dubitarunt, an res omnes Diis curæ eſſent. De magnis conſentiunt: ſed de paruis magna inter eos diſſenſio eſt. Ea de re apud Platonẽ in lib. de Legib. diſputatio eſt. Et notum eſt Euripidis dictum, τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται θεός, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ. Ex quo illud extremo ſecundo de Nat. Deorum, Magna Dij curant, parua negligunt. Quæ verba impietatis plena ſunt, & ingratitudinis. Præclarius multò & verius ait Arrianus, Ἀφ' ἑκάστου τῶν ἐν τῷ κόσμῳ γινομένων, ῥᾴδιόν ἐστιν ἐγκωμιάσαι τὴν πρόνοιαν, ἂν δύο τις ἔχῃ ταῦτα ἐν ἑαυτῷ, δύναμιν συνορατικὴν τῶν γεγονότων ἑκάστῳ, καὶ τὸ εὐχάριστον. Nulla, inquit, res in mundo fit, è qua non ſit facilè Dei prouidentiã celebrare, ſi modò quis hæc duo, vim qua cernere quæ ſingulis ſunt tributa poſsit, & animũ gratũ habeat. Et alio loco inquit, Nos gratias agere Diuinę prouidẽtię, pro rebus iis, quæ vtiliſsimæ nobis procreatę ſunt, debemus, ſed id negligimus, Deũ incuſantes. cùm tamen ne minima quidem res ſit, ex qua prouidentiam Dei intelligere ac percipere non poſſimus. καὶ μή μοι νῦν τὰ μεγάλα. αὐτὸ τοῦτο τὸ ἐκ πόας γάλα γεννᾶσθαι, καὶ ἐκ γάλακτος τυρὸν, καὶ ἐκ δέρματος ἔρια, τίς ἐστιν ὁ πεποιηκὼς ταῦτα ἢ ἐπινενοηκώς; οὐδ' εἷς, φησιν. ὢ μεγάλης ἀναισχυντίας καὶ ἀναισθησίας. ἄγε, ἀφῶμεν τὰ ἔργα τῆς φύσεως, τὰ πάρεργα αὐτῆς θεασώμεθα. μή τι ἀχρηστότερον τριχῶν τῶν ἐπὶ γενείου; τί οὖν, οὐ συνεχρήσατο καὶ ταύταις ὡς μάλιστα πρεπόντως ἐδύνατο; οὐ διέκρινε δι' αὐτῶν τὸ ἄρρεν, καὶ τὸ θῆλυ; οὐκ εὐθὺς μακρόθεν κέκραγεν ἡμῶν ἑκάστου ἡ φύσις; ἀνήρ εἰμι, οὕτω μοι προσέρχου, οὕτω μοι λάλει, ἄλλο μηδὲν ζήτει, ἰδοὺ τὰ σύμβολα. Ac nunc mihi, inquit, res magnas ne producas: hoc ipſum videamus, Quod ex herba lac generatur, quod ex lacte caſeus, & ex pelle lana: quis earum eſt rerum author, quis procurator & excogi-

tator? Nemo, ait quispiam. O magnam impudentiam & stupiditatem. Age, naturæ opera prætermittamus, & quę obiter facit & quasi aliud agens, consideremus. Quicquámne minus vtile videri posfit pilis iis, quæ genæ adnascuntur? Quid ergo? nónne iis natura quàm decentisfimè fieri potuit, vsa est? nónne iis marem à fœmina discreuit? nónne statim è longinquo, nostra cuiusque natura proclamat, Vir ego sum, mecum sic congredere, mecum sic loquere, aliud nihil require, quàm quod virum deceat, en vides notas.

Quàm multa ab his conquisita & collecta sunt de omniū animantiū ge.

Singulatim quædam enumerat, quæ in explicatione naturæ Peripatetici tractauerunt. Quæ omnia in nostram cognitionem, iniuria temporum non peruenerunt. De animalium genere, extat liber, περὶ ζώων ἱστορίας. de ortu, περὶ ζώων γενέσεως. de mēbris, περὶ ζώων μορίων. de ætatibus, περὶ μακροβιότητος καὶ μικροβιότητος, itē περὶ νεότητος, καὶ γήρως, καὶ ζωῆς, καὶ θανάτου. de rebus quæ gignuntur è terra, περὶ φυτῶν, & Theophrasti eiusdem argumenti liber. de causis cur quicque fiat, extant Aristotelis προβλήματα ἐγκύκλια, & Theophrasti περὶ φυτῶν αἰτιῶν. Fuit enim Aristoteles ἐν τοῖς φυσικοῖς αἰτιολογικώτατος πάντων, ὥστε καὶ περὶ τῶν ἐλαχίστων τὰς αἰτίας ἀποδιδόναι. Causa fuit, ὅτι τοῖς ὅλοις φιλοπονώτατος ἐγένετο καὶ εὑρετικώτατος, In physicis, reddendis singularum rerum rationibus & causis omnium ingeniosisfimus fuit: vsque adeò vt rerum vel minimarum causas explicauerit: idque ob id, quia in vniuersis inuestigandis plurimum laboris & temporis libenter insumpsit, & inueniēdi subtilitate plurimum valuit. Hæc Laërtius.

E quibus plenißimè Polemo, secundum naturam viuere, summū bo.

Vetus codex, PLANISSIME Polemon.] Plutarchus in eo libro in quo contra Stoicos disputat, verba cuiusdam Stoci refert, πόθεν οὖν, φησίν, ἄρξωμαι, καὶ τίνα λάβω τοῦ καθήκοντος ἀρχὴν, καὶ ὕλην τῆς ἀρετῆς, ἀφεὶς τὴν φύσιν καὶ τὸ παρὰ φύσιν; cui respondens, πόθεν δὲ, inquit, Ἀριστοτέλης, ὦ μακάριε, καὶ Θεόφραστος ἄρχονται; τίνας δ᾽ ὁ Ξενοκράτης, καὶ Πολέμων λαμβάνουσιν ἀρχάς; οὐχὶ καὶ Ζήνων τούτοις ἠκολούθησεν ὑποτιθεμένοις στοιχεῖα τῆς εὐδαιμονίας τὴν φύσιν, καὶ τὸ ζῆν κατὰ φύσιν; Ergo, inquit, vnde incipiam, quódque officij initium, & materiam quam tractet virtus, sumam, si naturam, & quod è natura ducitur, prætermittam? Respondet, Vnde verò, vir beate, tum Aristoteles, tum Theophrastus inchoarunt? Quæ initia Xenocrates, quæ Polemo sumpsit? Nónne & tuus Zeno eos secutus est, qui vitæ beatæ initia in natura posuerunt, vitaque naturæ congrua? Illud ergo τὸ κατὰ φύσιν ζῆν, siue alio verbo ὁμολογουμένως ἢ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν: illi variè, vt iam diximus, exposuerunt: Chrysippus, κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, Archedemus, πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν: alij, πᾶν τὸ ἐνδεχόμενον ποιεῖν, ἕνεκα τοῦ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν πρώτων. Quas omnes sententias hoc loco Cicero attingit.

Hoc non est positum in nostra actione.

Hoc docet Aristoteles in libris de Moribus ad Eudemum, εἰ μὲν γὰρ, inquit, ἐν τοῖς διὰ τύχην γινομένοις, ἢ τοῖς διὰ φύσιν, τὸ καλῶς ζῆν ἐστιν, ἀνέλπιστον ἂν εἴη πολλοῖς. οὐ γάρ ἐστι δι᾽ ἐπιμελείας ἡ κτῆσις, οὐδ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῖς, οὐδὲ τῆς αὐτῶν πραγματείας. εἰ δ᾽ ἐν τῷ αὐτὸν ποιόν τινα εἶναι, καὶ τὰς κατ᾽ αὐτὸν πράξεις, κοινότερον ἂν εἴη τὸ ἀγαθὸν καὶ θειότερον. κοινότερον μὲν, τῷ πλείοσιν ἐνδέχεσθαι μετασχεῖν. θειότερον δὲ, τῷ κεῖσθαι τὴν εὐδαιμονίαν τοῖς αὑτοὺς παρασκευάζουσι ποιούς τινας, καὶ τὰς πράξεις. Sensus est, Nam si iis in rebus quæ fortunæ temeritati subiectæ sunt, aut quæ naturâ eueniunt, honestè viuere ponatur, non est quòd multi sperēt id se consecuturos: quandoquidem neque cura & diligentia adhibita, ad eius adeptionem valet, neque in vo

lentium est potestate, & actione. At si in eo constituatur, vt cuiusdammodi simus, nostræque actiones certo genere fiant, latius summum bonum pateat, diuiniúsq; fit. Latius quidem, quia plures adipisci poterunt: Diuinius verò, quia beatitudo in eorũ erit potestate sita, qui operam in eo collocarint, vt cuiusdam modi sint, vitamque certo genere quodam agant.

Omnis natura vult esse conseruatrix sui, & vt salua sit, & in gene.

Initia & primam commendationem naturæ, vnde summi boni nata est explicatio Peripateticis, & veteribus Academicis, id est, iisdem philosophis: vt aliis in libris fecit, pro disciplinæ quam tractaret ratione & sententia, exponit. Quæ disputatio sparsa est per Platonis & Aristotelis libros, non vno loco explicata. Nam quod ait, de sui generis cõseruatione, id simile est Platonis verbis, ἡ θνητὴ φύσις ζητεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀεί τε εἶναι καὶ ἀθάνατος, δύναται δὲ ταύτῃ μόνον τῇ γενέσει. ὅτι ἀεὶ καταλείπει ἕτερον νέον ἀντὶ τοῦ παλαιοῦ. Et quod ait de diuisione naturę hominis, Aristoteles in Politicis dicit, τὸ δὲ ζῷον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δ' ἀρχόμενον. Et pòst, ἡ γὰρ ψυχὴ τοῦ σώματος δεσποτικὴν ἔχει. Plato quoque, μεμνήμεθά γε μὴν, ait, ὁμολογήσαντες ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, ὡς ἡ ψυχὴ φανεῖν πρεσβυτέρα σώματος οὖσα, καὶ τὰ ψυχῆς τῶν τοῦ σώματος ἔσοιτο πρεσβύτερα. Aliquanto pòst apud eundem sequitur, μὴ οὖν θαύμαζε, εἰ τὸ αὑτοῦ ἀποβλάστημα φύσει πᾶν τιμᾷ. ἀθανασίας γὰρ χάριν παντὶ αὕτη ἡ σπουδὴ καὶ ὁ ἔρως ἕπεται. Ait item de cõiugiis Aristoteles, οἰκονομικοῖς, Κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστά ἐστιν. Et idem πολιτικοῖς, Ἀνάγκη δὴ συνδυάζεσθαι τοὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι, οἷον θῆλυ μὲν καὶ ἄρρεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν, καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ προαιρέσεως, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι, οἷον αὐτὸ τοιοῦτον καταλιπεῖν ἕτερον. Eodem libro hominem dicit esse φύσει πολιτικὸν ζῷον. Sed à codicibus impressis noster manu scriptus aliquot in locis dissentit, AD HANC rem aiunt artes quoque exquisitas] vetus, REQVISITAS. Paulo pòst, QVVMQVE earum & vnumquodque per se] vetus, EORVM vtrunque] Alij, A CONTEMPLATIONE rerum occultiorum] vetus, OCCVLTARVM. Alij, RATIONIS explicandi] ille, EXPLICANDAE rationis.

Habes inquam, Cato, formam eorum, de quibus loquor, philosophorũ.

Confert quæ à Peripateticis explicata sunt naturæ hominis initia, cum iis quæ à Zenone de iisdem disputata sunt, & secundum eum à Catone huius operis libro tertio exposita. Quæ certè si diligenter comparentur, eadem aut non multum abhorrentia cernentur. FINIS is esset quid natura maximè quęreret.] Antiquus codex habet, QVEM NATVRA maximè quæreret] & mox, QVAE tributa est animi virtutis tanta præstantia] ille, VIRTVTIBVS. Paulo pòst, DE OMNI honestate dicuntur, fatebuntur Stoici hæc omnia dicta esse præclarè? Neque enim eam.] Antiquus, vt etiam quidam impressi, aliter distinguit, in hunc modum, DE OMNI honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici hæc omnia dicta esse pręclarè, neq; eam causam Zenoni, &c.

Quid enim peruersius, quid intolerabilius, quid stultius, quàm bonam.

Discrepantiam indicat, Stoici, quæ bona corporis alij dicebant & fortunæ, ea in bonis numeranda esse negant, sumenda tantum dicunt. Peripatetici verò & bona nuncupant, & in bonis ea collocant, sed minoris multo dignitatis ea esse, quàm quæ sunt animi, volunt: quæ verborum non etiam rerum, dissensio est. Plutarchus in hunc modum in Stoicos inuehit, ἐν τῷ περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν κατὰ Στωϊκούς. ἤδη τοίνυν, αὐτὸ τοῦτο σκόπει πρῶτον, εἰ κατὰ τὰς κοινάς ἐστιν ἐννοίας ὁμολογεῖν τῇ φύσει, τοὺς τὰ

κατὰ φύσιν ἀδιάφορα νομίζοντας, καὶ μήτε ὑγίειαν, μήτε εὐεξίαν, μήτε κάλλος, μήτε ἰσχὺν ἡγουμένους αἱρετὰ, μηδὲ ὠφέλιμα, μηδὲ λυσιτελῆ, μηδὲ συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος, μήτε τ' ἀναντία φευκτὰ, καὶ βλαβερὰ, πηρώσεις, ἀλγηδόνας, αἴσχη, νόσους, ὧν αὐτοὶ λέγουσι, πρὸς ἃ μὲν ἀλλοτριοῦν, πρὸς ἃ δὲ οἰκειοῦν ἡμᾶς τὴν φύσιν, ὃ μάλα ἐστὶ τοῦτο παρὰ τὴν ἔννοιαν ὄντος. Iam verò, inquit, hoc in primis perspice, num ij, omniũ sententia & ratione, naturæ conuenire ac congruere possint, qui quæ secundum naturá sunt, indifferentia existiment: nec valetudinem, nec firmam corporis constitutionẽ, nec pulchritudinem, nec denique vires numerandas in rebus putent expetẽdis, vtilibus, aut quæ prodesse, aut quæ naturæ perfectionem complere possint: quique res contrarias fugiendas negent & noxias, dolores, languores, deformitates & morbos: ad quorum nonnulla natura nos applicari, à nõnullis alienari volunt. Quę certè cõtra omnium notionem intelligentiamq́ue sententia est. Bonorum diuisio, fugiẽdorum & expetendorum ratio, quæque præposita, & reiecta dicantur, repetendum è libro tertio.

Omnem insipientiam & iniustitiam, alia vitia similia esse.

Laërtius de Stoicis loquens, ἀρέσκει δὲ, inquit, αὐτοῖς μηδὲν μέσον εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας, τῶν Περιπατητικῶν μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας εἶναι λεγόντων τὴν προκοπήν. ὡς γὰρ δεῖν φασὶν, ἢ ὀρθὸν εἶναι ξύλον, ἢ στρεβλὸν, οὕτως ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, οὔτε δὲ δικαιότερον, οὔτε ἀδικώτερον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως. Placet, inquit, Stoicis, inter virtutem & vitium medium nihil interiectum esse: cùm tamen Peripatetici mediam virtutis & vitij esse dicant progresionẽ. Esse enim necesse inquiunt, vt lignũ est aut rectum, aut inflexum & incuruatum, sic iustum, aut iniustum, non iustiorem, aut iniustiorem quenque esse, quæ ratio in cæteris eadem valet. Cuius quidem disputationis meminit Aphrodisiensis Alexander, ἀπορῶν καὶ λύσεων lib. 4. cap. 3. Ex eo Stoicorũ dogmate sequitur, qui vel plurimum processit ad virtutem: nondum tamen plenè assecutus est, eũ nihilominus esse in miseria, quàm qui nihil processit: quod consequens ipsi etiam Stoici tenent. Sic enim indicat Plutarchus, ἐν τοῖς φιλοσοφεῖν ἐπαγγελλομένοις, οὔτε τινὰ προκοπὴν, οὔτε προκοπῆς αἴσθησιν ἀπολειπτέον, εἰ μηδὲν ἡ ψυχὴ μεθίησι, μηδ' ἀποκαθαίρεται τῆς ἀβελτηρίας, ἀλλ' ἄχρι τοῦ λαβεῖν τὸ ἄκρον ἀγαθὸν καὶ τέλειον, ἀκεραίῳ τῷ κακῷ χρῆται. Et alio loco, τοῖς ἐπ' ἄκρον προκόπτουσιν, ὡς οὗτοι λέγουσι, οὔτε κουφισμὸς, οὔτε ἄνεσις ἐστὶν, οὔτε ἀναπνοὴ τῆς ἀβελτηρίας καὶ κακοδαιμονίας. Non est, inquit, vlla relinquẽda iis qui philosophari se profitentur, progressio, neq; progressiõis vllus sensus, si animus peruersitatis nihil prætergreditur, nulloq; malo purgatur: sed donec summum plenè cõsequatur bonum & perfectum, immẽso malo tenetur. Item, Iis qui ad summum processerũt, Stoicorum sententia, nulla fit leuatio vitiorum, & peruersitatis ac miseriæ nulla remissio, nulla respiratio. Hæc disputat Plutarchus eo libro, quo docet, quemadmodum quis an in virtute progressionem habeat, sentire possit.

Nec misericordem iudicem esse oportere.

Perturbationes omnes, quæ πάθη appellant, in sapientem cadere negant Stoici, quòd ea omnia iudicia sint leuitatis, quòd rationis expertes ac à natura alienæ motiones. Vnde suos sapiẽtes docent, μὴ εἶναι ἐλεήμονας, συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. μηδὲ οἴεσθαι σκληροτέρας αὐτὰς εἶναι. i, Misericordes non esse, neque quenquã cui veniã dent dignũ iudicare. Neq; enim pœnas lege cõstitutas eos prætermittere: neque item illas arbitrari duriores esse. Id verò sic etiam probatur Tusculan. 2. Quemadmodum enim, inquiunt, misericordia ægritudo est ex alterius rebus aduersis: sic inuidentia ægritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam inuidere. Non cadit autẽ

inuidere in ſapientem:ergo ne miſereri quidem. Hęc Stoici. Peripatetici verò à natura has permotiones vtiliter datas dicebant animis noſtris: metum,cauendi cauſa: miſericordiam ægritudinemq́ue,clementiæ,&c. Academię .2. QVAE EST igitur vera philoſophia,quæ communi more in foro loquitur , in libello ſuo ?] Vetus, QVAE EST igitur iſta philoſophia,quæ communi more,in foro loquitur: in libellis,ſuo?

Quid enim intereſt diuitias,opes,valetudinē, bona dicas,anne præpoſita.

Hūc locū repetit,ſed aliis verbis,Auguſt. de Ciuitate Dei,li. 9. Hos aūt, inquit,id eſt,Stoicos,Cicero in libris de Finib. bonorum & malorum,verbis magis quàm rebus aduerſus Platonicos ſeu Peripateticos certare conuincit:quandoquidem Stoici nolunt bona appellare,ſed commoda corporis & externa :eò quòd nullum bonum volunt eſſe hominis,præter virtutem,tanquam artem bene viuendi , quæ non niſi in animo eſt. Hæc autem iſti ſimpliciter,& ex communi conſuetudine loquendi appellant bona: ſed in cōparatione virtutis,qua rectè viuitur,parua & exigua. Ex quo fit,vt ab vtriſque quomodolibet vocentur,ſeu bona,ſeu commoda ,pari tamen æſtimatione penſentur:nec in hac quæſtione Stoici delectentur , niſi nouitate verborum.

Sed primum poſitum ſit,noſmetipſos commendatos eſſe nobis,primaq́;.

Id ipſum lib. 3. verbis expoſitum eſt fermè totidem, Placet,his, inquit,quorū ratio mihi probatur,ſimul atque natum ſit animal(hinc enim eſt exordiendum)ipſum ſibi conciliari,& commendari ad ſe conſeruandum ,& ad ſuum ſtatum,& ad ea quæ conſeruantia ſunt eius ſtatus diligenda. Id Chryſippus dicebat,τὴν πρώτην ὁρμὴν τὸ ζῷον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ,οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς. Retinuerunt itaque iſtam Stoici à veteribus explicatam primam naturæ commendationem:ſed conuenienter huic primæ commendationi,vt fecerunt veteres, nequaquam bonorū & malorum fines expoſuerunt. Quaſi enim corporis eſſemus expertes, animum ſolū ſunt complexi:vt contrà Ariſtippus,quaſi animum nullum haberemus , corpus ſolū tuetur. Nam Stoici dum honeſtè viuere ſummum bonum ſtatuerunt,nec quicquam eorum quæ ad corpus pertineant,in bonis poſuerunt,quæ tamen ſecundum naturā eſſe dicerent: nihil ad corpus,id eſt,ad alteram noſtri partem,retulerunt . Sic enim verba Chryſippi eos ſenſiſſe indicant,quæ ſunt apud Plutarchum: ἐν τῷ κατ' ἀρετὴν βιοῦν,inquit,μόνον ἐστὶ τὸ εὐδαιμόνως,τῶν ἄλλων οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς,οὐδ' εἰς τοῦτο συνεργούντων. Vita ,inquit,beata,in eo tantū poſita eſt,vt quis ex virtute viuat:nec cætera quicquam ipſa ad nos pertinēt,nec ad id conſequendum nos adiuuant. QVAE ſunt eiuſdem modi.] Vetus habet, QVAE SVNT cuiuſdam modi] quod probat Camerarius. HOC IVS bonorum videatur extremum]alij, HIS BONORVM videtur extremum.]vetus, HOC HIS bonum videatur extremum]ſequitur, AGE nunc iſti doceant]cū in aliis ſit, ISTA doceāt. paulo pòſt, ET QVONAM modo] vetus, ECQVONAM modo.

Quòd ſi non hominis ſummum bonum quæreremus,ſed cuiuſdā animā.

Similia Plutarchus contra Epicurum dicit ,quòd alteram hominis partem reliquerit. Eius itaque verba,in pari cauſa,proferamus, Καίτοι,inquit,τί γένοιτ' ἂν ἀλογώτερον,ἢ ἐν δυοῖν ὄντοιν ἐξ ὧν ὁ ἄνθρωπος πέφυκε, σώματος καὶ ψυχῆς,ψυχῆς δὲ τάξιν ἡγεμονικωτέραν ἐχούσης,σώματος μὲν ἴδιόν τι καὶ κατὰ φύσιν,καὶ οἰκεῖον ἀγαθὸν εἶναι, ψυχῆς δὲ μηδέν· ἀλλὰ τῷ σώματι καθῆσθαι προσβλέπουσαν αὐτὴν, καὶ τοῖς τοῦ σώματος πάθεσιν ἐπιμειδιῶσαν,καὶ συνηδομένην καὶ συγχαίρουσαν· αὐτὴν δὲ ἀκίνητον ἐξ ἀρχῆς. καὶ ἀπαθῆ,καὶ μηδὲν αἱρετὸν ἔχουσαν,μηδὲ ὀρεκτὸν ὅλως,μηδὲ χαρτόν. ἢ γὰρ ἁπλῶς ἀποκαλυψαμένους ἔδει σαρκοποιεῖν τὸν ἄνθρωπον ὅλον,ὥσπερ ἔνιοι ποιοῦσι τὴν ψυχικὴν

οὐσίαν ἀναιροῦντος, ἢ δύο φύσεις ἐν ἡμῖν διαφόρους ἀπολιπόντας, ἴδιον ἀπολιπεῖν ἑκατέρας καὶ ἀγαθὸν, καὶ κακὸν, καὶ οἰκεῖον, καὶ ἀλλότριον· ὥσπερ ἀμέλει καὶ τῶν αἰσθήσεων ἑκάστη πρὸς ἴδιόν τι πέφυκεν αἰσθητὸν, καὶ ταύτην συμπαθεῖν ἀλλήλαις. id est, Quãquam quid absurdius dici posſit, quá ſi duæ res ſint, ex quibus homo conſtet, corpus & animus: ſique excellentia, principatus ac dignitas animo tribuatur, corporis quidẽ proprium & naturæ conſentaneum aliquod bonum conſtitui, animi verò nullum cõſtitui: ſed eum corpori aſsidentem præſto eſſe, illius permotionibus veluti atridere, congratulari, collętari: eum denique ita relinquere, quaſi ab initio motionis omnis ſit expers & impatibilis, & talis, vt in eo nihil expetendum, nihil appetitione dignum, nihil, vt vno verbo dicam, placens reperiatur. Aut enim, veluti repente diuinitus admoniti, nihil eſſe præter corpus hominem totum pronunciare debebant, vt quidam faciunt, qui vllum omnino eſſe animum negant: aut relictis in nobis duabus naturis inter ſe diuerſis, ſuum vtriuſque bonum, ſuum malum, item naturæ accommodatum, & alienum quicquam ſtatuere: vt etiam ſinguli noſtri ſenſus, ſuas res habent & peculiares, quas ſentiant, mirabilique naturæ conſenſu & conuenientia ſeſe complectuntur.

(*Liceat enim fingere aliquid eiuſmodi, quo verũ facilius reperiamus.*)

Fingere hac in re ait Quintilian. eſſe proponere aliquid, quod ſi verum ſit, aut ſoluat quæſtionem, aut adiuuet: deinde id quod quæritur, id facere ſimile. Vocat autẽ tale argumentum, Argumentum à fictione: Græci appellant, καθ' ὑπόθεσιν, ſiue ἐξ ὑποθέσεως. Sic enim Ariſtoteles docet, Omnem rationem euidentem omnemque ratiocinationẽ ad probandum aut δεικτικῶς, aut ἐξ ὑποθέσεως, aſſumi. Illud verò, ἐξ ὑποθέσεως argumẽtum, μέρος ἐστὶ, inquit, διὰ τοῦ ἀδυνάτου. Proponit ergo Cicero animãtem, qui niſi animus nihil ſit: & docet, nondum aptè huic quadraturum Zenonis finem. Non enim ſola virtute contentus erit ad viuendum, ſed aliud requiret, ſui conſeruationem, &c. Porrò eandem iſtam reprehenſionem Græcis verbis expoſitã inuenimus in quodam Alexandri Aphrodiſienſis libello: quam, quia non parum lucis huic quæſtioni allatura videbatur, adſcribere voluimus. Sic autem contra Stoicos ille diſputans, quòd in virtute ſatis non ſit præſidij ad vitam beatam, Ἔτι, inquit, εἰ μὴ ψυχῆς εὐδαιμονία ζητεῖται, ἀλλὰ ἀνθρώπου, ὁμολογεῖται δὲ τὸν ἄνθρωπον ἐκ ψυχῆς εἶναι καὶ σώματος, ὧν ἑκατέρου ἐστὶ καὶ ἀγαθὰ οἰκεῖα, καὶ κακὰ διαφέροντα ἀλλήλων, ὥσπερ εἶναι καὶ αὐτὰ ἀλλήλων ἕτερα· πῶς οὐκ ἀκόλουθον, τὸ τέλος τοῦ ἐξ ἀμφοῖν ὄντος, καὶ τὸ ἀγαθὸν προσδεῖσθαι τῶν ἑκατέρου τούτων, ἐξ ὧν ἐστὶν ἀγαθῶν; εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ αὐτάρκες τὸ τῆς ψυχῆς ἀγαθὸν πρὸς τὸ τοῦ ἀνθρώπου τέλος, ἀλλὰ δεῖ αὐτῷ καὶ τῶν τοῦ σώματος. σώματος δὲ ἀγαθὰ, ὑγίεια, ἣ γίνεται περὶ τὴν τῶν πρώτων σωμάτων, ἐν οἷς τὸ εἶναι, εὐκρασίαν. ἰσχὺς, ἥ ἐστιν ἐν τῇ εὐτονίᾳ τῶν δευτέρων, καὶ ἐξ ἐκείνων συγκειμένων σωμάτων. κάλλος, ὅ ἐστιν ἐν τῇ ἁρμοσύνῃ καὶ συμμετρίᾳ τῶν τρίτων ἤδη καὶ ἀνομοιομερῶν σωμάτων, ἃ καὶ μέρη τοῦ σώματος λέγομεν προσεχῆ. ὡς γὰρ αἱ τῆς ψυχῆς πασῶν τῶν ἀρετῶν καθ' ἑκάστην δύναμιν χρεία πρὸς τὸ τοῦ ἀνθρώπου τέλος, οὕτω δὲ καὶ αἱ τοῦ σώματος. Præterea, inquit, ſi animantis qui eſſet nihil niſi animus, beatitudo nõ quæritur, ſed hominis: homo autem omnium ſententia ex animo cõſtat & corpore: quorum vtriuſque propria ſunt & accommodata tum bona, tum mala, eáque plurimum inter ſe diſtantia, vt certè illa inter ſe diſsident, qui fieri poteſt, vt non neceſſe ſit finem & extremum ex quodam vtrique communi iunctum eſſe debere, ſummumq; bonum acceſsionem boni vtriuſque partis requirere? Quod ſi eſt ita, non ſatis erit ad ſummũ & extremum hominis bonum, animi quod bonum ſit: ſed adſint quoque oportebit corporis bona. Sunt verò corporis bona, integra valetudo, quę in primorum conſiſtit corporum, quibus quicque conſtat, apta & cõuenienti temperatione:

Vires, quæ in eo positæ sunt, si secundi ordinis corpora, quæque ex iis constát mēbra, secum concordent ac conueniant. Pulchritudo, quæ in moderato, æquabilique habitu, ac apta tertiorum dissimilis naturæ corporum constitutione versatur: quæ corporis membra continuata appellantur. Quemadmodum enim animi, ita etiam corporis virtutes, pro sua quæque dignitate ad vitam beatam constituendam omnes valent.

Summum bonum id constituit, non excellere animo, sed vti nihil.

In veteri scriptum est, NON VT excelleret animus, sed, &c.] In quęrendo summo bono, Peripatetici, tametsi in animi pręstātia, in quo est vt vita, ita & vita beata, ipsum potissimum statuerunt: tamen requiri & corporis, & fortunæ bona dixerunt, sine quibus res gerere præclaras nemo possit. Stoici verò solùm animum spectauerunt: nec in eius excellentia, qua corpori præstat, summum bonum constituerunt: sed in eius bono duntaxat, quod ad corpus non pertinet. Nam qui præstātissima dicit animi bona ad vitam tuendam beatam, alia admittit præstantia esse, quāquam illis inferiora: At qui sola ea quæ sunt animi valere dicit ad summum constituendum bonum, is nullum aliis locum relinquit. Cùm ergo totius hominis summū bonum quæritur, & non alicuius eius partis, totius naturæ humanæ sunt virtutes spectandæ: & ad vnum communem finem fabricandum, pro sua quæque dignitate adaptandæ: quod non faciunt Stoici, qui solis iis quæ προαιρετικὰ appellant, vitam beatam compleri putant. Sic enim inquiunt, τὸ ἀγαθὸν τῷ ἀνθρώπῳ ἐν προαιρέσει, καὶ τὸ κακόν. τὰ δ' ἄλλα πάντα οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. itaque præcipiunt, τὰ ἐκ τῆς ἕξεως πάντως πρόττειν, τὴν ἀλλοτρίαν μὴ ἰζητεῖν.

Sin dicit obscurari quædam, nec apparere, quia valde parua sint.

Zeno probat ideo commoda corporis ad beatam vitam degendam non pertinere, quia vt interit magnitudine maris Aegæi stilla muriæ, & vt in diuitiis Crœsi teruncij accessio: sic quum sit in honesto bonorum finis, omnis ista rerum quæ sunt in corpore æstimatio splendore virtutis & magnitudine obscuretur & obruatur, atque intereat necesse est. Sic enim secundum Zenonem Cato lib. 3. disputauit. sed infirma est ea probatio. Nam cùm duo genera rerum sint, quæ splendore aliarum obscurentur: partim, quæ momentum ita paruum retineant, vt nihil intersit sint illæ, néne sint: partim satis momentum habeant, nec tam obscurentur, vt non aliquantū eluceant: neutrum sequitur vt intereat. Vt enim non propterea quia lucerna in sole adhibetur, ipsa interit, quāquam obscuratur: nec quia teruncium pecuniæ hominis ditissimi addere nihil interest, ideo nihil esse terūcium sequitur: sic corporis cōmoda, tametsi virtutis splendore obruantur, nihilo tamen minus non intereunt, sed totius beatitudinis pars quædam sunt, vt terūcius diuitiarum Crœsi, & lucerna totius luminis particula, licet exigua. Quòd si ea quæ exigui sunt momenti, ad vitam beatam ita pertinere intelligantur: non dubium erit, quin reliqua, in quibus quod interest, est maiusculū, eò pertineant: qualis est valetudo, & indolentia. Volumus etiam hoc loco quid ab impressis codex noster differat, exponere. OBSCVRATIO sequitur] ille habet, CONSEQVITVR. Alij VT IN SOLE quod à te dicebatur, lucernam adhibere, aut teruncium addere] ille scriptum habet, VT IN solem, quod à te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium adiicere.] Locus qui paulo pòst sequitur, & de cuius lectione controuersia est, in eo sic legitur, SI AB QVE vita iocunda menstrua addatur, quia momentum aliquod habeat ad iocundam accessionem, bonum autem si. Si autem id, &c. Quod minus liquidum est, quàm quod in aliis scribitur. sed fortasse alicui ad coniecturam proderit.

Nec beatiorem tamen ob eam causam fore.

Vitam beatam augeri, aut amplificari frequentia commodorum aut incommo-

dorum negarunt Stoici:tantum magis sumendam fieri:idque etiam,si vel minimum ad beatam vitam commodum adiiciatur: non enim commoda corporis audent bona nominare. At ea sumptio plus momenti apud ipsos habet, quàm quæ bona corporis Peripatetici appellant,apud Peripateticos. Omnia enim sapientem facturum esse dicunt,vt commoda quædam vel fortunæ,vel corporis assequatur:vt ne nauigare quidẽ recuset vsque Bosphorum, & Scythas adire,si se aliquid lucri facturum speret. Sic enim ait Chrysippus ,χρημάτων δὲ ἕνεκα πρὸς Λεύκωνα πλεῖ τὸν ἐν τῷ Βοσπόρῳ δυνάστην, καὶ πρὸς Ἰδάνθυρσον ἀποδημεῖ τὸν σκύθην. Ergo cùm in sumẽda vita beata & reiicienda,Stoici accessiones commodorum respiciant,& decessiones,ea momentũ aliquod habeant necesse est ad vitam beatam:ex quo efficitur,vt ad eam pertineant.

Quum sibi cum capitali aduersario dolore depugnandum videret.

Rectè capitalem aduersarium dolorem dicit. Nam vt ait Plutarchus, πολλῶν ὄντων ψυχικῶν παθῶν ἡ λύπη χαλεπώτατον πέφυκεν ἁπάντων. διὰ λύπην γάρ φασι, καὶ μανίαν γίνεσθαι πολλοῖς, καὶ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα. αὐτούς τ' ἀνῃρήκασιν διὰ λύπην τινές. id est, Perturbationũ animi nulla dolore est difficilior. Multos enim memoriæ proditũ est,doloris facibus incitatos ad insaniam,& morbos incurabiles redactos fuisse:fuerunt quoque nonnulli,qui propter dolorem quem patiebantur,sibi mortem consciuerunt. Igitur rectè Aristoteles,χαλεπώτερον,inquit,τὰ λυπηρὰ ὑπομένειν, ἢ τῶν ἡδέων ἀπέχεσθαι:quo significabat difficilius certamen cum rebus dolorem adferentibus iniri,quàm cum iis quæ voluptatem efficiant. Tusculan.2. Longa est disputatio de dolore,an sit malorum omnium maximum:& illic dolor dicitur, Tristis res,aspera,amara,inimica naturæ,ad patiendum tolerandumque difficilis.

Deinde non quærimus quid obscuretur,aut intereat, quia sit admodũ.

Reiicit in Stoicos rationem de non numerandis naturæ bonis,inter beatæ vitæ partes,sumptam ab eorum similitudine,quæ cùm parua sint, maiorum multo splendorẽ obscurentur. Quanquam enim quæ sunt secundum naturam,si cum virtute & honesto comparentur, parum momenti habere videntur: sunt tamen vitæ beatæ partes non minus ducendę,quàm teruncius Crœsi diuitiarum particula est:& minima voluptas,vitæ Epicureæ, Itaque rectè Plato, & post eum tota Peripateticorũ familia,vitæ beatæ partes fecit,εὐβουλίαν, εὐαισθησίαν καὶ ὑγίειαν τοῦ σώματος, εὐτυχίαν ἐν ταῖς πράξεσιν, εὐδοξίαν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, εὐπορίαν χρημάτων καὶ τῶν εἰς τὸν βίον χρησίμων:præter ea quæ ad animum pertinent. Sic enim de eo scribit Laertius.

Atque si, vt conuenire debet inter nos, est quædam appetitio natural.

Si appetitio qua res quæ sint secundum naturam,appetimus,non est frustra nobis data,sed eò refertur, vt quàm optimè fieri potest habeamus,id est,vt beatè viuamus:certè eorum,quæ appetet,erit summa & cumulus faciendus, qui vitam constituet beatam. Nam finis & extremum rerum expetendarum est,quò omnia referuntur, ἐφ' ὃ πάντα ἀναφέρεται , vt definit Potamo Alexandreus: qui id censuit esse, ζωὴν κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν τελείαν, οὐκ ἄνευ τῶν τοῦ σώματος κατὰ φύσιν καὶ τῶν ἐκτός. & Aristoteles, οὗ ἕνεκα τὰ ἄλλα, ἢ ταύτῃ ἰσχύεται,& alias, οὗ ἕνεκα πάντα πράττομεν. Quòd si ea quæ aliquò referuntur ad id pertineant ipsum,non erit dubium, quin bona corporis , bonaque externa ad vitam pertineant beatam.

Quæ est enim quæ se vnquam deserat, aut partem aliquam sui.

Si homo sui diligendi rationem à natura habet, tum suas partes omnes, tum earum affectiones diliget. Fieri enim non potest, vt ad quæ natura nos applicauit, ea non desideremus. Itaq; Peripateticus ille nobilis Alexander Aphrodisieus disputabat contra Stoicorũ rationes,εἰ πρὸς ἃ ἐκ φύσεως ὁ ἄνθρωπος οἰκείωται, ταῦτα ἡ ἔχειν βούλεται ἡ ἀρετή. ἀβούλητον δὲ ὄντι αὐτῇ τὸ μὴ ἔχειν ταῦτα. οἰκείωται δ' ἐκ φύσεως,

ὥστε δὴ πρὸς αὐτὸν αὐτὸς, καὶ τὰ μόρια αὐτοῦ, καὶ τὰς δυνάμεις, καὶ τὰς ἰδιότητας. ὄντως δὲ καὶ πρὸς τὸν πλησίον χρεώς τι καὶ φίλους, οἰκείους πολίτας. κοινωνικὸν γὰρ καὶ πολιτικὸν ζῶον. δῆλον ὡς καὶ ταῦτα εὖ ἔχοντα καὶ σωζόμενα συντελεῖ τι αὖ αὐτῷ πρὸς τὸ δικαῖον ἀγαθὸν, καὶ τέλος, καὶ ὅσων αὐτῷ χρεία πρὸς τὸ σώζειν δυνάμεως αὐτὸν τι ἕκαστον τῶν πρὸς ἃ οἰκείωται ἐκ φύσεως. ὥστε καὶ τῶν ὠφελίμων ἀγαθῶν αὐτῷ δεῖ. Quòd si, inquit, ad quæ homo naturâ est applicatus & accommodatus, ea vt integra sint & bene cõstituta, virtus requirat, velitque: secus autem si se habeant, ægrè molesteque ferat: sit verò homo prima sua institutione, vt ad se conseruãdum, sui partes, & partiũ vires, ac optimam constitutionem tuendam proclinis: ita quoque ad cognatos, parentes, amicos, suósque ciues tuendos, propter innatam societatis & communionis appetitionẽ, propensus: profectò non est dubium, quin ea optimè affecta, in suoque statu cõseruata, ad finem & extremum bonorum naturæ accommodatum valeant: nec solù ea, verum etiam omnia, quorum indigeat ipse, vt conseruare ea possit quæ naturæ apta sint & accommodata. Ex quo fit, vt bonis homo vtilibus egeat.

Quæ autem natura suæ primæ institutionis oblita est?

Quæ semel à natura suscepta sunt & indita, ea nequaquam non retinentur. Verè enim Aristoteles dicit, οὐδὲν γὰρ τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται. & post eum Arrianus, ὡς ὁ λίθος κἂν ἀναβάλῃς, ἐνεχθήσεται κάτω ἐπὶ τὴν ἄνωθεν καταφορὰν, οὕτω καὶ ὁ εὐφυὴς, ὅσῳ μᾶλλον ἀποκρούεταί τις αὐτὸν, τοσούτῳ μᾶλλον νεύει ἐφ' ὃ πέφυκεν. Vt enim lapis si sursum vel sexcenties emittatur, nunquam aliter assuescet, quin deorsum feratur, quæ est eius prima institutio naturæ, ita & qui ad rem quanpiam natura proclinis est & propensus, quanto magis eũ ab ea expuleris, tanto celerius ad eam feretur:

Naturam expellas furca tamen vsque recurret, ait Poeta. Cùm ergo illa prima se conseruandi, suásque partes, commendatio à natura tributa sit, non est quòd à naturæ perfectione, quæ in conuenienter naturæ viuendo posita est, id alienum videri debeat.

Tum enim esset simile, si in cæteris quoque naturis, id cuique esset vlt.

In exquirendo vltimo bonorum omnes philosophi conuenerunt, vt illud statuĩ debere dixerint, quod in re quaque præstantissimum esset & optimum: vnde etiam illud extremum naturale in omnibus naturis ita simile erat, vt cuiusque quod esset perfectissimum & naturæ accommodatissimum, id constituendum esset summũ bonum. At Stoici hominis vltimum bonorum ita explicarunt, vt ei omnia quorum cõparatione optimum dicebatur, detraxerint. Ea enim est rerum natura, vt quod alterum vincit, & quod vincitur, illius rei in qua est excellentia, partẽ habere debeat, tametsi non parem. Honestum igitur cùm sit optimum rerum humanarum, cõtinuo sequitur, vt res etiam humanæ, quæ honesto cedunt, in bonis quoque esse debeant. quod minimè voluerunt isti philosophi, qui nisi quod honestum sit, nihil in bonis posuerunt. EX VIRTVTE vitam fingere] vetus codex, A VIRTVTE agere.

Rationis enim perfectio, est virtus.

Animis nostris tanquam igniculi, & virtutum quasi scintillulæ à natura datæ sunt: è quibus accenditur ratio, quam quasi ducem sequentes, ad naturę peruenimus extremum. Est enim virtus, vt lib. 1. de Legibus scriptum est, nihil aliud, quàm in se perfecta, & ad summum perducta natura. Et alio loco, Rationem ait, quum adoleuerit atque perfecta fuerit, nominari ritè sapientiam. Est ergo quàm natura ipsa, posterior sapientia. quæ tametsi hominem perficit, non tamen inchoat. Debet itaque id quod à natura inchoatum accepit, retinere, nec perficiendo illud abiicere, sed tantũ absolutius fingere. Accepit verò hominem, qui applicatus sit à natura ad se diligendum, ad eaque inquirenda, quæ ad statum conseruandum valeant. Nõ ergo debent à sapiẽtia, id est, à summo bono, repelli, quasi nihil ad vitam beatam pertineant, quæ

secundum naturam sunt.

Quum præsertim ipse quoque animus nominare nescio quid sit.

Magna quæstio fuit apud veteres, quid animus esset, corpúsne, an verò quid corporis expers. Quorum quidem nonnullorum sententias Cicero Tuscul. 1. recēsuit, vbi & ista de obscura animi notione sunt exposita. Mihi quidem, inquit, naturā animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multóque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam alienæ domi, quàm qualis cum exierit, & in liberum cœlum quasi in domum suam venerit. Si enim quod nunquam vidimus, id quale sit intelligere non possumus: certè & Deum ipsum & diuinū animum corpore liberatū cogitatione cōplecti non possumus. Dicæarchus quidem & Aristoxenus, quia difficilis erat animi quid, aut qualis esset intelligentia, nullū omnino animum esse dixerunt.

Idem faciunt, vt si læuam partem negligerent.

Similem loquendi formam reperias lib. de Senectute, Similésque sunt, vt si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, &c. quod dictum est, pro, Perinde faciunt atque si læuam partem negligerent. Herillus Carthaginensis, Zenonis discipulus fuit: sed ab eius desciuit disciplina. Finem enim bonorum posuit τὴν ἐπιστήμην: & quæ inter bonum & malum interiecta essent, eorum nullum delectum reliquit, sed omnino exæquauit. Eius & Pyrrhonis explosas esse sententias, sępe Cicero dicit. Qua quidem finis constitutione non modò corpus, id est, alteram nostri partem deseruit, sed etiam partē eam animi, quæ in agendo versatur. Est ergo eius imminuta & quasi curta sententia. Totius enim hominis, in summo exquirendo bono, ratio habenda fuit.

In omni enim animante est summum aliquid atque optimum.

In naturæ perfectione summum bonum collocari debet: quod Aristoteles τὸ ἄριστον ἐν ἑκάστῳ τῶν ὄντων vocauit, & interpretatur, τὸ διὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν αἱρετόν. Si ergo naturæ perfectio finis est bonorū, profectò quæ sunt à natura inchoata, quęq; prima hominis institutio assumpsit, à summo bono ea remouenda nō sunt. Nō enim ista in progressione naturę deseruntur, sed sic fit accessio, vt quod primū dederit, nō adimat natura. Quod à prima ipsius naturæ constitutione intelligi potest. Primū enim infans augendi & crescendi & viuendi initia sumit: deinde sensus ad ea adiūguntur: postremò ratio assumitur, quę exculta superioribus illis seruatis, in summam peruenit sapiētiā, in qua naturę hominis elucet perfectio. Sic Cicero, sic philosophi disputāt: sed causam ignorāt, cur quę tam pręclarè disputāt, efficiat nemo, ne ipsi quidē, qui tam bellè loquuntur. QVID intersit naturę] Vetus, QVOD iter sit naturæ.

Potius quàm vno fine omnia concludant. At enim iā natura dicitis.

In veteri codice aliter legitur, POTIVS QVAM vno fine vtrunque concluderent. At enim iam dicetis virtutem non posse constitui. Dicebat Cato lib. 3. Tenere virtutes neminem posse, nisi statuerit nihil esse quod intersit, aut differat aliud ab alio, præter honesta & turpia. Id nunc reprehendit M. Tullius, docens ob id ea retinenda esse, quòd ipsa sint in quibus virtutes versentur, ideo interesse & differre aliud ab alio. Si enim εὐλόγιστος ἐκλογὴ, id est, conueniens & consentanea selectio, sapientiæ opus est, vt volunt Stoici, certè quæ seligi, quæque reiici possint habeantur, necesse est. Alioqui in idem incommodum, in quod Aristo, qui media virtutis & vitij exæquauit, incurremus. Sublato enim rerum mediarum delectu, officia omnia simul tolluntur. Huc accedit quòd quia quemadmodum officia à principiis naturæ omnia proficisci: ita ab iisdem necesse esse ipsam deriuari sapientiam volunt, ideo destructis principiis necesse erit, & quæ extructa sunt collabi. Non ergo prima naturę initia à fine sunt remouenda, vt inutilia: quod tamen Stoici volunt.

Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia quæ leget.

Idem disputat Peripateticus Alexander, cuius verba adscribemus, quæ studiosi cũ Ciceronianis conferãt: & intelligant in Cicerone non tantum verborum elegantiam, verum etiam disputandi subtilitatem, & rerum scientiam magnam fuisse. Quas enim contra Stoicos hic Peripateticus magna cum laude scripsit rationes, eas à Cicerone antè excogitatas, & fusè tractatas reperies. Ait itaque ille, εἰ τὸ τὴν τῶν κατὰ φύσιν καὶ οἰκείων ἐκλογὴν ἡ ἐνέργεια τῆς ἀρετῆς, καὶ τὴν ἀποιηγρομίαν, καὶ ἔκκλισιν τῶν τούτοις ἐναντίων, δεῖ δηλονότι παρεῖναι ἃ ἐκλέξεται. οὐ γὰρ δὴ ἀεὶ τῷ ἀνθρώπῳ ταῦτα πάρεισι. διὰ γοῦν τὴν τούτων ἔνδειαν, ὁ τὴν ἀρετὴν ἔχων ἑαυτὸν ἐξάγει ποτέ. οὐδὲ γὰρ διὰ τὸ ἀδυνατεῖν ἐκλέγεσθαι ταῦτα, ἡ ἐξαγωγή, ὅπερ ἔργον τῆς ἀρετῆς, ἀλλὰ τῷ μὴ παρεῖναι ἃ οὐκ ἐπ' αὐτῇ. εἰ δὲ οὐκ ἐπ' αὐτῇ μὲν ἡ τούτων παρουσία, ἡ δὲ ἐνέργεια αὐτῆς περὶ τὴν τούτων ἐκλογήν, οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς τὴν οἰκείαν ἐνέργειαν. Si virtutis, inquit, officium est, ea seligere quæ & sunt secundum naturam, & naturæ coniuncta, & repellere, atque reijcere contraria, certè nullo modo introduci virtus poterit, nisi adsint, quæ leget, quæque sumet. Neque enim semper ea homini adsunt, quippe quũ dum iis caret, qui virtute præditus est, aliquando è vita desciscat. Nam non quia nõ possit ea seligere, è vita excedit, quod est virtutis officiũ: sed quia non adsint ea, quibus caret. Igitur si iis destituatur, in quibus tamen eius versetur officium, profectò ad eam quæ naturæ propria est, actionem, non satis virtus præsidij habet.

Quid enim aliud intelligetur, nisi vt æquè pars naturæ negligatur.

In veteri codice est, QVID IGITVR aliud intelligeretur, nisi vt æquè pars negligatur] quæ lectio non multũ abest ab ea, quã Ald F. probat, NEQVA pars negligatur.] est enim illud que compendiosè scriptum, q̃. quod aliquando legi in eo, pro qua. Sequitur autem paulo pòst, ANTE explicationem] antiquus habet, ANTE explanationem. Quod autem ait, tale quippiam est. Finis expositio, naturæ est explanatio. Ergo in summo hominis bono constituendo, eius natura spectãda est. Eius verò naturæ duæ sunt partes, altera animus, altera corpus. Corporis igitur & animi erit natura spectanda in exponendo fine bonorum. Qui autem in honesto solo eum inesse voluerunt, aliaque ad totius naturæ conseruationem valẽtia neglexerunt: quia vnius tantum partis rationem habuerunt, à natura discesserunt. Nõ quidem negandum est, in animo principatum, & dignitatem longè maiorem quàm in corpore esse, & propterea præstantiora iudicanda quæ ad ipsum pertinent: non ita tamen amplecti debet quis istam dignitatem, vt quod inferius sit deserat, & pro nihilo putet: præsertim quum ad totius hominis conseruationem, & naturæ perfectionem vtrunque requiratur.

Vt quidam philosophi, quum à sensibus profecti, maiora quædam.

Quemadmodum à sensibus progrediamur ad cognitionem & scientiam, docet Aristoteles. Ex sensu enim gigni memoriam, è memoria, & rei in animo comprehensione frequenter repetita, oriri experientiam, quæ initium est & artis & scientiæ. Et eius celebratur dictum, Quod in intelligentia quippiam non sit, quod prius in sensibus non fuerit. Sensus reliquisse feruntur Academici recentiores: quorum de sensuum iudicio caput Cicero refert, Sunt falsa sensus visa. Et de iis Epictetus apud Arrianum de Epicuro loquens, qui naturalem hominum coniunctionem tollere conabatur, προθυμίας τὰς ἀνθρωπικὰς οὐκ ἀπεκόψατο. οὐ γὰρ ἠδύνατο, οὐ μᾶλλον ἢ οἱ ταλαίπωροι Ἀκαδημαϊκοί, τὰς αἰσθήσεις τὰς αὑτῶν ἀποβαλεῖν ἢ ἀποτυφλῶσαι δεδύνανται, καίτοι τοῦτο μάλιστα πάντων ἐσπουδακότες. Propensiones, inquit, humanas Epicurus non præcidit, quia non potuit: non magis quàm miseri Academici sensus eripere aut excæcare possunt, tametsi vehementer id efficere laborent. Clitomachus tamen, vt te-

fert M. Tullius, dicit eos vehementer errare, qui dicant ab Academia sensus eripi, à quibus nonnunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut nullum sonum esse. Illud, inquit, sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam.

Sic isti quum ex appetitione rerum, virtutis pulchritudinē aspexiss.

Hunc progressum à principiis naturæ ad fines, id est, ad honesti, siue virtutis aspectum, lib. 3. Cato explicauit. Primum enim officium in se conseruando in naturæ statu posuit: deinde sequitur, inquit, vt selectione & reiectione inuenta prima quæ sunt secundum naturam, teneat: deinceps perpetua, constans & naturę consentanea selectio: in qua quum homo inesse incipit, tum intelligit, quid verè bonum possit dici. Quod verè bonum qui tantū tuetur, ea relinquens ex quibus eò profectus sit, nō dubium est, quin fundamenta vitæ beatæ & naturę explicationis abiiciat. Illa enim ex quibus inchoata est, & quasi gradibus quibusdam ducta naturę perfectio, siue primis illis constare nō potuisset. Vnde eius absolutionis συμπληρωτικὰ naturæ illa initia dici debuerunt: quod minimè Stoicis placet.

Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum ess.

Stoicis, Pyrrhoni, & Aristoni honestum solum bonum visum est: atque in hoc omnes hi conueniunt. dissentiunt autem, quòd Stoici quæ media bonorum sunt & malorum, eorum aliquem delectum reliquerunt: vt alia sint sapienti sumenda, alia reiicienda. Pyrrhoni & Aristoni non magna discrepantia fuit, & communiter, quæ inter bonum & malum media sunt, sic exæquauerunt, vt in vtranque partem, nulla selectione vterentur: quæ est officiorum omniū euersio atque dissipatio. De Aristonis occurrentibus, nihil me legere memini.

Sed primum illud vide, grauissimam illam vestram sententiam.

Primum caput, & veluti propositum totius disciplinæ Stoicorum in hoc positum est axiomate, ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν, & quod finis sit, τὸ καλῶς ζῆν: itaque aptè & eleganter dicitur familiam ducere: vt aliàs in re eadem, lumen illorū esse, dixit. Hāc enim sententiam, qui huius disciplinæ discipulos se exhibent, primam audiunt: & ita recipiunt, vt eam quasi ducem in totum sequantur: quam qui prodidit semel, totam euertit disciplinam: non aliter ac in Geometria, prima si dederis, danda sunt omnia. Verum ista', inquit Cicero, eadem ab iis dici possent, qui Pyrrhonem sequerentur aut Aristonem. His enim illud honestum non summum modo, verum etiam, vt volunt Stoici, solum bonum videtur. Nam quanuis Aristo in scientia summum bonū poneret, is tamen non aliter sentiebat, atque qui ipsum honestum appellarunt. Eam enim scientiam, si in perferendis periculis versaretur, fortitudinem: si in suo cuique reddendo, iustitiam, si in moderandis cupiditatibus, temperantiam nominari, quę omnes sunt honesti partes: quod docet Galenus lib. de Hippocratis & Platonis decretis. INFORMARI non posse virtutem] vetus, CONFORMARI.

Mihi autem æquius videbatur Zenonem cū Polemone disceptantem.

Polemo nobilis Peripateticus auditor Xenocratis, & Zenonis magister, finem bonorum prius exposuerat, quàm Zeno, constituendum esse in congruenter naturæ viuendo, retinens quidem quæ essent secundum naturam: eáque in partibus vitæ beatæ numerans. Zeno verò desciscens à pręceptore, conuenienter naturæ viuere dum explicat summum bonum esse, solā tuetur honestatē, & alia quæ non sunt eius generis, à vita beata remouet: quæ naturæ explicatio, cùm Pyrrhoniorum magis cōuenit, quàm Peripateticorum ratione.

Minimè verò illud probo, quod quum dicitis, vt vobis videmini.

Si honestas, id est, naturæ conuenienter viuere, summum bonum est, fieri non

potest, vt natura & quæ secundum naturam sunt, indifferentia dicantur. Nam, vt est apud Plutarchum, si legibus & rationi congruenter viuere bonum virum efficit, necesse est & rationem & legem bonam esse: ita si in congruenter naturæ viuẽdo summum bonum est, in bonis naturam, & quæ sunt naturæ accommodata poni necesse est. Præterea videtur absurdum, ex eorum selectione virtutem existere, & nos ad ea natura applicatos esse, quæ sint indifferentia, nec ad vitam pertineant beatam: imò naturam ipsam inanem esse ac dementem, quæ ad ea nos applicet, nos aptos & accommodatos efficiat, quæ ad naturæ nostræ perfectionem nihil conducant. Addit, Si quis vitam adeptus est beatam, is summam bonorum teneat, nec quicquam requirat, necesse est. Natura verò sui desiderat conseruationem: quæ naturæ conueniũt postulat: non ergo in sola virtute vita beata est posita.

Non enim in selectione virtus ponenda erat, vt id ipsum quod erat.

Latius hæc disputat Alexander, Si, inquit, ipsorum sententia, harum rerum in selectione virtus exerceatur: naturaque selectionis causa earum rerum quę sint ad virtutem assequendam accommodatæ, & contrariarum reiectionis fabricata est, nónne & corporis & externa bona legenda sunt & sumenda? nulláne eorum est habendã ratio? Sed quid immoror, nõne & comparanda sunt? Quid verò comparanda, nõne & eorum vsus momentum vllum habebit? ad quid verò habebit, nisi ad bonorũ vltimum? Neque enim natura ea desideraret, neque virtus pręscriberet, neque sapiẽs seligeret, si ipsa habeas, nécne, nihil intersit. Neque enim ars vlla alia quippiam hoc ipso tantum vt eligat, seligit: sed omnium selectio ad finem refertur: præsertim quũ in vsu rerum, quas quis seligit, non in ipsa selectione finis positus sit. Et vt in summa dicam, qua ratione dicat quis absurdum non esse, virtutem aliò non referri, quàm vt selectione vtatur? Nam si earum rerum quæ leguntur, quęque sumuntur, indifferẽs est adeptio, nec ad bonorũ vltimũ quid cõfert, profectò vana & inanis fuerit ac superuacanea selectio. Si quis Græcè mauult hæc audire, audiat, εἰ ἀπὸ ἐκλογὴν τίθεσθαι ταῦτα τῇ ἀρετῇ κατ' αὐτούς, ἡ φύσις τῆς τούτων ἐκλογῆς ἕνεκα οἰκει... τον ἡμῖν τὴν ἀρετὴν παραλαμβάνειν, τῶν δὲ τούτοις ἀντικειμένων ἀποικειουμένων, ἆρα ἐκλέγεσθαι μὲν δεῖ τὰ σωματικὰ καὶ ἐκτὸς ἀγαθά; οὐχὶ δὲ καὶ ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν; τί δὲ ... μὲν, οὐχὶ δὲ καὶ κτᾶσθαι αὐτά; τί δὲ κτᾶσθαι μὲν, οὐχὶ δὲ καὶ τὴν χρῆσιν πρὸς τι αὐ... ωντάνειν; πρὸς τί δ' ὅλως, εἰ μὴ πρὸς τὸ τέλος; οὔτε γὰρ ἂν ἡ φύσις ἐβούλετο, οὔθ' ἡ ἀρετὴ προσέταττεν, οὔθ' ὁ σοφὸς ἐξελέγετο, εἴπερ οὐδὲν διέφερεν ἔχειν αὐτὰ ἢ μή. οὐδὲ γὰρ ἄλλη τις τέχνη ἐκλέγεταί τι αὐτοῦ χάριν τοῦ ἐκλέξασθαι μόνον, ἀλλὰ πάντων ἡ ἐκλογὴ πρὸς τὸ τέλος ἔχει τὴν ἀναφοράν. ἐν γὰρ τῇ χρήσει τῶν ἐκλεγομένων, οὐκ ἐν τῇ ἐκλογῇ τῶν ἐκλεγομένων τὸ τέλος. καὶ καθόλου πῶς οὐκ ἄτοπον τὸ τὴν ἀρετὴν ὑπὸ τῶν λέγειν δεῖν μόνον ὑπὸ τὸ ἐκλέγεσθαι; εἰ γὰρ ἀδιάφορος ἡ κτῆσις τῶν ἐκλεγομένων, καὶ μὴ συντείνουσα πρὸς τὸ τέλος, κἂν αὖ εἴη καὶ ματαία ἡ ἐκλογή.

Vt is qui eam adeptus sit, nihil prætereà desideret.

Hanc quoque rationem ductam à bonorum summa, sic contra Stoicos tractant Peripatetici, Εἰ εὐδαιμονία συμπλήρωσις ἀγαθῶν, ἕκαστον δὲ τῶν πρὸς ἃ ἐκ φύσεως οἰκειούμεθα, ἐστὶν ἀγαθόν τι, πῶς οὐ πάντων δεῖ τούτων, εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῶν ἀγαθῶν; τὸ γὰρ οἰκειοῦσθαι μὲν λέγειν ἡμᾶς πρὸς πλείω, μηδὲν μέντοι διαφέρειν ἡμῖν ὁπωσοῦν ἐχόντων αὐτῶν, μαχόμενα λέγειν ἐστίν. εἰ δὲ δεόμεθα αὐτῶν, πῶς ἂν εὐδαιμονεῖν τις λέγοιτο, ἀπολειπομένων αὐτῷ τούτων, ὧν δεῖται; ἄγει αὐτάρκης ἡ εὐδαιμονία, καὶ τέλειον. id est, Si vita beata bonorum summa est: & omnia quę apta sunt & accommodata naturæ, bona quædam sunt, quî fieri poterit, vt non hæc omnia desiderentur, vt summa bonorum expleatur? Dicere enim nos ad tam multa esse applicatos natura, nihil tamen habeamúsne, an non habeamus interesse, id demum est pugnantia loqui. Sin ea nos requi-

rere constet, quonam pacto quis vitam ducere beatam dici poterit, cui ea desint, quæ sunt necessaria? siquidem vita beata nihil requirere, sed omnino absolutum quid & perfectum esse debet.

Vobis autem quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum.

Officia & actiones, nisi habeant in quibus versentur, remanere nō possunt. Versantur autem in rebus iis quę sunt naturę conuenientes. Ergo vt officia remaneant, deseri naturæ initia non possunt. Sic Peripateticus ille, Εἰ ὅλως, inquit, πρὸς τὸ εἶναί τι καὶ ὁπωσοῦν ἐνεργεῖν ἡ ἀρετὴ δεῖται τινῶν, ἐν δὲ τῇ κατ' αὐτὴν ἐνεργείᾳ τὸ εὐδαιμονεῖν τινα, πῶς ἂν αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν εἴη, δεομένη τινῶν ἔξωθεν, πρὸς τὸ ἐνεργεῖν ἐν ᾧ τὸ εὐδαιμονεῖν; Quorum sensus est, Si vt virtutis status, & officia cuiusdā modi relinquantur, res aliquas adesse necesse est: in iis autem & officiis & actionibus virtuti congruis vita posita est beata: profectò ea virtus cum ad agendum, qua in re consistit vt quis beate viuat, rerum externarum indigeat, non satis erit ad beatitudinem.

Atque vt Aristonis esset explosa sententia dicētis, Nihil differre aliud.

Aristonis sententiam de fine bonorum & malorum Laërtius his verbis, quorum si bene memini, partem etiam supra recitaui, expressit, τέλος ἔφησεν εἶναι τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, μηδ' ἡντινοῦν ἐν αὐτοῖς παραλλαγὴν ἀπολείποντα, ἀλλ' ἐπίσης ἐπὶ πάντων ἔχοντα. εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν, ὃς ἄν τε Θερσίτου, ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρίνεται προσηκόντως. id est, Finem constituit, ita viuere, vt quicquid occurrat eorum, quę inter virtutem & vitium media posita sunt, sumas, nec vlla rerum selectione vtaris, sed omnia paria facias. Excellenti enim histrioni similem esse sapientem, qui siue Thersitis, siue Agamemnonis personam induat, vtranque aptè, venustè & conuenienter repręsentat.

Quasi verò hæc appetitio non ad summi boni adeptionem pertineret.

In rebus externis, & quæ ad corpus pertinent, satis causæ cur appetantur, esse volunt Stoici, non autem vt vitam compleāt beatam. At, ait M. Tullius, hæc aliò pertinere non potest appetitio, nisi inaniter data nobis à natura dicatur. Quod item Peripatetici dicunt, Εἰ τῷ σοφῷ τὰ κατὰ φύσιν ὀρεκτά, οὐδενὸς δὲ μάτην ὁ σοφὸς ὀρέγεται, ἔχοι ἂν ταῦτα ὧν ὀρέγεται, πρὸς τὸ τέλος τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ τὴν ἀναφοράν, καὶ συντελεῖ ἄν τι αὐτῷ πρὸς εὐδαιμονίαν. Si, inquit, quæ secundum naturam sunt, ea sapienti appetenda sunt: sapiens autem nihil inconsideratè, nihil temerè appetit: profectò ad finem naturæ accommodatū, quæ appetit, ea referantur, & ad summi boni adeptionē pertineant necesse est.

Nunc venio ad illa tua breuia, quæ consectaria esse dicebas.

Libro tertio, dicebat Cato, Sed consectari me Stoicorum breuia & acuta delectat: vbi diximus in veteri codice scriptum esse, CONSECTARIA delectant] quā veram esse lectionem, ex hoc loco cōfirmare licet. Illic præterea ex Chrysippo duo talia protulimus consectaria. Reprehendit autem M. Tullius prius, quòd minimè concessis & datis pro concessis vtatur: itaque quod vult, ex iis effici non posse. Ideo rationem eiusmodi plumbeum pugionem appellat, quòd futilis, leuis, & infirma sit ad propositum confirmandum conclusio.

Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit.

Schola Peripatetica principē habuit Aristotelē, vt Academica, quæ vetus dicitur, Xenocratē: & vtraq; ex vno Platone, veluti ex fonte deriuata est. Quid familia Peripatetica senserit de bonis, apertè libris de Moribus ad Eudemū totius disciplinæ princeps explicauit. Sic enim τῶν ἀγαθῶν, inquit, πάντων τέλη ἐστὶν, ἃ αὐτὰ αὑτῶν ἕνεκά ἐστιν αἱρετά. τούτων δὲ καλά, ὅσα δι' αὐτὰ ὄντα, πάντα ἐπαινετά ἐστιν. ταῦτα γάρ ἐστιν ἐφ' ὧν αἵ τε πράξεις εἰσὶν ἐπαινεταί, καὶ αὐτὰ ἐπαινετά, δικαιοσύνη ἡ αὐτή. καὶ γὰρ αἱ πρά

ξας, καὶ οἱ σώφρονες. ἐπαινετὴ γὰρ καὶ ἡ σωφροσύνη. ἀλλ' οὐχ ὑγίεια ἐπαινετόν. οὐδὲ γὰρ τὸ ἰσχυρόν. οὐδὲ τὸ ἰσχυρῶς, ἀλλ' ἀγαθὰ μὲν, ἐπαινετὰ δὲ οὔ. ὁμοίως δὲ τοῦτο δῆλον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. id est, Ex bonis omnibus ea extrema iudicanda sunt, quæ ipsa vi sua, & propter se expetenda sunt: honesta verò, quæ cùm non alterius causa q̃ sui, talia sint, omnia laudabilia sunt. Ea enim sunt, quorũ non minus actiones quàm ipsa, laudari debẽt. Vt iustitia laudatur, quia eius laudabiles sunt actiones: itẽq; tẽperati, quia laudabilis est tẽperantia. At valetudo laudabilis nõ est: quippe cũ in eo genere opus & actio eius non reperiatur. neque etiam magnis viribus quid fecisse quispiã laudabile dicat: sed illa quidem bona sunt, laudabilia non item. Quod idẽ in aliis perspici & intelligi potest. Idem ἠθικοῖς μεγάλοις, Bonorum hanc facit diuisionem, vt alia dicat, τίμια, alia ἐπαινετά, alia δυνάμεις. quorum in primo genere ponit animum, & mẽtem: in altero, virtutes: in tertio, principatum, diuitias, vires & pulchritudinem.

Iam ille Sorites, quo nihil putatis esse vitiosius, Quod bonũ sit, id esse.

Sorites, Stoicorum ratio quædam est fallax admodum: quam acerualẽ dici posse scribit M. Tullius de Diuinat, lib. 2. & in Academicis captiosissimum vocat genus interrogationis, cùm aliquid minutatim & gradatim additur, aut demitur. Soritas, inquit, hos vocat, qui aceruum efficiunt vno addito grano. Vitiosum sanè & captiosum genus. Huius generis conclusionis authorem facit Laërtius Eubulidem Milesium, qui scholæ Euclidis successit. Hunc Soritem, quem Cicero tractat, lib. 3. exposuimus. ILLVD VERO minimè consectariũ] alij habent, CONSENTANEVM. Apud Nonium Marcellũ legitur, CONIECTARIVM, quod interpretatur efficax, perfectum: sed puto mendum in eo esse.

Et tota illa gens, & reliqui qui virtutem omnibus rebus multo.

Nota est Aristotelis sententia de bonorum distinctione, quòd iustitia & aliæ virtutes sint, πάντῃ καὶ πάντως αἱρετά: vires verò, diuitiæ, & cætera de genere eodem, οὔτι πάντῃ οὔτι πάντως αἱρετά. Ait alio loco esse τῶν ἀγαθῶν τὰ ἐν τῇ ψυχῇ βέλτιστα: quæ in tres distribuit partes, φρόνησιν, ἀρετὴν καὶ ἡδονήν. Notum item quid in constituendo summo bono ad virtutem adiunxerit. ἡ γὰρ εὐδαιμονία. inquit, ἐστὶν, ἐκ τινῶν ἀγαθῶν συγκειμένη. τὸ δὲ ἐξ ὧν ἀγαθῶν συγκεῖται, σκοπεῖν εἴ ποτ' ἐστὶ βέλτιον, ἄτοπον. οὐ γάρ ἐστιν ἄλλο τι χωρὶς τούτων ἡ εὐδαιμονία, ἀλλὰ ταῦτα. quibus verbis satis indicat, se non modò intellexisse, quæ adiunguntur ad virtutẽ bona externa & corporis ad beatitudinem conducere, verum etiam eius partes esse. Is enim verborum sensus est, Nam beatitudo ex bonis nõnullis innexa est. Iis verò quibus constat bonis, inquirere vitã ne beata præstet: quia præter illa aliud quicquam non est, sed ipsa eadem, absurdum omnino videatur.

Vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi.

Vita Stoicorum, si inspiciatur, alia videtur & contraria decretis. Eandem enim aut certè similem ducunt vitam, atque ij à quibus dogmatis dissentiunt. Virtutẽ, honestatem, & officia recta laudibus vehunt, sola ea expetenda clamant, aliásque res beatum hominem non efficere: vitam tamen viuunt, quæ non aliter quàm aliorum, ad voluptatem, ad opes parandas, ad assequendam gloriam, & cætera generis eiusdem referatur. Non tamen tam debet, vt scribit Plutarchus post Aeschinem, orator idẽ quod lex pronunciare: quàm vita philosophi eũ oratione cõsentire. Hæc verò Stoicorum secta, alia facit, alia loquitur: præclarè in scholis & in libellis de virtute, de sapientia, de honestate disputat: sed nihil minus vita exprimit, quàm quod exprimendum præscribit: illáque mutabilitate vtitur, qua mulier quædam apud Archilochum, quæ τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ δολοφρονέουσα χειρί, τῇ δὲ πῦρ. Nõ igitur corrigant aliorum dicta aut scripta Stoici: sed vitam emendent, consilia, facta, voluntates suis decretis consentaneas teneant, aut decreta ad vitam accommodent: nec quam viuendo

naturam tuentur, eandem verbis deserant.

Tu autem negas fortem esse quenquã posse, qui dolorem malum putet.

Libro tertio Peripateticorum & Stoicorum discrimen ostendens Cato, concludit contra illos, tum sapientem beatum non esse, quum equuleo torquetur, si dolor in malis ponatur: contrà, eundem esse beatum, qui vel grauissimum dolorem patiatur, si non in malis dolor iudicetur. Hanc rationem vt vanam & frigidam reiicit, docens, non minus asperum sentire dolorem, & vix ferendum, qui hæc sibi persuaserit, quàm qui malum nuncupauerit. Non enim molestiam tollit, qui nomen cõmutat: nec minus est formidabilis dolor, si asper, si durus, si inimicus naturæ & odiosus, quàm si malus dicatur. Quæ disputatio est etiam à M. Tullio exposita li. 2. Tuscul. Quæstionum.

Et si vna litera commota sit, fore tota vt labet disciplina.

In veteri codice verbum vnum additur, ad hunc modum, ET AIS, si vna litera commota sit.] Hoc lib. 3. Cato dixit, Quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic ex alio nectitur, vt non, si vllam literam moueris, labent omnia? Quæ verò nunc repetit apta & connexa, ea Cato dixerat, Quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius: aut in operibus manufactis tã compositum, tamq; compactum & coagmentatum inueniri potest? Paulò superius admirabilem esse cõpositionem disciplinæ, incredibilemque rerum ordinem dixerat. Inter omnes philosophos, nulli tam consequentia tenuerunt quàm Stoici: nimirum artem differendi, quæ id in primis docet, apprimè tenuerunt, vsqueadeo vt dialecticorum nomen sibi proprium, vt diximus, fecerint.

Sed ita falsa sunt ea quæ consequuntur, vt illa quibus hæc nata sunt.

Docent Dialectici, ἐκ τ' ἀληθοῦς ἀληθὲς ἕπεσθαι, καὶ ψευδοῦς ψεῦδος, καὶ ψευδοῦς ἀληθές, ἀληθοῦς μέντοι ψεῦδος οὐκ ἀκολουθεῖν. Rem enim falsam & falsa & vera sequitur: rem autem veram nihil, nisi id verum sit, sequitur. Si ergo quod conclusum fuit, falsum inueniatur, id quod antecedit falsum fuisse necesse est: siquidem rem veram falsa non sequitur. Veluti in ea Stoicorum ratione, Bonum omne laudabile: laudabile autem omne honestum: igitur omne bonum honestum: quia conclusio, Omne bonum honestum, falsa est, sequitur vt alterum eorum, aut vtrũque quod assumebatur, falsum fuerit: illud est autem, Bonum omne laudabile: quapropter hac argumẽti conclusione ea reprehenditur ratiocinatio: Si omne bonum laudabile est, omne bonum est honestum: non autem omne bonum est honestum: igitur ne bonũ quidẽ omne laudabile. qua ratione pars aduersa & contraria ei quæ reprehendebatur, cõclusa est. Iste autem posterior concludendi modus Stoicis ἀναπόδεικτος dicitur: quòd talis sit, vt ne rationem quidem reddi oporteat. Fit verò modus ille, vt in Topicis à M. Tullio scriptum est, cùm id quod annexũ est, negaris, vt id quoque cui fuerit annexum, negandum sit: appellaturque secũdus concludendi modus. Quod annexũ est Stoici, qui hoc totum disputandi genus pepererunt, aut certè amplificarunt, τὸ λῆγον appellant: & id cui annexum fuit, ἡγούμενον. Huc pertinet, quod ait, Ἀναλυτικοῖς προτέροις Aristoteles, φανερὸν οὖν, ὅταν μὲν ᾖ τὸ συμπέρασμα ψεῦδος, ἀνάγκη ἐξ ὧν ὁ λόγος, ψευδῆ εἶναι ἢ πάντα, ἢ ἔνια. Ergo, inquit, illud perspicuum est, Si falsum sit id quod consequitur, illa quibus nata est argumentatio, aut omnia, aut nõnulla necessariò falsa esse.

Quæ sequuntur igitur, Omnes qui non sunt sapientes, æquè miseros.

A falsis initiis qui progrediuntur, longè lateque peccant, & errorem errori, quo longius proficiscuntur, adiungunt. Nam, vt ait Aristoteles, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τ' ἄλλα συμβαίνουσι, Si quippiam quod absurdum sit & falsum, concesseris, alia consequũ-

tur absurda & incommoda. Ex eo itaque quòd solum honestum bonum esse statuerunt Stoici, & honesto contrarium solum malum, plurima incredibilia & cõtra omnium sententiam pepererunt dogmata: quę παράδοξα ab illis, à Cicerone admirabilia nominantur: Qualia sunt quæ hic enumerat, & plura Academico secũdo. Illa verò, inquit, ferre non possum, non quòd mihi displiceant (sunt enim Socratica pleraque) mirabilia Stoicorum, quæ παράδοξα nominantur. Sed vbi Socrates? vbi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. Illi nunquam dicerent, Sapiẽtes solos reges, solos diuites, solos formosos, omnia quæ vbique essent sapientis esse: neminem Consulem, Prætorem, Imperatorem, nescio an ne Quinqueuirum quidem quẽquam, nisi sapientem. Postremò solũ ciuem, solum liberum: insipientes omnes peregrinos, exules, seruos, furiosos. Denique scripta Lycurgi, Solonis, duodecim tabulas nostras non esse leges, ne vrbes denique aut ciuitates, nisi quæ essent sapientium. Sed de iis nos quoque posteà dicemus.

Posteà tuus ille Pœnulus, scis enim citius quàm hunc à philosophia.

Hæc verba, QVAM HVNC à philosophia] in quibusdam codicibus non leguntur: nec erant in veteri. Hunc locum legendum putat vir doctiss. Ioach. Camerarius ad hũc modũ, POSTEA TVVS ille Pœnulus, scis enim Cittieas clientes tuos à Phœnicia esse profectos.] ꝓpter hęc Laërtij verba, Ζήνων Μνασέου ἢ Δημέου, Κιτιεὺς ἀπὸ Κύπρου πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος, τὸν τράχηλον ἐπὶ θάτερα νενευκὼς ἦν. Idem tamen Laërtius aliquanto pòst de porticu loquens, quæ ποικίλη στοὰ ἡ, καὶ πεισιανάκτιος appellabatur, προσῄεσαν δή, inquit, λοιπὸν ἀκούοντες αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦτο Στωϊκοὶ ἐκλήθησαν, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ὁμοίως, πρότερον Ζηνώνειοι καλούμενοι, καθά φησι καὶ Ἐπίκουρος ἐν ἐπιστολαῖς. καὶ πρότερόν γε Στωϊκοὶ ἐκαλοῦντο οἱ διατρίβοντες ἐν αὐτῇ ποιηταί, καθά φησι, καὶ Ἐρατοσθένης ἐν ὀγδόῃ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, οἳ καὶ τὸν λόγον ἐπὶ πλεῖον ηὔξησαν. Eò, tandem inquit, concurrebant quàm plurimi, vt illũ audirent. Ex quo Stoici appellati sunt, qui etiam ab ipso Zenone, antè Zenonij dicebantur, vt est scriptum in Epicuri epistolis. Et certè Stoici anteà quidã appellati fuerant, qui in ea porticu versabantur, Poëtæ: quod tradit Eratosthenes lib. 8. de Comœdia antiqua: quorum quidem fama longè lateque iam increbuerat. Idne λόγον significet, addubito, & haud scio an ad disciplinam, an verò ad appellationem referri debeat. Antequam hunc locum legissem, valde mihi placuerat Camerarij illa coniectura, & eam quod verum esset attigisse existimabam: nunc verò verba illa Laërtij, vt addubitem, efficiunt, vtque quicquam affirmare non audeam. Eruditiores iudicent.

Negatque Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in caussa.

Quod ait, Illum negare Platonem, si sapiens non sit, eadem in caussa esse, qua tyrãnum Dionysium, non conuenit cum eo decreto, quod Zenonis nomine, suprà expositum est, Eos qui natura doctrinaque longè ad virtutem processissent, nisi eam plenè consecuti essent, summè esse miseros: neque inter eorum vitam ac improbissimorum, quicquam omnino interesse: vt Plato tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, quàm quiuis improbissimus, nec beatius vixerit. Et quod paulo pòst sequitur, Peccata partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officij præterirent, id congruere nõ videtur cum eo dogmate, quòd Zenonem defendisse nominatim Laërtius ait, Omnem omnium insipientiam, iniustitiam, & alia vitia similia esse, omniaque peccata esse paria. Quare diligentius inquiramus, hicne locus mendo vacet, an verò Pœnulus iste, de quo loquitur, sit Zeno ille Stoicorũ princeps. Nisi fortè ita Zeno hęc sua dogmata induxerit, vt primũ ab aliorum sententia longius non recesserit, sed sensim vnũ post aliud proposuerit: quo factum sit, vt quæ primũ probarit, tandem aliis persuasis,

eadem sustulerit.

Dicunt appetitionem animi moueri, quum aliquid ei secundum natur.

Quæ à natura nobis data sunt, Peripatetici ea omnia dicunt vtiliter data esse: huc semper respicientes, vt nihil sine causa factum esse doceant. Itaque quum contra Stoicos, in hac potissimum quæstione, disputant, ad finem semper recurrunt: inquirentes propter quid hoc aut illud dicatur: quod dum faciunt, singularum rerum dignitatem considerant: & quantum quæque valet ad eum finem ad quem destinata est tuendum, tantundem ei tribuunt. Itaque contra Stoicos sese opponunt vehementius, qui res eas quæ secundum naturam sunt, cùm receperunt, & sumendas ac aliis præponendas dixerunt, ad finem applicare, siue accommodare nolũt. Sed quibus verbis id exponant, audiamus, ἔτι τὰ οἰκεῖα, προηγμένα, καὶ εὔχρηστα, καὶ ἀξίαν ἔχοντα, πρὸς τί ποτε ταύτας ἔχει τὰς ὀνομασίας, εἰ μηδὲν συνεργεῖ πρὸς εὐδαιμονίαν; πᾶν γὰρ τὸ προηγμένον πρός τι προῆκται, καὶ τῷ φορῶν εἶναι, πρὸς τὸ προκείμενον μᾶλλον ἄλλων. διὰ τοῦτο λέγεται καὶ προῆχθαι πρὸς τὸ τέλος. καὶ ἡ προαγωγὴ αὐτῶν δῆλον ὡς συνεργεῖ πρὸς εὐδαιμονίαν. εἰ δὲ μὴ πρὸς τοῦτο συνεργεῖ, πρὸς δὲ τὸν κατὰ φύσιν βίον, ἄξιον ἐρέσθαι περὶ τοῦ κατὰ φύσιν αὐτοῦ βίου, πότερον οὗτος ἀγαθόν ἐστιν, ἢ οὐκ ἀγαθὸν μὲν, οἰκεῖον δὲ, καὶ αὐτὸ προηγμένον, ἢ ἀλλότριον, καὶ ἀποπροηγμένον, ἢ ἀδιάφορον ὅλως; παρὰ γὰρ ταῦτα, οὐδὲν οἷόν τε ἀποκρίνασθαι. οὐ γὰρ δὴ κακόν γε φήσουσιν αὐτόν. εἰ μὲν οὖν ἀγαθὸν, πρῶτον μὲν, πῶς οὐχὶ τὰ συμπληρωτικὰ αὐτοῦ, καὶ ποιητικὰ, ἀγαθὰ ἂν καὶ αὐτὰ εἴη; ὥστε ἀγαθὰ τὰ προηγμένα. ἔπειτα δὲ οὐ μόνον ἔσται τὸ καλὸν, ἀγαθόν. καὶ γὰρ ὁ κατὰ φύσιν βίος, ἔτι ἀγαθὸν, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν ἔσται συντελῶν. ἔτι ἡ εὐδαιμονία συμπλήρωσις ἀγαθῶν. ὥστε οὐκ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν ἡ ἀρετή. εἰ δὲ ἀλλότριον, καὶ ἀποπροηγμένον, ἢ ἀδιάφορον, πῶς οὐ γελοῖον, τὰ ποιητικὰ αὐτοῦ προηγμένα λέγειν; τί γὰρ μᾶλλον τὰ πρὸς τὴν φορὰν προηγμένα, ἢ τὰ πρὸς τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ; εἰ δὲ καὶ αὐτὸς προηγμένος τί καὶ ἀξίαν ἔχων ἐστὶν ὁμοίως ἐκείνοις, καὶ διὰ τοῦτο τοιαῦτα ἦν καὶ τὰ ποιητικὰ αὐτοῦ, εἰς τί προῆκται καὶ ἀξίαν ἔχει, πευσόμεθα παρ' αὐτῶν, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν τούτου ποιητικῶν. ἔτι πᾶν τὸ προηγμένον πρός τι προῆκται. εἰ μὲν οὖν εἰς τὴν εὐδαιμονίαν φήσουσι, συνεργὸς ἂν ὁ κατὰ φύσιν εἴη βίος πρὸς εὐδαιμονίαν· οὕτω δὲ καὶ τὰ τούτου ποιητικὰ, καὶ οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς αὐτόν. εἰ δὲ πρὸς ἄλλο τι φήσουσιν, ὁ αὐτὸς καὶ περὶ ἐκείνου καὶ τοῦτο εἰς ἄπειρον. Hunc locum, tametsi longiusculum, libẽtius ideo adscripsimus, quia & multa Stoicorũ propria verba cõtinet, quib. maximè vrgẽtur: & interim causas notat, cur bona Peripatetici quæ sunt naturalia, appellant. Explicabimus autem Latinè, vt poterimus, quò omnes intelligant, Iam verò cùm naturæ accommodata, producta, vtilia & æstimabilia dicuntur, quò eiusmodi referuntur appellationes, si ad vitam adipiscendam beatam, ea nihil valeant? προηγμένον enim, id est, productum omne ex eo appellatum est, quòd ad aliquid producatur, plusque momenti quàm aliud, ad id de quo agitur, habeat. ideóque quia quasi producatur ad finem, dicitur. & ita illorum veluti productionem non dubium est ad beatitudinem pertinere. Sin minus eò pertineat, sed ad vitam naturæ consentaneam, rogandi sunt quid de vita naturæ congruenter acta iudicent, eámne in bonis ponant, an verò non ponãt, sed tantum eam dicant naturæ accommodatam esse, atque ita in præpositorum genere collocent, an alienum quid, & reiiciendum, nulliúsque momenti esse velint. Quorũ nullum si respondeant, nihil superest, quod respondere possint. Nam perspicuũ est eos illã in malis non esse numeraturos. Igitur si quid bonũ esse illam dicãt, primùm quid causę est, cur nõ etiam quibus & expletur, & efficitur, ea bona velint esse? Vnde efficiatur, quæ pręposita sint siue producta, bona esse: & deinceps, non solùm quod honestum est, id bonum esse. Etenim vita naturæ consentiẽs, si quidem sit in bonis,

ad beatitudinẽ valeat necesse est: presertim quum beatitudo summam omniũ bonorum complecti debeat. Ex quo consequitur, vt ad bene beateque viuendum, ne virtus quidem satis posit esse. Quod si dicant, id genus vitæ alienum, reie ctaneum, & nullius momenti esse, non video quî ridiculum non sit, eius efficientia inter præposita & promota constituere. Quid enim ad id potius ea quæ sunt producta siue præcipua, quàm ad eius contrarium & aduersum conducant? Si autem ipsa quoque vita, quam diximus, est producta & præcipua, pariterq; cum illis æstimatione digna est, sique propter eam eius efficientia sunt generis eiusdem, quam ad rem producatur, & æstimationem habeat, non aliter quàm de illius efficientibus, ab ipsis rogabimus: præsertim quum omne productum & promotum ad quippiam producatur promoueaturque. Ac si quidẽ ad vitam beatam dicant, sequetur vt ad vitam beatam vita naturę conueniẽs pertineat: itaq; eius etiam efficiẽtia pertinebunt, nec in virtute ad illam tuendam præsidij satis erit: sin dicant, aliud quid præter beatitudinem, eadem & ad id accommodabitur ratio, itaque nunquam finem oratio reperiet. Longa hæc sunt, sed non inutilia, tum ad verborum, tum ad rerum cognitionem. Paucis enim nota est Stoicorum ratio.

Sed si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine.

Itémq; ad alterum si morbus non adiungatur, adiungatur verò ad alterum valetudo, Stoici, & Peripatetici etiam in hoc consentientes, sumpturum sapientem id honestum potius, quò valetudo, siue quid aliud è genere commodorum adiectũ sit, dixerunt. Ac verba quidem, quibus id Aristoteles docuerit, libro tertio exposuimus: Alexandrum audiamus qui id Stoicos sensisse tradit, λέγουσι γὰρ, inquit, εἶναί τινα προηγμένα τῷ σοφῷ καὶ ἀξίαν ἔχοντα, καὶ οἰκεῖά τινα καὶ ἐπισπαστικά, ἀλλὰ καὶ δίχα κειμένων ἀρετῆς τοσῶν τούτοις, καὶ ἀρετῆς μόνης, μηδέποτε αὖ τὸν σοφὸν τὴν κεχωρισμένην ἑλέσθαι, εἰ ἐξὸν αὐτῷ δυνατὸν τὴν μετὰ τῶν ἄλλων λαβεῖν. Quę verba hác habent sententiam, Nam Stoicis placet, esse quæ aliis sapiens præponat, quęque aliqua æstimatione digna iudicet: esse item apta quædam & accommoda naturæ, & que aliis pręstẽt & excellant: quinetiam si duo proponantur, quorum alterum virtus cum illis iuncta, alterum virtus sit sola, nequaquam sapientem partem eam sumpturum quæ simplex sit & separata: si modo alteram quę cum alijs iuncta est, sumere posit.

Sed tamen tantam vim esse honestatis, tãtumque eam rebus omnibus.

Sumus enim natura, vt alio loco ait, studiosissimi appetentissimique honestatis: cuius si quasi lumen aliquod aspexerimus, nihil est quod vt eo potiamur, nõ parati simus & ferre & perpeti. Ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem atque honestatem, illa pericula adeuntur in prœliis: non sentiunt viri fortes in acie vulnera: vel si sentiunt, se mori malunt, quàm tantummodo de dignitatis gradu dimoueri. Vt etiam ait pręclarè Aristoteles, Nihil tam esse firmum, nihil tam constãs, quàm virtus ipsa. Et Plato, Si facies honesti videatur, eam mirabiles sui excitaturam amores.

Zeno autem quod suam, quòd propriam speciem habeat, cur appetẽd.

Sic enim lib. 3. secundum Zenonem Cato bonum definiuit, quod vi sua & dignitate expetendum est: & post Diogenem, id quod est natura absolutum. Id Aristoteli, vt diximus, χαύτη ἤ, τ κα' τος αἱρετὸν dicitur, sed pręter illud idem alia in bonis numerat, quæ non bona Zenoni, sed προηγμένα, ληπτὰ vel οἰκεῖα dicuntur. quę nõn rerum est, sed verborum discrepantia. Nam quę in secundo genere bonorum Aristoteles ponit, ea longè inferiora, quàm quę in primo ducit: digna tamen quę appetãtur, sumantur, & habeantur, esse.

Quibuscum re conueniebat, verbis discrepare.

Non. Marcellus pro CONVENIEBAT, legit, CONCINNABATVR. sic enim

ait, Concinnare est facere. Sed proprietas verbi hæc est, quòd apud veteres Cinnus potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet. Deinde subdit, Rectè autem concinnare & consentire intelligi potest, & quasi concinere, vt multis diuersé canentibus, vnus efficitur modus. M. Tullius de Finibus Bon. & mal. lib. 4. Cũ iis cum quibus re concinnabatur, verbis discrepare. Vetus codex habet, CONCINERET.

Nobis enim ista quæsita, à nobis descripta, notata, præcepta sunt.

Veteres cùm Academici, tum Peripatetici, multa de Rep. scripserunt, multa de legibus. Omnium enim, vt lib. 5. dicetur, non Græciæ solùm, sed etiam Barbariæ ab Aristotele mores, instituta, disciplinas: à Theophrasto leges cognoscere licuit. Quũque vterque eorum docuisset qualem in Rep. Principem esse conueniret, pluribus prætereà quum scripsisset qui esset optimus Reipub. status: hoc amplius Theophrastus, quæ essent in Rep. inclinationes rerum & momenta temporum, quibus esset moderandum, vtcunque res postularet. Qui libri vtinam ad nostram cognitionem venissent, sed cum infinitis aliis iniuria temporum perierunt. Quæ de Rep. & legibus Plato scripsit, fermè omnia habemus. MAXIME ornamento est] vetus, MAXIMO ornamento est. Quod Aristoteles ad Alexandrum scribit, ὥσπερ γὰρ ἴδιόν τι προσδάξεις τὴν ὑπερτεταμένην τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἔχειν, οὕτω δύναμιν λόγων λαβεῖν ἐστί σοι πειρατέον τὴν ἐνδοξοτάτην. πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι καὶ βασιλικώτερον τὴν ψυχὴν ἔχειν εὐγνωμονοῦσαν, ἢ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾶν ἐναρμόττουσαν. Significat autem Cic. in Bruto quantum Cato eloquentia valuerit. Quis illo, inquit, grauior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserẽdoque subtilior? Refertæ sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc inuenerim & legerim, & verbis, & rebus illustribus: licet ex his eligant ea, quæ notatione & laude digna sint, omnes oratoriæ virtutes in eis reperientur. NISI ET TE audire nunc vellem] vetus, MALLEM.

Quippe qui primùm valetudinem bonam expectandam negent esse.

In vetusto est ita scriptum, QVIPPE qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant: nec quia bonum sit, &c.]Quæ expetenda, quæque eligenda Stoicis dicãtur, suprà sæpe diximus: itemque de eo quod sequitur, adiunctis corporis siue fortunæ commodis ad vitam beatam, eam esse magis expetẽdam, quid vtraque disciplina senserit. QVASI BARBARI]alij melius, BARBATI. Et apparet, inquit Erasmus, apud Romanos prouerbiali ioco, Barbatos dici cõsuesse, homines priscis ac simplicibus moribus rusticanæque veritatis: quòd illic serò receptum sit barbam radere aut tondere. Huc spectat, quod ait Iuuenalis, Facile est barbato imponere Regi.

Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi vti solent, dissimillimas

Reprehendit quoque Plutarchus huius Stoicorum similitudinis dissimilitudinem: idque eo in libro in quo περὶ κοινῶν ἐννοιῶν contra Stoicos disputat: vbi verbis eorum prolatis, quæ libr. 3 quia à M. Tullio conuersa erant, adscripsimus, ὅτι μὲν οὖν, inquit, οὔτε τυφλοῖς ἐοίκασιν οἱ προκόπτοντες, ἀλλ' ἧττον ὀξυδορκοῦσι, οὔτε πνιγομένοις, ἀλλὰ νηχομένοις, καὶ ταῦτα πλησίον λιμένος, αὐτοὶ διὰ τῶν πραγμάτων μαρτυροῦσι. οὐ γὰρ ἂν ἐχρῶντο συμβούλοις, καὶ στρατηγοῖς, καὶ νομοθέταις, ὥσπερ τυφλοὶ χειραγωγοῖς, οὐδ' ἂν ἐζήλουν ἔργα, καὶ πράξεις, καὶ λόγους, καὶ βίους ἐνίων, εἰ πάντας ὡσαύτως πνιγομένους ὑπὸ τῆς ἀφροσύνης καὶ μοχθηρίας ἑώρων. Quorum hęc est sententia, Atque illos quidem qui in virtute processerunt, similes non esse cæcis, sed iis potius, quorum hebes est acies oculorum: nec iis qui demersi sunt in aqua, sed iis qui ex alto emerserũt, ipsi iidem factis suis confirmant. Non enim perinde vterẽtur iis qui consilio valẽt,

qui rei militaris disciplina, quique legum peritia, atque cæci viã monstrantibus vtuntur: neque etiam aliorum facta & actiones, dicta, genúsque viuendi ad imitandum sibi proponerent, si æquè omnes in insipientia ac improbitate demersos esse sentirent. NIHIL ENIM adiuuat] vetus, NIHIL IGITVR.

Quoniam in aqua nihil adiuuat, & quoniam catuli qui iam despecturi.

Similes non sunt qui in virtute & moribus processerunt, & qui non processerũt, iis qui in alto demersi sunt, & qui ad aquam summam adpropinquant. In aqua enim ad respirandum nullum est momentum, siue alta sit, siue non sit. at in virtute magnũ est momentum. gradibus enim quibusdam virtus acquiritur: quandoquidem habitus animi est, qui ex frequentibus generari solet actionibus. Itaque qui maiores in virtute progressus habet, non æquè miser dici debet, atque qui nullos adhuc adeptus est. QVONIAM nondum videbat æquè cæcum animo ac Phalarim fuisse] vetus exemplar habet, QVONIAM nondum videbat sapientiam, æquè cæco animo ac Phal. &c.

Illa sunt similia: hebes acies est cuipiam oculorum, corpore.

Quemadmodum enim qui aut ex oculis laborat, aut ex alia corporis parte, si medicina adhibeatur, paulatim leuatur, & in dies morbus decrescit, & valetudo augetur: ita qui aliquoties virtutis exercuit officia, tametsi nondum sapiens euasit, habet tamen virtutis intia: quæ si longius progrediantur, vitia sensim extirpabunt omnino, & vitam adferent beatam. HIS SIMILES sunt omnibus] vetus habet, HIS SIMILES sunt omnes.] De Gracchis patre & filiis, item de Druso quem hic auum Catonis Cicero, nisi menda sit, quod nonnulli volunt, facit, Plutarchus Appianus, Liuius & alij scripserunt.

Vestri autem progressionem ad virtutem fieri aiunt, leuationẽ vitiorũ.

Plutarchus eius initio libelli, quem inscripsit, Quo pacto quis sentire posit an ad virtutem progressum habeat, hanc Stoicorum attingit senteutiam. Quam, inquit, rationẽ inuenire quis posit, vnde se meliorẽ euasisse sentiat, εἰ μηδὲ μίαν αἱ προκοπαὶ ποιοῦσι τῆς ἀφροσύνης ἄνεσιν, ἀλλ᾽ ἴσῳ σταθμῷ πᾶσιν ἡ κακία περιθεμένη, μολιβδὶς ὥσπερ δίκτυον, κατάγει, siquidem vitiorum leuatio nulla fit iis qui habent ad virtutem progressionir aliquantum, sed pari omnes momento (veluti plumbo rete) vitio si aliquo teneantur, deprimuntur? Idem alio loco, quod etiam, si bene memini, suprà protuli, τοῖς ἐπ᾽ ἄκρον προκόπτουσιν, ὡς οὗτοι λέγουσιν, οὔτε κουφισμὸς, οὔτε αὐτοῖς ἐστιν, οὔτε ἀναπνοὴ τῆς ἀβελτηρίας καὶ κακοδαιμονίας. Etiam qui summam progressionem ad virtutem fecerint, vt Stoici arbitrantur, iis neque vlla miseriæ leuatio, neque remissio, neque malorum summorum respiratio fit.

Quarum, inquiunt, artiũ summa crescere potest, earum etiã contrariarũ.

Vetus codex, QVARVM, inquit, artium summa crescere possunt.] Probatio est Stoicorum, quod vitia siue vitiorum extremum, quam ἀφροσύνην, id est, insipientiam & miseriam appellant, crescere non posit, nec imminuere: quæ sumitur à contrariis ratio. Eam reprehendit Cicero, quòd ex iis quæ minimè cõcessa sint & perspicua, progrediatur. Non enim min⁹ obscurum est, virtúsne crescere posit, quàm, vitiúmne augeri. Intelligamus autem Stoicos virtutem dixisse, τέχνην εὐδαιμονίας ποιητικὴν, ne miremur quòd virtutem & vitia subiiciat artibus.

Si enim propterea vitia alia aliis maiora non sunt, quia ne.

Reprehensio rationis Stoieorum à contrario consequentis. Cõcludebãt enim vitia paria esse, quia extremũ bonorum amplificari non posset: contra concludit Cicero, si vitia paria non sint, sequi extremum bonorum amplificari posse: quòd si amplificari posit, iam Stoicorum de eo quòd ad virtutis summã nihil accedere posit, sen-

tentiam dimotam esse: qua sublata, totam corruere disciplinam. Sic enim aiunt, si vna litera commota de tota disciplina sit, fore, vt omnis labet. Illud ergo tenẽdum est, quod suprà ex Stoicorum, id est, acutissimorum dialecticorum, & Aristotelis sententia recitauimus, Si consequens aliquod falsum conuincatur, illud cuius id consequens fuit, non posse esse verum. Debet enim ratiocinatio ex veris & concessis progredi: quod si fiat, non aliud, nisi quod verum sit consequetur.

Quæ diligentißimè contra Aristonem dicuntur à Chrysippo.

Huius disputationis Chrysippi contra Aristonem, plura Galenus lib. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis: vbi ait eum re vera labefactasse Aristonis sentẽtiam. Verum, inquit, nescio, quo pacto eum reprehendere ausus sit, qui eiusdem propositi, nominibus duntaxat mutatis, est defensor. Quòd autem media illa virtutis & vitij Aristo exæquauerit, id est omnia tollere officia vitæ, quæ in illis aut sumendis, aut reiiciendis versentur. Sicut enim nulla ars est, quæ munus suum efficere possit, nisi habeat & instrumenta & materiam, quam tractet: ita virtutis nulla existet actio, nisi & quibus quasi instrumentis, & quibus in rebus versetur, habeat. Quod antè ait, PEDEM vbi poneret non habebat, prouerbium est Ciceroni familiare, καθ' ὑπερβολὴν dictum, pro eo quod est, ne tantillum quidem supererat, in quo versaretur. Versus quem ex Accio citat M. Tullius, variè in codicibus legitur. Alij habẽt, EX EA difficultate illæ fallacis loquelæ, vt ait Accius, malitiæ natæ sunt.] alij, FALLACI loquelæ, quod habet noster vetus. Alij malũt, FALLACILOQVAE. Sed vera lectio ea esse videtur, quam reperimus apud Non. Marcellum, in hunc modũ, QVAE diligentissimè contra Aristonem dicuntur à Chrysippo ex ea difficultate illæ fallaciloquentiæ, vt ait Accius, malitiæ natæ sunt.] vt sit in gignendi casu, FALLACILOQVENTIAE.

Illa autem simplicia, vestra versuta.

Aristo apertè fatebatur in iis quæ inter virtutem & vitium media posita sunt, nullam esse causam cur hoc potius, quàm illud, expeti deberet, aut non expeti: sed ita omnia exæquabat, vt nullum delectum relinqueret. Stoici verò hanc sententiam dum tueri non audent, in vicinia constituerunt illa quidem in bonis aut malis, expetendis aut fugiendis non numerantes, sed in sumendis aut reiiciendis: ita tamen vt nihil ad nos pertinere, nullumque in vitæ beatæ partibus locum habere voluerint.

Media illa, inquit, inter quæ nihil interest, tamen eiusmodi sunt.

Ea mediorum diuisio lib. 3. est exposita. Voluerunt enim Stoici, τῶν ἀδιαφόρων quæ media appellant, alia esse προηγμένα, alia ἀποπροηγμένα, alia μήτε προηγμένα μήτε ἀποπροηγμένα. Id reprehendit Cicero. Si sint ἀδιάφορα, id est, nihil in iis sit quod intersit, quid est quod ais alia sumenda, alia reiicienda? profectò iste delectus sumendorum & reiiciendorum, temere & sine causa fieri non potest: fieret autem, si ea essent indifferentia. Inconsideratè verò & temere quid non facit sapiens. Aut igitur ea non eliget, aut inter ea quicquam interest: alioqui ait Peripateticus ille, γελοῖος ἂν εἴη ἐκλεγόμενος μὲν αὐτὰ, πρὸς οὐδὲν δ' αὐτῶν ἀναφέρων τὴν ἐκλογὴν, ridiculus futurus sit, qui ea leget, quorum selectionem nusquam aliò referat. SED PRAEPOSITA aut præcipua, malo sit tolerabilius & mollius] melius alij codices, SED præposita aut præcipua malo: sic tolerabilius & mollius.

Itaque illa non dico me expetere, sed legere: ne optare, sed sumere.

Ad hunc modum Plutarchus contra Stoicos etiam disputat, ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἐν τούτοις ἔμειναν ὡς αἱρετὸν, καὶ ἀγαθὸν, καὶ ὠφέλιμον, ἢ τὴν ἀρετὴν προσλαβόντες αὐτοῖς εἰσφέρουσαν, οἰκείως χρῆσιν ἑκάστῳ, τέλειον ἐκ τούτων καὶ ὁλόκληρον ὥστε συμπληροῦν βίον, καὶ συμπεραίνειν τὴν ἀληθῶς τῇ φύσει πρόσφορον, καὶ συνῳδὸν ὁμολο-

γίαν ἀποδιδόντες. οὐ γὰρ ὥσπερ οἱ τῆς γῆς ἀφαλλόμενοι καὶ καταφερόμενοι πάλιν ἐπ' αὐτὴν ἐπανεφέροντο, τὰ αὐτὰ πράγματα λεπτὰ καὶ οὐχ αἱρετά, καὶ οἰκεῖα, καὶ οὐκ ἀγαθά, καὶ εὔχρηστα δέ, καὶ οὐδὲν μὲν πρὸς ἡμᾶς, ἀρχὰς δὲ τῶν καθηκόντων ὀνομάζοντες. At verò illi quidē (Aristotelē, Theophrastum, Xenocratē, & Polemonē intellige) his in rebus vt expetendis, bonis, & vtilibus mãserunt: atq; virtute assumpta, quæ illas tractet, quæque aptè & accommodatè omnes in suum vsum adhibeat, perfectam iis & absolutam compleri vitam existimant: atque ita ratione colligunt, vt illic statuant collocatam naturę congruam & consentaneam ὁμολογίαν, id est, conuenientiam. Non enim ij erant, qui veluti è terra resilientes, & rursus eò recidentes, omnia turbarent, res easdem dicentes non expetendas, sed sumendas: non bonas, sed naturæ accommodatas: non vtiles, sed commodas: nec ad nos quicquam pertinere, initia tamen officiorum esse.

Reliquique Platonis alumni: se omnia quæ secundum naturam sint.

Ita Plato in Cratylo appellatum fuisse ἀγαθὸν dicit, τὸ τῆς φύσεως πάσης ἀγαστόν, id est, quod naturæ omni gratum sit & placens: vnde vult nomen ductum esse: vt sit ἀγαθὸν, quasi ἀγαστόν.

Facetè M. Piso familiaris noster, vt alia multa, & hoc loco Stoicos.

Fuit enim cùm Græcis doctrinis eruditus M. Piso, tum habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limauerat, quod erat in reprehendendis verbis versutum & solers, sed sæpe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum, vt ait M. Tullius in Bruto.

Præpositum, ex eo credo, quod præponatur aliis.

Προηγμένον παρὰ τὸ προῆχθαι. Huius verbi faciendi rationem secundum Zenonem, exposuit Cato. Vt enim, inquit, nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (idem enim est προηγμένον) sed eos qui in aliquo honore sunt, quorum ordo proximè accedit, vt secundus sit ad regium principatum, sic in vita non ea quæ primario loco sunt, sed ea quæ secundum locum obtinent, προηγμένα, id est, producta nominentur. Et supra citauimus Peripatetici Aphrodisiensis verba, quibus Stoicos vrgebat, πᾶν τὸ προηγμένον πρός τι προῆκται.

Nam ex iisdem verborum præstigiis & regna nata vobis sunt & imp.

Sæpissimè Cicero hæc Stoicorum paradoxa ob oculos ponit, quod non probentur in vulgus, & odium disciplinæ creent ac inuidiam. Illa aliquando Cicero quum pro Muræna, quem accusauerat Cato, diceret, Catoni iucundissimè obiecit, vt eius authoritatem qua prægrauabatur L. Muræna, extenuaret. Cuius loci quia hic memini, indidem verba descripta audiamus. Fuit enim, inquit, quidā summo ingenio vir Zeno, cuius inuentorum æmuli Stoici nominantur: huius sententiæ sunt etiam & præcepta eiusmodi, Gratia sapientem nunquam moueri, nunquam cuiusquam delicto ignoscere. Neminem misericordem esse, nisi stultum & leuem. Viri non esse neque exorari, neque placari. Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos: si mendicissimi, diuites: si seruitutem seruiant, reges. Nos autem qui sapientes non sumus, fugitiuos, exules, hostes, insanos denique esse dicunt. Omnia peccata esse paria: omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceū, cùm opus non fuerit, quàm qui patrem suffocauerit. Sapientē nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Hoc homo ingeniosissimus M. Cato authoribus eruditissimis iter edoctus, arripuit, neque disputandi causa, vt magna pars, sed ita viuendi, &c. SOLVM LIBERVM, solum ciuem, omnia contraria stultis] alij malunt, SOLVM ciuem, stultorum omnia contraria.] Verum videtur, SOLVM CIVEM: omnia contraria stultos, quos etiā, &c. NON ERGO

tecum iam ita loquar)vetus codex, NON ERGO tecum iam iocabor.

Quia nec honesto quicquam honestius,nec turpi turpius.

Hoc argumentum latissimè fusum est & explicatum tertio Paradoxo, Quod si virtutes,inquit,pares sunt,inter se paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, quum nec bono viro meliorem,nec temperante temperatiorem,nec forti fortiorē,nec sapiente sapientiorē posse fieri:facilè potest percipi. An virum bonum dices,qui depositum nullo teste,quum lucrari impunè posset,auri pondo decem reddiderit,si in decem milibus pondo auri non idem fecerit? Aut temperantem eū, qui se in aliqua libidine continuerit,in aliqua effuderit? Vna virtus est consentiens cum ratione & perpetua constantia. Nihil huic addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi,vt virtutis nomen relinquatur. Etenim si bene facta,rectè facta sunt, & nihil recto rectius,certè nec bono quidem melius quicquam inueniri potest. Sequitur igitur,vt etiam vitia sint paria: siquidem prauitates animi rectè vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, rectè etiam facta quando à virtutibus proficiscuntur, paria esse debent. Itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est.

Vt,inquit,in fidibus pluribus,si nulla earum ita contenta numeris sit.

Est hic locus aliter paulò scriptus in vetusto codice, quàm in impressis: in hunc quidem modum, VT, INQVIT, in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta neruis sit,vt concentum seruare possit,omnes æquè incontētæ sint:sic peccata quia discrepant,paria sunt. Igitur hîc ambiguò ludimur, Aequè enim,&c. Est autē hæc Stoicorum probatio à simili:quam reprehendit,quòd ex ambiguo concludat. Quū enim dicitur, Si nulla fides ita contenta est,vt concentum seruet,omnes ęquè incontentæ sint necesse est:particula ABQVE ad nomen OMNES referri potest,vt sit sensus, Aequè contingit omnes,vt incontentæ sint:& ita non efficitur, quod Stoici volunt,peccata paria esse:sed tātum inde colligere posiis,pariter esse peccata, id est, similiter peccati nomine omnia appellari. Si verò illud ABQVE, ad verbum INCONTENTAS pertineat,iam quod assumitur,falsum est: & ita consequens necessariò verum esse non concluditur. Debet enim omnis ratiocinatio,quæ fidem factura sit,ex veris & concessis proficisci. Præclarè M. Tullius hanc ἀμφιβολίαν dissoluit:qua in re quantum arte differendi valuerit,satis ostendit.

Vt enim,inquit,gubernator æquè peccat,si palearum nauem.

Aliud simile:quod in Paradoxis concisè admodum persecutus quoque est Cicero,Auri nauem euertat gubernator,an paleæ,in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Dissimile ostendit, Ad gubernandum nihil interest quid nauis portet:at plurimum ad rectè faciendum interest,cui,cuius gratia,quando quicquam fiat. Hæc enim omnia non parua momenta habent,spectarique ei debent, qui in iis præclarè se gerere velit. Nam prudenter cùm omnia sint agenda, qui temporū occasiones,personarum opportunitates,rerum momenta non perpenderit,is suum munus rectè non possit exequi.

Quoniam,inquiunt,omne peccatum imbecillitatis & inconstantiæ est.

Alia collatio,quam reprehendit,quòd falsum assumat,nec ex perspicuis progrediatur. Non enim magis notum est,in stultis vitia æquè magna esse, ac paria omnia esse peccata. Laërtius hoc exponens decretum de peccatorum æqualitate,duo quędam alia similia adfert. sic enim inquit, ἀρέσκει τε αὐτοῖς ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ἠθικῶν ζητημάτων, καὶ Περσαῖος καὶ Ζήνων. εἰ γὰρ ἀληθὲς ἀληθοῦς μᾶλλον οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ψεῦδος ψεύδους, οὕτως οὐδὲ ἀπάτη ἀπάτης, οὐδὲ ἁμάρτημα ἁμαρτήματος. καὶ γὰρ ὁ ἑκατὸν σταδίους ἀπέχων Κανώβου, καὶ ὁ ἕνα,

ἐπί γης οὐκ εἰσὶν ἐν Κανώβῳ, οὕτω καὶ ὁ πλεῖον, καὶ ὁ ἔλαττον ἁμαρτάνων, ἐπίσης οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ κατορθοῦν. Ii quoque, inquit, placuit esse paria peccata, vt ait lib. 4. Quæstionũ de Morib. Chrysippus, Persæus item & Zeno. Nã si nihil vero verius est, & nihil falso falsius, statim sequitur, vt etiam pares sint prauitates, pariaque peccata. Etenim vt qui centum stadiis abest Canobo, nihilo magis est Canobi, quàm qui vno stadio abfuit: ita qui plus, & qui minus peccauit, æquè ab honesto & rectè facto desciuerunt.

L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius is est condemnatus rogatione.

Asconius ex oratione Ciceronis pro M. Scauro verba ista citat, Si mehercule, iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem vnum ex omni memoria sceleratissimũ & audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem venenum hospiti aut coniuræ si diceretur. Quæ ille explicans, Lucius, inquit, hic Tubulus Prætorius fuit ætate patrum Ciceronis: is propter multa flagitia cùm de exilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. De eo etiam huius operis lib. 2. dictum est. VT QVO hæ maiores minoresue sint, eo quoq; peccata in his rebus aut maiora sint aut minora.] Vetus habet, EO QVAE PECCENTVR in his rebus, &c.

Quid enim est tam repugnans, quàm eundem dicere, quod honestũ sit.

Disputans contra Stoicos Peripateticus ille Alexander, quòd virtus non sit satis ad bene beateque viuendum, ex eodem progreditur argumento, quòd Stoici faterẽtur rerum ad vitam accommodatarum appetitionẽ, & veluti ad eas conciliationem, homini esse: idcirco solam virtutẽ, id est, quod honestum sit, bonorum finem esse nõ posse. Sic autem ait, Εἰ μηδὲν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ, οὐδ' ἄλλη τις τέχνη τῶν ὑπ' αὐτῆς γινομένων μάτην τι ποιεῖ, ἀλλ' ἕκαστον τῶν ὑπὸ τέχνης γινομένων συντείνει πρὸς τὸ οἰκεῖον αὐτῆς τέλος. τέχνη δέ τις θεία ἐστὶν ἡ φύσις. ὥστε καὶ τὰ ἀπ' αὐτῆς γινόμενα συντείνει αὖ πρὸς τὸ οἰκεῖον τῷ ἐν ᾧ γίνεται τέλος. οἰκειοῦσα δὲ ἡμᾶς πρός τε τὰ σωματικὰ καὶ ἐκτὸς ἀγαθά. συνέργα ἄρα καὶ ταῦτα πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ἡμῶν τέλος, καὶ οὐ μάτην ἡ οἰκείωσις ἡ πρὸς ταῦτα. οὐκ ἄρα αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς τὸ κατὰ φύσιν τοῦ ἀνθρώπου τέλος, εἴγε μήτε πρὸς τὴν κτῆσιν, μήτε πρὸς τὴν τήρησιν τούτων πρὸς ἃ ἐκ φύσεως οἰκειώμεθα, ἐστὶν αὐτάρκης. Eorum sententia est, Si nihil natura sine causa facit, vt non facit: quandoquidem ne vlla quidem ars alia est, quæ temerè rei alicuius efficiens dicatur, sed singulæ quod efficiunt, id omne ad artis proprium finem conducit: Ars verò quædam diuina, natura est: profectò quæ data sunt à natura, ea ad eius finem cui tributa sunt, valeant necesse est. Atqui naturâ sumus accommodati & applicati ad bona tum corporis, tum fortunæ: sequitur ergo vt ea ad nostrum finem tuendum pertineant, nec sine causa ad illa apti simus, & cõciliati. Ex quo fit, vt sit necesse in virtute satis non esse, vt hominis naturæ consentaneus finis compleatur: siquidem neque ad adeptionem, neque ad custodiam rerum illarum, ad quas naturâ sumus applicati, virtus sufficiat. DVM SIBI euelli ex ordine nolunt] alij habent, EX ORB.

Scrupulum, inquam, abeunti, sed videbimus.

Docet simillimum esse prouerbium huic Erasmus, quo dicimus infixo iaculo fugere aliquem. Quod in eos quadrat, qui dicto conuitio, seu maleficio quopiam peracto, aut etiam velut oraculo quodam pronuntiato, vt aliis coniectandi materiam præstent, discedũt. Sic hoc loco Cicero sibi disputandi finem facienti scrupulum dicit immissum, quia Cato nihil Peripateticorum probare se dixit: quod tamen hac tota oratione efficere contendebat. Vnde iterum illi refellendi molestia suscipienda sit, & sua probandi labor. Solet enim scrupulus molestus esse ambulantibus.

OBSERVATIONVM GVLIELMI MORELII IN M. T. CICERONIS LIB. QVINTVM DE *Finibus bonorum & malorum, Commentarius.*

LIBRO hoc postremo veterum Academicorum, & Peripateticorum, qui quondam iidem erant qui Academici, sententia de bonorum & malorum finibus, à prima naturæ institutione explicatur. Tribuitur autem ista explanatio M. Pisoni, qui plurimam Stasea Neapolitano Peripatetico nobili operam in literis collocauerat: mensesque aliquot cum Antiocho veteris Academiæ prudentissimo Philosopho versatus fuerat: idque Athenis, vbi hæc habita aut est, aut fingitur, disputatio. Proœmium autem variarum rerum quæ deambulantibus occurrebant, sermonem continet: Et tandem in L. Ciceronis adolescentis gratiam, inchoatur Peripatetici Pisonis oratio: quæ quidem vt certè non multum aberrat ab iis quæ scripta in Aristotelis commentariis & Platonicis videmus, ita & posteriorum, quantum coniectura assequi possum, ratione potißimum sequitur: qui vt obsisterent Stoicis, quos graues hostes senserunt, summi boni à paruulorum prima cõmendatione explicationem inchoare opus habuerunt. Quam viam & rationem per totum hunc librum de Finibus, tenuit M. Tullius.

Quum audissem Antiochũ Brute, vt solebat, cũ M. Piso.

HVius rei meminit in Bruto, his verbis, Quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho veteris Academiæ nobilissimo & prudentissimo philosopho fui, studiumque philosophiæ nunquam intermissum, à primaque adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo authore & doctore renouaui. Ptolemæum autem gymnasium est Athenis, à conditoris nomine nuncupatum: in quo spectatu digni lapides tum visebantur, Mercurij, & æneum Ptolemęi simulachrum, & Libycus Iobas, & Chrysippus Solensis. POSTMERIDIANAM] alij, POMERIDIANAM. quod vsitatius ait in Oratore Cicero, Impetratum est à consuetudine, vt peccare suauitatis causa liceret, & pomeridianas quadrigas q̃ postmeridianas libentius dixerim, & mehercule, quàm mehercules.

Inde vario sermone sex illa à Dypilo stadia confecimus.

Liuius lib. 1. Decadis quartæ, Dypilon esse dicit Athenis portam, quæ velut in ore vrbis posita maior aliquanto patentiorque quàm cæteræ, est, & intra quã extraq; latæ sunt viæ, vt & oppidani dirigere aciem à foro ad portam possent: & extra limes mille fermè passus in Academiæ gymnasium ferens, pediti equitique hostium liberum spacium præberet.

Quum autẽ venissemus in Academiæ non sine causa nobilitata spatia.

Academia enim antea locus erat νοσώδης, pestilens & desertus: sed Platonis & cæterorum Academicorum frequẽtia celebris euasit. Anteà dictum fuisse Ἑκαδημίαν tradunt. Nomen sumpsit locus ab Academo quodam heroe: vnde Eupolis, εὐσκίοις δρόμοις Ἀκαδήμου θεοῦ appellat, id est, vmbrosa Academi herois spatia: & Horatius ait,
Atque inter syluas Academi quærere verum. Non procul autem ab Academia, quæ extra vrbem erat, tumulus fuit Platonis, quem fortasse hortulorum nomine Cicero intelligit. Liuius ait Tullum Hostilium templum ordini ab se aucto, curiam fecisse, quæ Hostilia appellata est.

Tanta vis admonitionis inest in locis, vt non sine causa ex his memor.

Artificiosam memoriam ex locorum ordine fertur Simonides reperisse: de qua tradunt Rhetores præcepta: eamque constare volunt locis & imaginibus: et ĩ comparetur cum scriptura, locos chartæ imagines, literarum rationem habere.

Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur.

Coloni duo Athenis fuerunt, alter Hippios dictus, ad quem primum venisse Oedipodem aiunt: in eoque habitasse Sophoclem. Alter erat in foro, iuxta Eurysaceum, quo mercenarij conueniebant. Sophocles in iudicium vocatus, vt illũ quasi desipientem à re familiari remouerent iudices, tum senex fertur eam fabulam, quã in manibus habebat, & proximè scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quæsisseque, num illud carmen desipientis videretur: quo recitato, sententiis iudicum est liberatus. Hæc tragœdia extat, in cuius initio mollissimum est carmen, quod ait,

Τέκνον τυφλοῦ γέροντος Ἀντιγόνη, τίνας
Χώρους ἀφίγμεθ', ἢ τίνων ἀνδρῶν πόλιν;
Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ' ἡμέραν,
Τὴν νῦν, σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασι,
Σμικρὸν μὲν ἐξαιτοῦντα, τοῦ μικροῦ δ' ἔτι
Μεῖον φέροντα; καὶ τόδ' ἐξαρκοῦν ἐμοί.

In Epicuri hortis quos modò præteribamus.

Meminit hortorum Epicuri Laertius: aitque vndique ad Epicurum confluxisse discipulos, vt cum eo ἐν τῷ κήπῳ degerent: quem, inquit, sibi comparauerat, vt scribit Apollodorus, ὀγδοήκοντα μνῶν precio. Et Iuuenalis,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.

SPECIES quædam commouit inanis scilicet.] Vetus habet, INANITER.

Sed veteris prouerbij admonitu viuorum memini.

Viuorum oportet meminisse, vetus prouerbium est, in eos dici solitum, qui mortuos semper habent in ore: quod vulgo putatur ominosum. Plinius lib. 35. cap. 2. ait Epicuri vultus per cubicula gestari solitos ac circunferri Epicureis. Nonius Mar

cellus pro ANVLIS, hoc loco ANELLIS legit. Ex hoc enim loco docet verbum ANELLVS, doctis vsurpatum esse: quam certè lectionem in veteri codice etiam reperio.

Ita enim se Athenis collocauit, vt sit penè vnus ex Atticis.

Cùm sint ridicula & salsa multa Græcorum, præter cæteros tamen in eo genere Attici excelluerunt, vsqueadeò vt in prouerbium eorum festiuitas abierit, Atticus lepos, Attica eloquentia, Attica musa. Itaque Titus Pomponius ob longam consuetudinem, quam cum Atticis habuit, Attici eum cognomen habiturum esse auguratur: quod postea factitatum est: tanto enim dicendi lepore, tanta gratia & festiuitate valuit. Atque hoc est quod ad eundem scribens Cicero, ait, Te autem ἀσμλνίσατα intexui, faciámque id crebrius. Proximis enim tuis literis, primum id te non nolle cognoui. Ex quo illud, Pomponius noster iocari videtur. Et hoc extremo libro, Inquit Pomponius, iocans.

Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum.

Pythagoras ex earũ insularũ, quas eiectis Tyrrheniis Athenieñses occuparãt, vna originẽ duxit: siue, vt alij volũt, è Samo: vnde Samius dictus fit. Moritur verò Metaponti inedia, quia diutius viuere nolebat, confectus. Alij aliter tradiderunt. Vide itaque recténe legatur hoc loco, LOCVM VBI vitam ediderat: legẽdúmne potius, VBI VITAM reddiderat.] aut quid simile. TANTA ingenij magnitudine] vetus, TANTI ingenij. Item alij, LOCVM libenter inuisit] pro eo quod vetus, LOCVM diligenter inuisit.

Quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem.

Scribit enim Plutarchus de Demosthene, eum ab initio verba ad populum faciẽtem, turbas strepitumque ferre non potuisse: atque ab auditoribus spretum fuisse, ꝙ eius oratio confusa esset, & superuacaneis argumentis abundaret: quam rẽ cùm frustra mutare tentasset, à Satyro quodam histrione emendatum fuisse: vsqueadeò vt voce & actione alius q̃ anteà videretur. Qua ex re cùm intelligeret plurimũ ornamẽti & gratiæ orationi ex voce & actione accedere, locum quendam subterraneum (quẽ ait Plutarchus ad sua vsque tempora extitisse) fabricasse, in quem quotidie descendens, gestum ac motum corporis conformabat, vocemque emendabat. Quod autẽ hîc ait Cic. id Plutarchus sic extulit, λέγουσι δὲ αὐτὸν καπόντα ἐπὶ τὸ Φαληρικὸν πρὸς τὰς τῶν κυμάτων ἐμβολὰς, τὰς σκέψεις ποιεῖσθαι, ἵν' ὅπου τι θορυβοίη ὁ δῆμος, μὴ ἐκσταίη.

Quacunque enim ingredimur, in aliquam historiam vestigiũ ponimus.

Vestigium ponimus in aliquam historiam, vel vt in veteri scribitur, in aliqua historia, dixit, pro, attingimus: quod simile est ei, de quo lib. 4. Sapientia pedem vbi poneret, non habebat, sublatis officiis omnibus. Totum autem hoc dictum est καθ' ὑπερβολήν. fuit tamen totius orbis celeberrima, tum studiorum, tum studiosorũ nomine, Atheniensium ciuitas.

Te autem hortamur omnes, currentem quidem vt, spero.

Prouerbium est, Currentem incitare, τὸν τρέχοντα ὀτρύνειν., cùm ad id hortamur aliquem, quò sua sponte fertur. Cic. de Oratore, Facilius enim est, inquit, currentem, quod aiunt, incitare, quàm commouere languentem. Et in quadam ad Q. fratrem epistola, Atque hæc non dicuntur, vt te oratio mea dormientem excitasse, sed potius vt currentem incitasse videatur.

Tamen audebo te ab hac Academia noua ad veterem illam vo.

Academias tres facit Laërtius, Veterem, Mediam, & Nouam. Veteri autem præfuisse dicit Platonem: Mediæ Arcesilam: Nouæ Lacydem: Platoni verò successisse Speusippum & Xenocratem, cui Polemonem: Polemoni, Crantorem & Cratem:

his Arcesilam mediæ fundatorem: Arcesilæ Lacydem qui nouæ fuerit princeps. At Cicero duas tantum facit, nouam & veterem: nouæ quidem principem, Arcesilã: vt veteris, Platonem. TANQVAM ex omnium artium officina] vetus, OMNIVM artificum] quam lectionem Germani etiam adnotarunt.

Studet enim meus audire Cicero, quænam sit istius veteris, quam.

Apud Nonium legitur, SADSTANIM me vis audire Cicero, quęnam sit istius veteris, quam commemoras de finibus bonorum, Peripateticorúmque sententia. De Stasea Neapolitano li. 1. de Oratore scribit M. Tullius, Quòd si te Cotta, inquit, arbitrarer, aut te Sulpiti, de iis rebus audire velle, adduxissem huc Græcum aliquem, qui nos istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu est. Est enim apud M. Pisonem adolescentem iam huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostrique cupidissimũ, Peripateticus Staseas homo nobis sanè familiaris, &, vt inter homines peritos cõstare video, in illo suo genere omniũ princeps.

Nulla pars cœlo, mari, terra, vt poeticè loquar, prætermissa est.

Terra marique dicunt Oratores, cùm quid vniuersè volunt exprimere: addunt Poëtæ cœlo: propterea, vt poëticè dicam, subiunxit. Lucretius tria illa iungit,

Alma Venus cœli subter labentia signa
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes Concelebras.

Sed etiam necessaria Mathematicorum ratione concluderent.

Α᾽πόδειξιν. demonstrationem Philosophi appellant: Ciceroni autem mathematicorum ratio dicta est, quod vix in aliis disciplinis tam firmas reperire possis rationes, quàm in Mathematicis: in quibus vsqueadeò necessariæ apparent, vt nemo sit, qui diffidere illis velit. Huc accedit, quòd & verbum Græcum ἀπόδειξις, vt alia quã plurima, ex illis scientiis ad suas disputationes philosophi trãstulerũt. Propria enim sunt Mathematicorum verba, ὅρος, πρότασις, σχῆμα, ἀπόδειξις, διάστημα, &c. quibus Aristotelei vtuntur. In veteri codice vox, RATIONE, non adiungitur, ita ad vocabulum argumentationis, si hæc scriptura placet, respiciendum erit.

Animantium omnium ortus, victus, figuras.

Nonius Marcellus notat nomen VICTVS hoc loco esse positũ pro vita. Aristoteles autem non modò de vita, ortu, & figura animantium, sed etiam quibus partibus constent & quid agant explicuit. Extant libri de animalium historia, de ortu, & de membris eorundem. Item Theophrasti de plantarum natura, & de causis.

Differendique ab iisdem, non dialectica solùm, sed etiam oratoria.

In antiquo exemplari est, DISSERENDIQVE ab iisdem non dialecticè solũ, sed etiam oratoriè, præcepta sunt tradita.] Ars autem differendi non modò dialecticam, sed etiam rhetoricam complectitur: vt Græcis τὸ λογικὸν duas partes, τὴν ῥητορικὴν καὶ τὴν διαλεκτικὴν continet. Etenim, vt est in Bruto, dialectica quasi contracta & astricta eloquentia putanda: sine qua etiam iustam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi nemo possit.

Vt non contra omnia semper sicut Arcesilas diceret.

Arcesilæ disputandi rationem lib. de Orat. 3. Cicero indicat: vndeque hunc modum differendi sumpserit. Eius verba sunt, si quis requirat: Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibúsque Socraticis hoc maximè arripuit, Nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit: quem ferũt eximio quodam vsum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium: primúmque instituisse (quãquam id fuit Socraticum maximè) non quid ipse sentiret ostendere, sed contra id quod quisq; se sentire dixisset, disputare. Huius etiã rei meminit initio huius operis lib. 2. De Aristotelis ratione, suprà diximus.

Vitæ autem degendæ ratio, maximè quidem illis placuit quieta.

Id docet Aristoteles ἠθικοῖς Νικομαχείοις. loquens enim de Deo, τῷ δὴ ζῶντι, inquit, τοῦ πράττειν ἀφῃρημένῳ, ἔτι δὲ μᾶλλον τοῦ ποιεῖν, τί λείπεται πλὴν θεωρίας; ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη. καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δὴ ἡ ταύτῃ συγγενεστάτη, εὐδαιμονικωτάτη. σημεῖον δὲ καὶ τὸ μὴ μετέχειν τὰ λοιπὰ ζῷα εὐδαιμονίας, τῆς ἐνεργείας ἐστερημένα τελέως. τοῖς μὲν γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος. τοῖς δ' ἀνθρώποις, ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει. τῶν δ' ἄλλων ζώων οὐδὲν εὐδαιμονεῖ, ἐπειδὴ οὐδαμῇ κοινωνεῖ θεωρίας. ἐφ' ὅσον δὴ διατείνει ἡ θεωρία, καὶ ἡ εὐδαιμονία. καὶ οἷς μᾶλλον ὑπάρχει τὸ θεωρεῖν, καὶ εὐδαιμονεῖν. id est, Si viuenti agendi, aut etiam multo magis faciendi facultas detrahatur, quid reliquum esse posit, nisi contemplatio cognitioque rerum? Ex quo efficitur, vt beatitudine excellens Dei actio in contemplando posita sit: hominumque sit ea beatissima, quæ huius sit simillima. Quam rem cætera indicant animantia, quæ quia istius cognitionis expertia omnino sunt, idcirco beatitudinem adipisci non possunt. Deorum enim vita omnis beata est: hominum verò eatenus, quoad similitudine ad hanc actionem propius accedit, vita beata dici debet. At animantium reliquarum, nulla bene beatéque viuere posit, quia nulla est contemplationis particeps. Quò igitur & quantum fundit se contemplatio, eò & tantum vita beata funditur: in quibúsque plus cognitionis rerum & contemplationis inuenitur, in iis plus etiam vitæ beatæ inest. Item de quieta vita ab eodem laudata hoc sumpserunt Stoici, τὸ γὰρ ὄντι φαίνεται ὁ κατὰ τὴν ἡσυχίαν βίος ἀκίνδυνόν τι καὶ ἀσφαλὲς ἔχειν, οὐ πάνυ τῶν πολλῶν δυναμένων τοῦτο συνιδεῖν. Nã verè, inquit, vita quæ in otio & quiete degitur, extra omne periculum posita esse & tuta videtur: quòd multitudo rerum imperita, non admodum perspicere & intelligere potest. Quod attingit Cic. 1. de Officiis.

Quia duo genera librorum sunt, vnum populariter scriptum.

Primum genus appellabatur ἐξωτερικόν: quod vulgares continebat disputationes, & quæ erant scriptæ negligentius, adque captum popularem accommodatæ: quódque omnibus legendum proponebatur. In iis autem libris proœmiis Aristoteles vtebatur, vt ad Atticum scribit Cicero. Alterum genus ἀκροαματικόν, in quo philosophia remotior, subtiliorque tractabatur: id ad vulgi intelligentiam minimè aptũ erat. Priori generi exercendo vespertinum tempus, posteriori matutinum dabat: & quia vtroque tempore ambulans differebat, illum δειλινὸν περίπατον, hunc ἑωθινὸν nũcupabat. Quam rem latius Gellius lib. 20. cap. 4. persequitur.

Quod maximè efficit Theophrasti de beata vita liber.

Sententiam Theophrasti de vita beata hanc refert M. Tullius in Academicis: Theophrastus autem vir & oratione suauis, & ita moratus, vt præ se probitatẽ quãdam & ingenuitatem ferat, vehementius etiam fregit quodammodo authoritatem veteris disciplinæ. Spoliauit enim virtutem suo decore, imbecillámque reddidit, ꝙ negauit in ea sola positum esse beatè viuere. Item in Tuscul. Vexatur autẽ, inquit, ab omnibus. primum in eo libro, quem scripsit de vita beata, in quo multa disputat, quamobrem is qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non posit. In eo etiam putatur dicere, in rotam beatam vitam non ascendere. Nusquam id quidem omnino, sed quæ dicit, idem valent. Rursus de eodẽ loquens, paulò pòst, Vexatur idẽ Theophrastus & libris, & scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam, Vitam regit fortuna, non sapientia. Negant ab vllo philosopho quicquam dictum esse languidius. Inter opera Theophrasti hi duo libri numerantur à Laërtio, περὶ εὐδαιμονίας α. & Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους α.

Quare teneamus Aristotelem, & eius filium Nicomachum.

Nicomachum hunc scriptum est apud Suidam, libros sex de Moribus conscripsisse, & alia quædam de naturæ cognitione: propterea diligentius inquiramus, sint ne ista quæ in manibus omnes habent, Νικομάχεια ἠθικὰ, quæ in volumina decem diuisa sunt: quanquam aliquot eorum volumina iisdem scripta sunt verbis, quibus & quædam illorum quæ ad Eudemum conscripta feruntur. Verba quæ in Suidę commentariis sunt, ita habent, Νικόμαχος Σταγειρίτης φιλόσοφος, υἱὸς μὲν Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου, μαθητὴς δὲ Θεοφράστου, ἔγραψεν ἠθικῶν βιβλία ἕξ, καὶ περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

Primum Theophrasti Strato Physicum se dici voluit.

Strato genere Lampsacenus, Theophrasti scholæ successit: cuius ingenium paucis verbis sic Laërtius expressit, ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος καὶ φυσικὸς ἐπικληθεὶς ἀπὸ τοῦ τὴν θεωρίαν ταύτην, παρ᾽ ὁντινοῦν ἐπιμελέστατα διατετριφέναι. id est, Vir fuit ingenio acerrimo, cognomenque Physici, ob id quia ad naturæ inuestigationē totum se pręcæteris contulit, adeptus est. De eodem in Academicis Cicero de Theophrasto loquens, Nam Strato, inquit, eius auditor, quanquam fuit acri ingenio, tamen ab ea disciplina omnino summouendus est. Qui cùm maximè necessariam partem philosophiæ quæ posita est in virtute & moribus, reliquisset, totumque se ad inuestigationem naturæ contulisset, in ea plurimum dissentit à suis.

Huius Lysias & oratione locuples, rebus ipsis ieiunior.

Stratonis successorem dicit Laërtius Lyconem Troadenm, qui φραστικὸς ἀνὴρ, vt ipse ait, id est, vir eloquens, & in dicendo suauis fuit. Vnde plerique adiecta initio nominis eius libera Γ, hunc Γλύκωνα nominabant: sed in scribendo sui erat dissimilis. Ergo pro LYSIAS, hoc loco legendum, LYCO: vt etiam in veteri codice, quo vsus sum, scriptū est. Huius Lyconis fit mentio Tusculan. 3. Quid illa Lyconis, qualia sunt? qui ægritudinem extenuās, paruis ait eam rebus moueri, fortunæ & corporis incommodis, non animi malis. Sed & hanc Peripateticorum seriem, in eo libello quem de exilio conscripsit, recenset Plutarchus, οἱ τὴν περιπατητικὴν ἀσκήσιν μάλιστα καὶ τεθαυμακότες. Ἀριστοτέλης ἦν ἐκ Σταγείρων, Θεόφραστος ἐξ Ἐρέσου, Στράτων ἐκ Λαμψάκου, Γλύκων ἐκ Τρωάδος, Ἀρίστων ἐκ Κέω, Κριτόλαος φασηλίτης. Quibus verbis facile est intelligere, aut LYCO legendum esse, aut GLYCO. itemque quem dicat Aristonem Lyconis discipulum. Plures enim fuerunt Aristones.

Diodorus eius auditor adiungit ad honestatem vacuitatē doloris.

In Academicis ait finē bonorū Hieronymum censuisse, vacare omni molestia: hoc idem eum honestate Diodorum. Ambo hi, inquit, Peripatetici. Et in oratione quam pro Cælio dixit, quam nunc honestatem, dignitatem appellauit. Alij, inquit, eā voluptate honestatem coniungendam putauerunt, vt res maximè inter se repugnantes dicendi facultate coniungerent. Et certè in Tusculanis ait, honestatis, laudis, dignitatis & decoris nominibus vnā rem declarari. Isti ergo Philosophi, Diodorum & Hieronymum dico, quia doctorum suorum finem bonorum & malorum non retinuerunt, prodita ideo tota disciplina, ex Peripateticorum catalogo eximendi sunt: nec in summi boni explicatione, vllam habere debent authoritatem, quo minus veterum tum Academicorum, tum Peripateticorum valeat sententia.

Antiquorum autem sententiā Antiochus noster mihi videtur persequi.

Ea fuit, vt dicerent bonorum finem, Honestè viuere fruentem rebus his, quas primas homini natura conciliat. Sic enim, vt ait M. Tullius, vetus Academia censuit, vt indicant scripta Polemonis, quæ Antiochus probat maximè, & Aristoteles, eiúsq; amici nunc proximè videntur accedere.

Nam cæteris in rebus siue prætermissum, siue ignoratũ est quippiam.

Pars philosophiæ, quæ moralis vocatur, totius philosophiæ rationem continet. Siquidem in Physica sola oblectatio est: in hac etiam vtilitas. Itaque quoniam in disputando vitæ statu, formandisque moribus periculo maiori peccatur, maiorem diligentiam necesse est adhiberi, vt rectè constituamus, quò omnes vitæ actiones referamus. Illic enim potest venia concedi, si peccetur: quia si rectè aliquid dicitur, nihil prodest: si non rectè, nullum detrimentum sequitur. Hic verò nullus errori, nullus dissidio locus est omnes vnum sentire oportet: quia si quid fuerit erratum, vita omnis euertitur. Hæc Lactantius. Et in Academic. ait Cicero, Omnem rationem vitæ definitione summi boni contineri: de qua qui dissideant, de omni vitæ ratione diffidere.

Tantus error consequitur, vt quem in portũ se recipiant, scire nõ possint.

Metaphora à nautis portum ignorantibus. Vt enim qui portum quò se recipiãt, quò nauem dirigant, vbi nihil negocij cum vndis & ventis habituri sint, nesciũt, huc illuc vagantur, pro ventorum & fluctuum impetu: ita qui sibi certum non constituũt finem, quò suas omnes referant actiones, errent, nesciant, labantur, huc & illuc sine delectu ferantur, necesse est.

Est igitur quò quicque referatur, ex quo id quod omnes expetunt.

Aristoteles τ' ἀγαθὸν definit, οὗ πάντα ἐφίεται: dicitque eius cognitionem plurimum valere ad vitam degendam, quòd notato summo bono facilius huc omnia referentes, tanquam sagittarij signum intuentes, id assequemur. ἆρ' οὖν, inquit, καὶ πρὸς βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ μεγάλην ἔχει ῥοπήν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος. Ait idem alio loco, ὀνόματι μὲν οὖν σχεδὸν ὑπὸ τῶν πλείστων ὁμολογεῖται, περὶ δὲ τῆς εὐδαιμονίας τί ἐστιν ἀμφισβητοῦσι. id est, Ac quo nomine appellari beatitudo debeat, constitit ferè inter omnes: quid autem illa sit, non constat, deque eo est inter philosophos omnis dissensio.

Negabat igitur vllam esse artem, quæ ipsa à se proficisceretur.

Carneades qui infenso in Stoicos fuit animo, quos semper studiosissimè refellebat, vt in primis quæ sunt secundum naturam esse finem bonorum constitueret, negabat, artem viuendi quæ est sapientia, in se conuersam esse: quia ne id quidem fiat in cæteris artibus. Quod de aliis quidem artibus Stoici fatentur: sic enim aiunt, πᾶσα τέχνη καὶ δύναμις προηγουμένων τινῶν ἐστὶ θεωρητική. sed addũt, vt ex eo genere seiũgant sapientiam, id est, artem viuendi, ὅταν μὲν μὴ ὁμοειδὴς τοῖς θεωρουμένοις ᾖ, αὐτή, alioqui ἀναγκαίως, inquiunt, καὶ αὐτῆς γίνεται θεωρητική: id est, Nulla ars est, nulláq; facultas, quæ non in rebus quibusdam antecedentibus versetur, ac spectetur: quod verum est, quando nõ est ea eiusdem generis siue formæ, cuius res illæ quas ipsa tuetur: alioqui, necessariò ipsa in se conuerteretur, à seque proficisceretur. Quòd si de effectionibus agatur, meminerimus quid lib. 3. dictum sit à Catone, Sapientiam non foris petere extremum, id est, artis effectionem: eam enim & animi magnitudinem complecti, & iustitiam, & vno nomine omnes numeros virtutis continere: quod idẽ in cæteris artibus non fiat. Fatentur ergo id de reliquis artibus Stoici: de arte viuẽ di negant. Dum ergo progreditur, quasi hoc constituto, Carneades, docens in primis illis suis naturalibus versari, indeque constitui sapientiam, frustra ex minimè cõcessis progreditur, si eum Stoicis agat. Peripatetici id libentissimè amplectũtur, quibus in virtute satis esse causæ non videtur, vt beatam vitã efficiat. Omnes à recta via deflectentes, labuntur, ac in contentiosas incidunt disputationes, è quibus se nõ bene possunt extricare.

Constitit autem ferè inter omnes, id in quo prudentia versaretur.

Omnes fermè philosophi, quum summum bonum exquireretur, ad initia naturæ confugerunt, vt inuenirent vitæ beatæ tanquam elementa & semina. Ac in genere quidem consenserunt, vt in eo sit summum bonum ponendum, quod naturæ aptũ sit & accommodatum, οἰκεῖον Græci appellant. Vbi verò certò designandũ fuit quid illud esset, de eo omnis inter eos nata est dissensio.

Voluptatis alij primum appetitũ putant, & primã depulsionẽ doloris.

Aristippus & Epicurus cùm viderent omnem animantem simul atque nata sit, expetere voluptatem, & dolorem fugere, natura quidem ipsa adhuc incorruptè & integrè, vt putabant, iudicante (Est enim, vt ait Plato, voluptas & dolor, πρώτη παιδικὴ αἴσθησις, id est, quod primum infantes vel ad adsciscendum, vel ad declinãdum mouet) viderent item principes post sibi comparatas facultates, imperia, & id genus reliqua, se ad voluptatem reuoluere (Mouetur enim multitudo imperita, cùm, vt est apud Aristotelem, eos qui principatum obtinent, non aliter atque Sardanapalum, videt voluptates persequi, τυγχάνουσι δὲ λόγου, διὰ τὸ πολλοὺς τῶν ἐν ταῖς ἐξουσίαις ὁμοιοπαθεῖν Σαρδαναπάλλῳ) idcirco in voluptate summum bonum, in dolore summũ malum constituerunt. Hieronymus autem, cùm inuidiosum nomen voluptatis declinare vellet, in vicinia versatus est: dixitque finem bonorum in eo situm esse, si vacemus omni molestia: Carneades verò vt opponeret Stoicis, qui è primis naturæ progressi ad honestatem, illa prima relinquebant, non quò probaret, introduxit summũ bonũm, quod in eo positum esset, si quis his rebus frueretur, quas primas natura conciliauisset. Veteres cum Academici, tum Peripatetici, omnia retinuerunt, quę secundum naturam essent, voluerúntque iis vitam compleri beatam: ita tamen vt primum obtineant locum, quæ ad animum pertinent: secundum, quæ ad corpus: tertiũ, quæ sunt externa, & fortunæ subiecta. Sic enim ad Dionis propinquos scribit Plato, ὄντων τριῶν, ψυχῆς, καὶ σώματος, ἔτι δὲ χρημάτων, πρώτην μὲν τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν ἔχειν δεῖ· δευτέραν δὲ, τὴν τοῦ σώματος ὑπὸ τῇ τῆς ψυχῆς κειμένην· τρίτην δὲ καὶ ὑστάτην, τὴν τῶν χρημάτων τιμὴν δουλεύουσαν τῷ σώματί τε καὶ τῇ ψυχῇ. καὶ ὁ μὲν ταῦτα ἀπεργαζόμενος θεσμὸς, νόμος ἂν ὀρθῶς ὑμῖν εἴη κείμενος, ὄντως εὐδαίμονας ἀποτελῶν τοὺς χρωμένους. Horum verborum sensus est, Rerum trium cura nobis habenda est, animi, corporis, & facultatum. Prima quidem & præcipua animi: secunda corporis, primæ, quæ animi est, subiecta: tertia verò & postrema dignitas est facultatum: & hæc quum corpori, tum animo seruire debet ac subijci. Et ista quidem si in morem & cõsuetudinem abierint, lex ea rectè posita, iudicanda est: quippe quæ verè beatos, qui in ea re sese exerceant, perficiat.

Nec quicquam omnino præter hæc tria possit esse.

Voluptatem dicit, doloris vacuitatem, & prima quæ sunt naturæ accommodata. D. Augustinus lib. de Ciuitate Dei refert Varronem in libro de Philosophia, in quo dogmatum varietatem elegãter & subtiliter scrutatus sit, aduertisse, illicque posuisse, quatuor esse quędam, quæ homines sine magistro, sine vllo doctrinę adminiculo, velut naturaliter appetant. Aut enim voluptatem, qua delectabiliter mouentur corporis sensus: Aut quietem, qua fit, vt nullam molestiam corporis quis patiatur. Aut vtranque, quam tamen vno nomine voluptatis Epicurus appellat: Aut vniuersaliter prima naturæ, in quibus & hæc sunt & alia: vel in corpore, vt membrorum integritas, & salus atque incolumitas eius: vel in animo, vt sunt ea quæ vel parua, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Quod Varro quietem appellabat, Cicero dicit indolentiam, siue doloris vacuitatem. In hac verò Ciceronis cõprehensione illa Epicuri voluptas ex indolentia, & sensus suaui motu innãta non continetur: aut si continetur, Aristippi eam explicatio complectitur. Sic enim Tusculana quinta simplices

boni summi explicationes enarrans, illius quæ solam admittit voluptatem, Epicurū authorem facit.

Alij rursus iisdem à principiis omne officium referunt.

Iunctos fines bonorum exposuerunt nonnulli: alij ad voluptatem virtutem adiungentes: alij ad doloris vacuitatem: alij ad prima naturæ: quæ Varroni, vt ait Augustinus, primigenia nominabantur. Varro autem longius has producebat sententias. Aut enim cùm ad voluptatem accedit virtus, ita accedere potest, vt præferatur, aut vt postponatur, aut vt iuncta æquetur: ita tres existent sententię. pręterea ex adiunctione eiusdem virtutis cū primogeniis illis aliæ tres: & si conferatur quoque cū Epicuri voluptate, tres insuper emergent: quæ omnes in duodenarium numerū sententiarum excurrunt. Cicero eas enumerat, non quæ esse potuerunt, quod Varro facit: sed simpliciter quæ fuerunt, defensoresque inuenerunt inter alicuis nominis philosophos.

Quarum est vna sola defensa, eaque vehementer.

Quæ finem bonorum in primis naturæ collocat. Varro ex illis quas quatuor fecerat, rebus, tres tollebat, voluptatem scilicet & quietē, & vtrunque: non quòd eas improbaret, sed quòd primigenia illa naturæ, & voluptatem in se habeant & quietē. Quid ergo, inquit ille, opus est ex his duabus tria quædam facere: duo scilicet, quum singulatim appetuntur voluptas aut quies, & tertium quum ambæ simul? quādoquidem prima naturæ, & ipsas, & præter ipsas alia multa contineant. Alia Chrysippi scribitur in Academicis enumeratio. Testatur, inquit Lucullus, sæpe Chrysippus, tres solas esse sententias, quæ defendi possint de finibus bonorum: circuncidit & amputat multitudinem. Aut enim honestatem esse finem, aut voluptatem, aut vtrūque. Nam qui summum bonum dicant id esse, si vacem* omni molestia, eos inuidiosum nomen voluptatis fugere, sed in vicinia versari: quod facere eos etiam qui illud idē cum honestate coniungerent: nec multò secus eos qui ad honestatem prima naturæ commoda adiungerent. Ita tres reliquit sententias, quas putet probabiliter posse defendi. Cicero aliam sequitur rationem, quàm Varro, cur non sit de voluptate & indolentia sententia defensa: quòd nemo sanæ mentis, eas in rebus expetendis numerauerit. Alio loco eos qui in bonis illas ponant, reprehēdit: quia videlicet gloriosum in se nihil habeant. Inhonesta enim ea vita est & deformis, vbi virtus seruire cogitur. Cogitur verò apud eos philosophos, si modò philosophi sunt, qui voluptatis & indolentiæ defensionem & patrocinium susceperunt: quippe cùm solum propter voluptatem, aut doloris vacuitatem, adsciscendam dicant virtutem, omnemq̄ue honestatem.

Restant Stoici: qui quū à Peripateticis & Academicis omnia trāst.

Sæpe dictum est Ciceroni, Stoicos omnia à veteribus Academicis & Peripateticis sumpsisse. Nam quum Zeno Polemonem Peripateticum audisset, ex eius disciplina sua arripuit dogmata, sed mutatis nominibus. Sic enim aiunt Zenoni à Polemone exprobratum fuisse, οὐ λανθάνεις ὦ Ζήνων ταῖς κηπαίαις παρεισρέων θύραις, καὶ τὰ δόγματα κλέπτων φοινικικῶς καταμφιεννύς. Nos, inquit Zeno, nō latet, te per hortuli fores clàm irrepere, ac decretis quæ furaris, punica fide, tete indui. Quia verò Stoicorū omnis disciplina, hoc vno fundamento nititur, quod est totius disciplinę veluti lumen, quo tota ducitur familia, si ostendero ab illis hanc emanasse sententiam, omnia quæ inde sequuntur, profecta esse ostendero. Id igitur ex ipso Cicerone doceamus. Libr. 5. Tusculan. Etsi Zeno, inquit, Citticus aduena quidam, & ignobilis verborum opifex, insinuasse se in antiquam philosophiam videtur: huius sentē tiæ grauitas à Platonis authoritate repetatur: apud quem sæpe hæc oratio vsurpata est, vt nihil præter virtutem, diceretur bonum. Velut in Gorgia Socrates, quū esset

ex eo quæsitum, Archelaum Perdicæ filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nō-ne beatum putaret, Haud scio, inquit. nunquam enim cum eo locutus sum. Ain tu? an aliter id scire non potes? Nullo modo. Tu igitur ne de Persarum quidē rege ma gno potes dicere, beatúsne sit? An ego possim? quum ignorē, quàm sit doctus, quàm vir bonus. Quid? tu in eo sitam vitam beatā putas? Ita prorsus existimo, bonos bea tos, improbos miseros. Miser ergo Archelaus? Certè si iniustus. Videtúrne omnem hic vitam beatam in vna virtute ponere? Quid verò in Epitaphio, quomodo idem? Nam cui viro, inquit, ex seipso apta sunt omnia, quæ ad beatè viuendum ferunt: nec suspensa aliorum aut bono casu, aut contrario, pendere ex alterius euentis, & errare coguntur, huic optimè viuendi ratio comparata est: hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens: hic & nascentibus & cadentibus cùm reliquis commodis, tum maximè liberis, parebit & obediet præcepto illi veteri. Neque enim lætabitur vnquam, nec mœrebit nimis: quòd semper in se ipse omnem spem reponet sui.

Democriti autem securitas, quæ est animi tanquam tranquillitas.

In vita Democriti Laërtius inter alia, hoc quoque refert, Democritum sensisse, τέλος εἶναι τὴν εὐθυμίαν, οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ, ὡς ἔνιοι παρακούσαντες ἐξηγήσαντο, ἀλλὰ καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους. καλεῖ δ' αὐτὴν καὶ εὐεστὼ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι: finē bonorum esse, animi tranquillitatem, non quæ sit idem quod voluptas, vt nonnulli inscitè exposuerunt, sed ex qua vita trāquilla, quieta, & secura degatur: quæ nec vlla formidine, nec superstitione imbuta sit, nec alia perturbatione commota. Eandem εὐεστὼ, quasi optimam constitutionem, aliis item nominibus nuncupat.

Iam explosæ eiectæque sententiæ Pyrrhonis, Aristonis, Herilli.

De istis & aliis philosophis, quorum de constituendo fine bonorum, reiectę fuerunt sententiæ, sæpius Cicero mentionem facit: sed apertissimè in Academicis: cuius loci, quia hunc illustratiorem reddere mihi videtur, verba adscribam. Et omitto illa, inquit Lucullus, quæ relicta iam videntur, & Herillum, qui in cognitione & scientia, summum bonum ponit. Qui quum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissesserit: & quàm non multum à Platone Megarici, quorum fuit nobilis disciplina: cu ius, vt scriptum video, princeps Xenophanes, quem modò nominaui: deinde eū secuti Parmenides & Zeno. Itaque ab his Eretriaci philosophi nominabantur. Pòst Euclides Socratis discipulus Megareūs, à quo iidem illi Megarici dicti, qui id bonū solum esse dicebant, quòd esset vnum & simile, & idē, & semper. Mox sequitur, Hos si contemnimus, etiam abiectos putamus illos, certè minus despicere debemus Aristonem, qui quum Zenonis fuisset auditor, reprobauit ea, quæ ille verbis, Nihil esse bonum, nisi virtutem: neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium. In mediis ea momenta quæ Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moueri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem ea ne sentire quidem sapientem, quæ ἀπάθεια nominatur.

Omne animal seipsum diligit, & simul ac ortū est, id agit vt se cōser.

Quod adhuc superioribus omnibus libris fecit, vt initio explicationis summi boni, qui fontes essent, quæve initia, vnde illud oriretur extremum bonorum, quod ea sequeretur disciplina, de qua sermo esset, explicaret, idem huius principio facit. Aperit enim initia, & veluti semina honestatis ex veterum Academicorum & Peripateticorum sententia. Quòd autem ista explicatio veteribus ad hunc ipsum modum vsitata fuerit, vt negare non ausim: ita libenter affirmauerim, in nullo eorū qui extant opere reperiri. Et verisimile est à recentioribus cuiusque defensoribus, illam ex variis principum in ea philosophia locis concinnatam esse & compositam. Qualis ista est, quam modò tractat M. Piso. Eam enim ex Antiochi sententia expo-

nit:vt Varro quoque eodem ex fonte hauriens,quemadmodum ex Augustini verbis intelligere licet,explicauit:vt item tertius Antiochi discipulus, & familiaris Lucullus,veteris Academiæ & nouæ apud Ciceronem in Academicis, collationem,& varia variarum sectarum decreta,vt à magistro se audiuisse dicebat,exposuit. Hoc igitur loco ab initio vsque repetens, naturæ progressus indicat: vnde ad summi boni adeptionem homo peruenire potuerit. HANC INITIO constitutionem] in veteri est, INSTITVTIONEM.

Ita finis bonorum existit secundum naturam viuere,sic affectũ vt opt.

Κατὰ φύσιν ζῆν. Libro primo de Legibus id dicit,ex natura viuere,atque interpretatur,vita modica & apta virtute perfrui,aut naturam sequi,& eius quasi lege viuere,id est,nihil quantum in ipso sit,prætermittere,quo minus ea quę natura postulet,consequatur,quod inter hæc velit virtute tanquam lege viuere. Quod ait animali omni illud quod appetit,in eo positum esse quod naturæ est accommodatum, eodem pertinet,vt intelligamus naturæ quod proprium sit,inuestigandum esse:nec deserendam naturam,aut naturæ partem,vt fecerunt Aristippus,& Stoici. Quò spectat & illud Aristotelis, τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει, κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐσθ' ἑκάστῳ. vt quod naturæ cuiusque sit accommodatum, eo nihil melius, nihil iucundius esse posit:quod quia singuli appetunt,in eo summum bonum ponendum esse Peripatetici decernunt. Sed nesciunt hi,vt est apud Firmianum, naturam ipsam in deterius pronam esse,& quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitare.

Et sua cuique propria & ad id apta,quod cuiusque natura desiderat.

Sic Aristoteles in summi boni explicatione,quæ homini cum bestiis cumque stirpibus,& plantis communia erãt,iis remotis,quidnam sit hominis proprium, nec ad aliam naturam transferri posit,exquirit. Vt enim feris dentes,armentis cornua,volucribus pennæ, propria sunt: sic homini aliquid suum debet adscribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat. Sapiens ergo non fuit,qui summum bonum credidit voluptatem:quoniam siue illa securitas & gaudium animi est, siue motus sensibus suauis,communis est animantibus omnibus. Quod latius disputat lib. de Falsa sapientia Firmianus.

Sed vt omnium artium rectè dici potest commune esse,vt in aliqua sciẽ.

Artem ait alio loco esse non posse,nisi quæ nõ ex vna aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constet: nunc autem,artem in aliqua scientia versari. Vnde satis constat,non id semper valere discrimen apud nos,id est Latinos,quod esse dicitur inter τέχνην καὶ ἐπιστήμην Aristoteli;quod scilicet rerum sit, quæ aliter euenire non posint,ἐπιστήμη:sitque habitus quidam animi,qui ex certa & necessaria ratione atque argumento sit procreatus. τέχνη verò ad res pertineat eas,quæ aliter atque aliter euenire posint:sitque animi habitus cum ratione, qui moliẽdo aliquid & faciẽdo,sit comparatus. Sed scientiam nunc,opinor,appellat cognitionem,& notitiã eius quod arte comprehenditur. Ita enim aliquando ea duo iungit, scientiam & cognitionem:& quam quidam ἐπιστήμην finem bonorum dixit,eam modò scientiam, modo cognitionem Cicero nuncupat. Artem verò appellat,comprehensionem illarum cognitionum,ad aliquem finem spectantium vsu & exercitatione conquisitam. Plato τέχνην ait esse velut ἰχονολὼ, quòd mentis & intelligentiæ perceptio sit & habitus quidam. Et inter eas definitiones,quæ Platonis esse dicuntur, istæ ἐπιστήμης referuntur, Ἐπιστήμη ὑπόληψις ψυχῆς ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου. δύναμις ὑποληπτικὴ τινὸς ἢ τινῶν ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου. λόγος ἀληθὴς ἐν διανοίᾳ ἀμετάπτωτος. Vt sit scientia,animi perceptio,quæ neque redargui,neque conuinci potest ratione. Vis quædã animi in re vna aut pluribus percipiendis posita,quæ à ratione dimoueri nequit. Vera ratio in intelligentia,quæ refelli non potest.

In quibus videmus ea quæ gignuntur è terra, multa quodãmodo effic.

Ita enim stirpes gignuntur, vt stabilitatem dent iis quæ sustinent: & ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur: obducuntúrque libro aut cortice trunci, quo sint à frigoribus & à calorib⁹ tutiores. Iam verò vites sic claviculis adminicula tanquam manibus apprehendunt, atque ita se erigunt vt animantes: quinetiam à caulibus brassicisque si propter sati sint, vt à pestiferis & nocentibus, refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere, vt scriptum est ab eodem Tullio de Natura Deorum lib. 2.

Omnium rerum, quæ natura vigeant, similem esse finem, non eundem.

Similitudo, affectionum est & qualitatum. Eadem, nisi vna natura sit, dici non possunt. Diversæ enim naturæ similes inter se reperiuntur, eædem non item. Sũt ergo naturarum omnium non iidem fines, sed similes. Omnes enim in hoc cõueniunt, vt esse debeant in eo quod suæ cuique naturæ aptissimum sit, & maximè proprium: non eadem tamẽ propria sunt hominis, quæ bestiarũ, quæque arborum & stirpium.

Quod idem reapse primum est.

Reapse pro re ipsa dicit, vt Plautus in Rudente, Qui reapse experiundo iis datur acerbum, hoc Deo complacitum est. Et Cicero epist. li. 9. Non perinde vt est reapse. Idem de Diuinatione libro 1. Obiiciuntur etiam sæpe formæ quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt. Alij legunt, vt tria verba sint, RE ABS SE.

Res enim concurrent contrariæ.

Vetus, OCCVRRENT. Omne animal se ipsum diligere, & aliquod animal se odisse, res contrariæ sunt inter se. Vt intelligas contraria Ciceroni dici, quæ Aristoteli ἀντιφατικὰ vocantur: nisi pro forma genus posuerit. Vertit enim sępissimè Cicero τὰ ἀντικείμενα, contraria. Ea autem concurrere non possunt, vt vtrunque verũ intelligatur. Est ergo locus à contradicentibus.

Aut vt ille apud Terentium, qui decreuit tantisper, se minus iniuriæ.

Menedemus qui eiectum filium deflebat, hæc apud Terentium in Heauton timorumeno, Chremeti qui eum consolabatur, dicit, Agrum hunc mercatus sum: hîc me exerceo. Decreui tantisper me minus iniuriæ, Chreme, meo gnato facere, dum fiam miser: Nec fas esse vlla me voluptate hic frui, Nisi vbi ille huc saluos redierit meus particeps. Eiusdem apud eundem verba sunt, quæ statim sequuntur, Mihi sic vsus est, &c. Eiusmodi, inquit, qui sibi mala adsciscere videntur, non id faciunt, quia ipsi sibi natura inimici sint, sed dolore victi aut iracundia, sibi etiam bene se consulere arbitrantur, dum quod malè antè gesserunt, de eo cruciantur. Nisi enim anteces sisset quod displiceret, in eos dolores incurrere nollent. Manet igitur integrum, vt omnes bene sibi velint, se diligant, optimeque suis rebus consultum velint.

Et quũ in mala scientes irruunt, tamen se optimè consulere arbitrãtur.

Vetus addit, SIBI, vt sit, SE OPTIME sibi consulere.] Nemo consulto malum appetit: sed opinione, aut declinandi alterius mali, aut futuri boni ducitur. Opinatum autem istud bonum, quia ab opinione quæ sæpe fallitur, progreditur, aliquá do in errorem inducit: ex quo fit, vt mala sæpe pro bonis desideremus. Ex quo intelligitur, non propterea quòd aliquando scientes in mala irruamus, continuò nos nobis inimicos & infensos esse. Disputat autem Aristoteles, πότερον δεῖ φιλεῖν ἑαυτὸν, & eos in reprehensionem incurrere ait, qui sese diligunt, ac probri loco appellari φιλαύτους: sed tandem statuit, non eos qui pecuniarum, honoris, & aliarum rerum eiusmodi, sed qui honestatis plus sibi vendicant, sese diligere: quòd illi leuissimam sui partem, hi præstantissimam diligant ac sequantur: indeque illos in reprehensionem incurrere, hos laudem consequi.

Nec verò satis est id, neminem esse qui ipse se oderit, sed illud quoque.

Pyrrhoniorum dogma fuit, res medias inter virtutem & vitium ita esse indifferentes, vt in vtram partem te flectas, nihil intersit: ex quo sequebatur, nihil interesse in iis rebus, quonam pacto affecti simus. Vitam enim, mortem, valetudinem integrã, & infirmam, dolorem, & doloris auersionem, res esse inter quas nihil intersit. Docet igitur, vt huic sententiæ opponat, non id esse tenendum, alioqui omnis animi tolletur appetitio, quam natura nobis concessit. Quòd si fine causa natura nihil tribuat, profectò ad rem quandam referri istam appetitionem, necesse est. Itaque ad vitam, ad valetudinem bonam, ad sensuum integritatem, ad doloris vacuitatem, quàm ad contraria sumus propensiores. Illa enim naturam tuentur, statumque conseruant: hæc labefactant.

Atque etiam illud si quis dicere velit perabsurdum sit, ita diligi à se.

Rerum aliæ propter se appetuntur, vt vita beata, aut partes ipsius: alia propter aliud, vt quæ ad bene beateque viuendum conducunt, propter beatitudinem expetuntur. In primo genere vult M. Tullius se cuiusque tuendi amorem constitui. Neminem enim esse, qui non intelligat hanc non propter aliud, quàm propter sui conseruationem à quoquam expeti charitatem: imò eò omnia referri, vt natura conseruetur. Amicos quærimus, cum quibus res nostras communicemus, cum quibus iucũdè viuamus, in quibus nostra intueri possimus officia, apud quos si beneficia collocemus, gratiam & laudem consequamur, &c. Virtutes colimus, vt vera bona nobis adsciscamus. Sic Aristoteles, εἰ γάρ τις, inquit, ἀεὶ σπουδάζοι τὰ δίκαια πράττειν, αὐτὸς μάλιστα πάντων, ἢ τὰ σώφρονα, ἢ ὁποιαοῦν ἄλλα τῶν κατὰ τὰς ἀρετάς, καὶ ὅλως ἀεὶ τὸ καλὸν ἑαυτῷ περιποιοῖτο; οὐδεὶς ἐρεῖ φίλαυτον τοῦτον, οὐδὲ ψέξει. δόξειε δ' ἂν ὁ τοιοῦτος εἶναι μᾶλλον φίλαυτος. ἀπονέμει γοῦν ἑαυτῷ τὰ κάλλιστα καὶ μάλιστα ἀγαθά, καὶ χαρίζεται ἑαυτοῦ τῷ κυριωτάτῳ καὶ πάντα τούτῳ πείθεται. Si enim quispiam in eo maximè operam studiumque ponat, vt iustè semper, temperate, aut aliis virtutibus conuenienter agat, vnóque nomine honestum sibi vendicet, cum nemo sui amantem dicturus, nemo reprehensurus est. At qui talis est, is potius sui amans videri possit: quia sibi ea tribuit, quæ & præstantissima sunt, & optima, eique sui parti maximè gratificatur, quę principatum obtinet, & cui omnia parent ac obsequũtur. Scilicet qui Deum reliquerũt, omnia sui gratia faciunt, faciendaque dicunt. Quasi verò qui hominis partem præstantissimam sequatur, cæcum ducem minimè habeat, & ad deprauatum consultus non proficiscatur iudicem.

Quis est enim aut quotus quisque, cui mors quum appropinquet.

Aristoteli morte nihil esse terribilius dicitur, πάντων φοβερώτατον. Quæ cùm sit naturæ dissolutio, ab ea non abhorrere natura non potest. Igitur si id quod interitũ naturæ adfert, perhorrescimus, eius contrarium diligemus, in quo posita sit naturæ conseruatio.

Hæc ipsa nimia in quibusdam futura nõ fuisse, nisi quædam essent mod.

Eorum quæ cum aliquo conferuntur, id est, quæ Græcis τὰ πρός τι dicuntur, vnũ sine altero intelligi aut esse non potest. Si ergo in quibusdam rebus nimia reperias, etiam mediocria reperiãtur necesse est. Igitur cùm sint qui mortem nimium exhorrescant, qui modicè timeant, inueniantur oportet. Itaque cùm modus & mediocritas naturæ sit apta & conueniens, horrore mortis qui concutitur, naturæ conuenienter mouetur. Ex quo constat dissolutionem naturę esse inimicam: quo posito, sequitur vt conseruatio naturæ chara sit & amabilis. Nam ille nimius mortis metus iure reprehendi potuisset, vt indignus humana natura: & frequenter mortis contemptio à magnis viris laudatur.

In paruis enim sæpe, qui nihil eorum cogitant, siquando his ludentes.

Mortis metum dicerent Stoici, non in naturę radicibus infixum esse, sed in opinionis temeritate: propterea ne ex eo quidem effici, vt cuiq; sui conseruãdi cura sit propter se expetenda. Occurrit Piso, Infantes qui sunt veluti specula naturæ, nondum opinionibus deprauati, sed ipsa natura integrè ac incorruptè iudicante, formidant, quum audiunt sui interitum. Item bestias quum mortis terrore horrescere cernimus, naturæ ipsius quasi vocem videmur audire. Non enim alia re inductæ videri possunt, vt formident, nisi natura duce. Quare perspicuum est, naturã nos ab interitu abhorrere.

Siue vt doctissimis viris visum est, maior aliqua causa.

Vetus habet, SIVE ENIM VT DOCTISSIMIS. Rerum omniũ cõformationes, ortus, & progressiones Epicurei, & alij quidam, fortuitò & temerè extitisse tradiderunt: Veteres autem Academici & Peripatetici, Stoici, & alij quidam diuina prouidentia omnia facta esse, omniáque gubernari voluerunt. Sic enim Plato, ἄγει μὲν δὴ ψυχὴ πάντα τὰ κατ᾽ οὐρανὸν καὶ γῆν, καὶ θάλατταν ταῖς αὑτῆς κινήσεσιν. & mox subdit, καὶ πάσαις οἷς ψυχὴ χρωμένη, νοῦν μὲν προσλαμβάνουσα αἰεὶ θεὸν θεὸς οὖσα, ὀρθὰ καὶ εὐδαίμονα παιδαγωγεῖ πάντα. Est, inquit, animus, qui suis ipsius motionibus omnia dirigit, ac gubernat, siue in cœlo, siue in terra, siue in mari ea sint posita. Ac ea omnia in suũ vsum animus, qui idẽ Deus est, adhibens, mente quidẽ siue intelligentia semper assumpta, quæ & ipsa Dea est, omnia rectè, bene, beateque disponit, regit, ac moderatur. Et Aristoteles, τὸ γὰρ μὴ τυχόντως, inquit, ἀλλ᾽ ἕνεκά τινος ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἐστὶ καὶ μάλιστα, Neque enim, quòd fortè temerè fiat, in naturæ operibus reperias, sed omnia quàm maximè alicuius rei causa fiũt. De quibus variis sententiis multis verbis Cicero disputauit libris de Natura Deorum. APPETITVM rerum à natura accommodatarũ] vetus scriptũ habet, AD NATVRAM accommodatarũ.

Deinceps videndum est, quoniã satis apertũ est, sibi quẽq; natura esse.

D. Augustinus lib. de Ciuitate Dei 19. docet Varronem ex Antiochi sententia, qui præceptor eius & Ciceronis fuit, hanc veterum Academicorũ summi boni expositionem ita persuasisse. Primum, quia summum bonum in philosophia non arboris, non pecoris, non Dei, sed hominis quæritur, quid sit ipse homo? querendum putat. Sentit quippe in eius natura duo esse quædam, corpus & animam: & horũ quidem duorum, melius esse animam, longeque præstabilius omnino non dubitat. Sed vtrum anima sola sit homo, vt ita sit ei corpus tanquam equus equiti? quærendũ putat. eques enim non homo & equus, sed solus homo est: ideo tamen eques dicitur, quòd aliquo modo se habeat ad equum. An corpus solùm sit homo, aliquo modo se habens ad animam, sicut poculum ad potionem? non enim calix & potio quam cõtinet calix, simul dicitur poculum, sed calix solus, ideo tamen quòd potioni continẽdæ sit accommodatus. An verò nec anima sola, nec solùm corpus, sed simul vtrunq; sit homo, cuius pars sit vna, siue anima, siue corpus: ille autem totus ex vtroque constet vt homo sit, sicut duos equos iunctos, bigas vocamus: quorum siue dexter, siue sinister, pars est bigarum: vnum verò eorum quoquomodo se habeat ad alterum, bigas nõ dicimus, sed ambos simul? Horum autem trium hoc eligit tertium, hominẽq; nec animam solam, nec solùm corpus: sed animam simul & corpus esse arbitratur. Proinde summum bonum hominis, quo fit beatus, ex vtriusque rei bonis cõstare dicit, & animæ scilicet & corporis. Hactenus Augustinus: è cuius verbis illa naturę explicatio secundum Varronem, similis esse Ciceronianæ satis intelligitur: quod non mirum sit, quum vtraq; ex eodem fonte, id est, Antiochi doctrina emanauerit.

Atqui perspicuum est, hominem è corpore animoque constare.

Varronem Peripateticum adhibuimus, Latinè hanc conformationem naturę ex-

plicantem: iam audiamus Alexandrum Grecè contra Stoicos disputantem, Quòd vtriusq; partis & corporis & animi bona spectanda sint, cùm summum hominis bonum exquiritur. εἰ δὲ ἂν ὁ κατὰ φύσιν βίος εὐδαίμων κείμενος, πῶς ἡ ἀρετὴ πρὸς τοῦτο αὐτάρκης; ἡ γὰρ φύσις ἡ τὴν ψυχὴν ἡμῖν δοῦσα, ἔδωκε καὶ τὸ σῶμα, καὶ πρὸς τὰς ἑκατέρου τούτων τελειότητάς τε καὶ οἰκείας δὴ κατασκευὰς οἰκειοῦσιν ἡμᾶς. ὥστε ὁ τῆς τοῦ ἑτέρου τούτων τελειότητος κατὰ φύσιν ἐστερημένος, οὐκ ἂν κατὰ φύσιν βιοῖ. τὸ γὰρ κατὰ φύσιν, τὸ κατὰ τὸ βούλημα τῆς φύσεως ἀκούεται. εἰ δὲ μὴ τοῦτο, οὐδ᾽ εὐδαιμόνως, Quòd si vita naturæ consentanea, inquit, vita esse beata ponatur, quonam pacto virtus ad eam rem assequendam satis esse posit? Nam quæ natura nobis animum dedit, eadem concesit etiam corpus, eadem nos ad vtriusque partis perfectionem & absolutionem, & cuiusdam modi constitutionem, accommodauit: ita vt qui alterius earum partium perfectione naturæ congrua destitutus sit, is ne vitam quidem naturæ conuenientem agat. Nā conuenienter naturæ viuere, idem quod pro naturæ instituto ac voluntate viuere, intelligitur: quòd si non adest, ne illud quidem, bene beatéque viuere, adesse poterit.

Denique id quoque videmus, & ita figuratum corpus vt excellat aliis.

Totius corporis humani species & conformatio ad aliud eam naturam procreatam esse indicat. Vt enim opportunitates habent bestiæ alias, quàm ea quæ gignuntur è terra, quia plurium capaces sunt actionum: ita etiā hominibus plures datæ sunt partium formæ, quia iis plura obeunda sunt munera. Quod eleganter docet Aristoteles lib. 2. περὶ ζώων μορίων: vnde præstantiam hominis intelligas. sic autem ait, ἡ μὲν οὖν τῶν φυτῶν φύσις οὖσα μόνιμος, οὐ πολυειδής ἐστι τῶν ἀνομοιομερῶν. πρὸς γὰρ ὀλίγας πράξεις ὀλίγων ὀργάνων ἡ χρῆσις. διὸ θεωρητέον κατ᾽ αὐτὰ περὶ τῆς ἰδέας αὐτῶν. τὰ δὲ πρὸς τῷ ζῆν αἴσθησιν ἔχοντα, πολυμορφοτέραν ἔχει τὴν ἰδέαν, καὶ τούτων ἕτερα πρὸ ἑτέρων μᾶλλον. καὶ πολυχουστέραν, ὅσων μὴ μόνον τοῦ ζῆν, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἡ φύσις μετείληφε. τοιοῦτον δ᾽ ἐστὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. ἢ γὰρ μόνον μετέχει τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζῴων, ἢ μάλιστα πάντων. Ac stirpium quidem, inquit, & plantarum, cū natura sit stabilis & quieta, partium dissimilium formam nacta non est multiplicem: quia ad paucas obeundas actiones paucis opus est instrumentis. Ideo de iis seorsim nobis est considerandum, ac tractandum. Quibus verò ad vitam sensus accessit, ea multipliciorem partium speciem habēt: eorumq; alia aliis magis. Numerosiorem etiam, quorum natura non modò viuendi, sed etiam bene viuendi particeps facta est. Quale est hominum genus, quod ex omnibus animalibus quæ nobis nota sunt, aut solū diuinitatis est compos, aut maximè omnium. Hanc autem membrorum conformationem diligenter M. Tullius de Natura Deorum lib. 2. expresit: vnde qui plura volet, petere poterit.

Et habeat præstantiam mentis, cui tota hominis natura pareat.

Omnem naturam (vt alio loco Cicero scripsit) necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio iuncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, vt in homine mentem, in belua quiddā simile mentis. Deinde pauló pòst, Principatum autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν vocant, quo nihil in quoque genere, nec potest, nec debet esse præstantius. Quòd ergo illic principatum dicebat, nunc præstantiam appellat: & alio loco ait, menti regnum totius animi à natura tributum esse. id Aristoteles, τῆς ψυχῆς τὸ κυριώτατον καὶ κράτιστον, appellat.

Sed certè opus est ea valere & vigere, & naturales motus, vsusq;.

Quod nunc Cicero tractat de corporis aptitudine, id ante à Platone, vel potius à Timæo Locrensi scriptum his verbis fuerat: περὶ δὲ τὸ εὖ ἔχειν τὸ ζῷον, δεῖ τὸ σῶμα ἔχειν τὰς ὑπ᾽ αὐτῷ ἀρετάς, ὑγίειάν τε, καὶ εὐαισθησίαν, ἰσχύν τε, καὶ κάλλος. ἀρχαὶ δὲ κάλλεος, συμμετρία, περί τε αὐτὰ τὰ μέρεα, καὶ περὶ τὰν ψυχάν. ἁ γὰρ φύσις οἷον ὄργανον ἀρ-

μόξατο τὸ σκᾶνος ὑπακϐὸν τι ἆμεν καὶ συναρμόνιον ταῖς τῶν βίων ὑποθέσεσι. δεῖ δὲ καὶ ταὶν ψυχὰν ἐνθηγίεσθαι ποτὶ τὰς ἀναλόγως ἀρετάς. ποτὶ μὲν σωφροσύναν, οἷον ποτὶ ὑγίειαν τὸ σῶμα· ποτὶ δὲ φρόνασιν, οἷον ποτὶ αἰσθησίαν· ποτὶ δὲ ἀνδρειότητα, οἷον ποτὶ ῥώμαν καὶ ἰσχύν· ποτὶ δὲ δικαιοσύναν, οἷον ποτὶ κάλλος τὸ σῶμα. τουτέων δὲ ἀρχαὶ μὲν ἐκ φύσιος, μέσα δὲ καὶ πέρατα ἐξ ἐπιμελείας. Quorum verborum hic ſenſus eſt: Vt autem animal bene conſtitutum ſit, beneque habeat, certè opus eſt, corpus ſuis præditum eſſe virtutibus, valetudine, ſenſibus integris, viribus, & pulchritudine. Ac pulchritudinis initia ex apta & membrorum & animi compoſitione ducuntur. Natura enim tanquam inſtrumentum quoddam congruens & aptũ nobis dedit corpus, vt ſeruiat, moderatum, & æquabile ſit vitæ actionibus exercendis. Animũ quoque pari ratione moderatum eſſe, & omnibus, perinde atque corpus, ſuis virtutibus ornatum eſſe, neceſſe eſt. Debet enim animo temperantiam ineſſe, vt valetudinem corpori: ſapientiam, vt integritatem ſenſuum: fortitudinem, vt robur, & vires: iuſtitiam, vt illi pulchritudinem. Quorum omnium initia nobis à natura attributa ſunt: progreſsiones autem & fines conſuetudine & cura pariuntur. Vides quod Timęus dixit ὑγίειαν, Ciceronem valere: quod αἰσθησίαν, vigere: quod ἰσχύν, naturales motus vſuſque habere: quod κάλλος ille, hunc, nec ægrum debilitatúmque eſſe, dixiſſe. Vides etiam quàm aptè vterque virtutes corporis cum animi virtutibus coniunxerit. EST ANIM actio quædam corporis] in veteri codice eſt, EST AVTEM etiam actio quædam corporis. VSVSQVA corporis apta eſſe.] Vetus, APTI ESSE] vt ad proximum nomen referatur.

Iam verò animus non eſſe ſolum, ſed etiam cuiuſdammodi eſſe debet.

Non ſatis eſt, vt homo aptè & conuenienter naturæ habeat, ſi corporis ſtatus ad naturam accommodatus ſit: neceſſe etiam eſt animum ſuis integris partibus conſtare, ſuarumque virium nulla deſtitui, affectionibúſque & habitibus conſentaneis prędituum eſſe. Hoc enim eſt cuiuſdam modi eſſe, quod Græci dicunt, ποιόν τινα εἶναι. Sic enim ait Ariſtoteles, de animo ſcribens ad Endemum, δεῖ μὲν καὶ ποιόν τινα ὑπάρχειν αὐτήν, μᾶλλον δὲ δεῖ τὰς πράξεις εἶναι ποίας τινάς. Et alio loco quum idem quæreret, qua in re verſaretur vita beata, vtrum in fortunæ temeritate, an verò in animi cura & cogitatione, εἰδ' ἐν τῷ αὐτὸν ποιόν τινα εἶναι, inquit, καὶ τὰς κατ' αὐτὸν πράξεις, κοινότερον ἂν εἴη τὸ ἀγαθὸν καὶ θειότερον. Id dixit Cic. li. 3. vitã agere certo genere quodã.

Atque in ſenſibus eſt ſua cuiuſque virtus, vt ne quid impediat.

Rei cuiuſque in ſuo genere excellentia, & apta & conueniens naturę perfectio, eius virtus dicitur: cùm ſcilicet natura quæuis eius ad quod inſtituta eſt & ordinata, cõpos fuerit. Quod diſputat Socrates in Gorgia Platonis, τάξει ἄρα τεταγμένον καὶ κεκοσμημένον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ ἑκάστου. Καλ. φαίην ἂν ἔγωγε. Σω. Κόσμος τις ἄρα ἐγγενόμενος ἐν ἑκάστῳ ὁ ἑκάστου οἰκεῖος, ἀγαθὸν παρέχει ἕκαστον τῶν ὄντων. Itaque ſenſuũ virtus erit integrè ſentire, & celeriter ea percipere quæ ſubiecta ſunt ſenſibus.

Animi autẽ & eius animi partis quæ princeps eſt, quæque mẽs nom.

Eam partem Plato λογιστικὸν appellat, de qua lib. de Rep. 1. οὐκοῦν, inquit, τῷ μὲν λογιστικῷ ἄρχειν προσήκει σοφῷ ὄντι καὶ ἔχοντι τὴν ὑπὲρ ἁπάσης τῆς ψυχῆς προμήθειαν, τῷ δὲ θυμοειδεῖ ὑπηκόῳ εἶναι, καὶ ξυμμάχῳ τούτου; πάνυ γε. Animine igitur ea pars imperare debet, quæ particeps eſt rationis, & conſilij, quæ ſapientiæ compos, quæque toti animo prouidet: ea verò parere comitarique, in qua irarum ardor exiſtit? Certè debet. Addit tertiam partẽ, in qua cupiditas ineſt, id eſt, τὸ ἐπιθυμητικόν. Ariſtoteles aliam rationem ſequitur. Totius animi duas facit partes, rationis alteram participẽ, alteram expertem. Eius ruſus in qua inſit ratio, duas vult eſſe partes: quarum altera rerum initia & naturam contemplamur, quæ aliter atque aliter euenire nõ poſſunt.

Altera verò est, quæ iis in rebus versatur, quæ hoc & illo modo contingere possunt, quæ non sunt certæ & stabiles; de quibus consultandum & deliberandum est. Priorem partem ἐπιστημονικὸν, quòd in ea scientiæ sedes sit, appellat: Alteram λογιστικὸν, quod ea parte ratiocinemur, & deliberationē de rebus ineamus. Itaque illius partis virtutē dicit in veritate, huius in actione positam esse. Aliter Cicero, cum virtutū mentis & rationis participis animi, diuisionem adhibet: aitque alteras ingeneratas esse, & suapte natura inhærere, non cura & diligentia cōparari: quales mihi videntur, quas Aristoteles ὁρμὰς φυσικὰς nuncupat. Alteras voluntatis esse: quæ Aristoteli ἠθικαὶ nominantur: quòd more, id est, consuetudine pariantur.

Quarum est excellens in animorum laude præstantia.

Laus, inquit Aristoteles, & vituperatio, ἐν τοῖς ἑκουσίοις, id est, in rebus voluntariis versatur: quales sunt actiones, aut virtuti cōsentaneæ, aut dissentaneæ. Propterea laudabilia omnia vult esse, aut vituperabilia, quæ more & consuetudine perficiātur. Locus est ἐν τῷ ἠθικῶν μεγάλων α, quē Cicero imitatus esse videtur. ἔστι δ' ἡ ψυχὴ, ὥς φαμεν, ὡς δύο μέρη διῃρημένη, εἰς τὸ λόγον ἔχον, καὶ ἄλογον. ἐν μὲν γὰρ δὴ τῷ λόγον ἔχοντι ἐγγίνεται φρόνησις, ἀγχίνοια, σοφία, εὐμάθεια, μνήμη, καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐν δὲ τῷ ἀλόγῳ, αὗται αἱ ἀρεταὶ λεγόμεναι, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, ὅσαι ἄλλαι τοῦ ἤθους δοκοῦσιν ἐπαινεταὶ εἶναι, κατὰ γὰρ ταύτας ἐπαινετοὶ λεγόμεθα. κατὰ δὲ τὰς τοῦ τὸν λόγον ἔχοντος οὐδεὶς ἐπαινεῖται. id est, Animi autem, quemadmodū dixi, duæ sunt partes: vna, quæ rationis est particeps: altera, quæ expers. In priori parte, quæ ratione vtitur, ingenerantur suapte natura, prudentia, ingenium, sapientia, celeritas ad discendum, memoria, & reliqua generis eiusdem. In altera autem, quæ rationis non est compos, positæ sunt quæ proprio nomine virtutes appellari solent, temperātia, iustitia, fortitudo, & eæ omnes quę, quia more perficiuntur, in laude sunt & honore. Ex iis enim laude digni nominantur: quū ob eas quæ prioris generis sunt, nemo laudem aut honorem consequatur.

Vt prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam.

Cicero, quam ea in parte animi quæ ratione caret, Aristoteles numerauit prudētiam, eam in ea parte statuit, in qua voluntarias virtutes collocauit, id est, in qua Aristotelis sententia, ratio inest, & consiliū. Fortasse id Platonis authoritate inductus fecit, qui φρόνησιν esse dixerit, ἀρετὴν ἤτοι ξύμπασαν, ἢ μέρος τι: prudentiam virtutem esse vniuersam, aut virtutis partem aliquam. quique cùm genera virtutum enumeraret, hæc quatuor proposuerit, φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, σωφροσύνην: quod etiam Aristoteles aliquando facit. Et certè eodem illo libro, quem supra citauimus, scribit, Ἔστι δ' ἡ φρόνησις ἀρετὴ, ὡς δόξειεν ἄν, οὐκ ἐπιστήμη. ἐπαινετοὶ γάρ εἰσιν οἱ φρόνιμοι. ὁ δ' ἔπαινος ἀρετῆς. Prudentia, inquit, virtus est, vt facile apparet, non scientia & cognitio, quippe quum laude digni iudicentur prudentes: laus verò fit virtutis propria. Quæ diligenter si quis ad amussim reuocet, in Aristotele constantiam desideret.

Ea enim vita expetitur, quæ sit animi corporisque expleta virtutibus.

Id ostendunt cōmunes vitæ beatæ descriptiones, quas omnes in animo habēt: & eas contra Stoicos disputans, recensuit Aphrodisiensis, εἰ αἱ κοιναὶ περὶ εὐδαιμονίας ἔννοιαι, αὐτάρκειάν τε αὐτὴν ζωῆς εἶναι τίθενται. αὐτίκα δὴ γὰρ τὸν εὐδαίμονα προειλήφασι, ἢ τὴν εὐδαιμονίαν τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ τὸ ζῆν κατὰ φύσιν, καὶ τὸν κατὰ φύσιν βίον εὐδαιμονίαν λέγουσι, πρὸς δὲ τούτοις τὸ εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ βιοῦν; καὶ τὴν εὐζωΐαν εὐδαιμονίαν φασὶ εἶναι, εἰ τοιοῦτον μὲν ἡ εὐδαιμονία προείληπται, πρὸς μηδὲν δὲ τούτων αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ, οὐδ' ἂν πρὸς εὐδαιμονίαν αὐτάρκης εἴη. Si rectè, inquit, communes illæ beatitudinis notiones, ipsam ponunt esse, quæ ad vitam tuēdam ni-

hil desideret, sed se ipsa contenta sit. Eam enim in animis anticipatam omnes cognitionem habét, vt qui sit beatus, nihil requirat, nulláque re egeat: itémq; si rectè beatitudinem id putant, quod tale est, vt rerum expetendarum sit extremũ: quin etiã, si viuere naturæ congruenter, & vitam naturæ consentaneam, beatitatem esse verè dicunt: prætereà si bene viuere, & præclarè vitam agere, ac beatam vitam, idem quod beatitudinem esse inquiũt: si inquam, tale quippiam esse beatitudinem statuit antecepta animis omnium notio, & ad illorum nullum est satis per se virtus, non dubium est, quin & ad beatitudinem in virtute satis præsidij non sit. Ex iis intelligitur, non modò animum & quæ ad ipsum pertineant, verum etiam corpus, & corporis partes, motus, status, & alia aut conseruantia eorum, aut efficientia chara esse & tuenda: quia sine iis vitam agere nemo potest.

Quibus expositis facilis est coniectura, ea maximè esse expetenda.

Veteres philosophi summum bonum in toto homine ponendum esse volunt, id est, in animo, & in corpore: non ita tamen vt paria ea faciat. primas enim partes animum, & quæ ad animum pertinent, tenere volunt: secundas corpus, & quę corporis sunt: tertias denique fortunæ bona, quæ externa dicuntur. Sic enim Plato cùm multis aliis locis tum lib. de Legibus indicat, his verbis: ἐστι δ' ὀρθῶς ἄρα τιμώμενα τὰ μὲν καὶ πρῶτα τὰ περὶ ψυχὴν ἀγαθὰ κεῖσθαι, σωφροσύνης ὑπαρχούσης αὐτῇ. δεύτερα δὲ τὰ περὶ τὸ σῶμα καλὰ καὶ ἀγαθά. καὶ τρίτα τὰ περὶ τὴν οὐσίαν καὶ χρήματα λεγόμενα. id est, Licet autem hunc bonorum sectum ordinem intelligere, vt sint in maximo honore & precio, quasique partes primas occupent, quæ animi bona sunt, siquidem ei temperãtia adsit: in secundo loco ponantur bona corporis: postremę verò sint & tertiæ, opes, quæque pecuniarum nomine continentur.

Propterea quòd ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine diuinius.

Ait Aristoteles virtutes quę more comparantur, præscripto rationis gubernari & perfici. Consultat enim prudens obiecta rerũ materia quid agendum, quid non agẽdum sit: & ratio quæ imperium habet, statim iudicat hoc persequendum, illud fugiẽdum. Quòd si eius præscripto homo non obediat, sed ad cupiditates aut aliò se flectat, iam virtus nulla emergere, nulla existere potest. Illæ verò non voluntariæ, quę minus propriè virtutes appellantur, ex animi consilio, deliberatione, & instituto, non gignuntur: sed naturã innascuntur, non cura & consuetudine pariuntur. Nam ꝙ Aristoteles hoc genus in animi parte ponit quæ ratiõis expers est: illud verò in ea quę eiusdẽ est particeps, aliter nomine rationis vtitur, vt in intelligentia eã cõstituat, quum in voluntate morales virtutes sedem habeant. Sic enim ait reprehendens Socratem, qui virtutes ἐπιστήμας faciebat, ἠθικῶν μεγάλων α, ὅπερ δ' οὐκ ἔστιν ἀδύνατον. αἱ γὰρ ἐπιστῆμαι πᾶσαι μετὰ λόγου, λόγος δὲ ἐν τῷ διανοητικῷ τῆς ψυχῆς γίνεται μόνῳ. Idem in libris ad Nicomachum, eundem notat Socratem, Σωκράτης μὲν οὖν λόγους τὰς ἀρετὰς ᾤετο εἶναι. ἐπιστήμας γὰρ εἶναι πάσας. ἡμεῖς δὲ μετὰ λόγου. Satis indicat, quid nomine rationis intellexerit, cùm ἐπιστήμην Socratis, λόγον interpretatũ. Intelligimus enim rationem cognitionis aliam esse, aliam consilij: vt solet nonnunquam Cicero ad rationem vel consilium, vel cognitionem adiungere, quum λογικὸν interpretatur.

Vt non inscitè illud dictum videatur in sue, Animũ illi pecudi datum.

Chrysippo hoc dictum tribuitur, lib. de Natura Deorum 2. Ciceronis verba sunt, Sus verò quid habet præter escam? cui quidem ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. Qua pecude quòd erat ad vescendũ hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Illic animam, hic animum dicit. Meminit quoque Varro de re Rust. lib 2. Suillum, inquit, pecus datum natura dicunt ad epulandum. Itaque his animam datam pro sale, quæ seruaret carnem. Nonius Marcellus, vt doceret putidum significare non putrem, sed mali odoris, hũc locum quem tractamus,

citat, legitque pro PVTRESCERET, PVTISCERET. Idem tamen verbum putrescendi est lib. 2. de Natura Deorum, nisi menda sit, repetitum.

Sunt autem bestiæ quædam, in quibus inest aliquid simile virtutis.

Ex Aristotelis libro de Animalium historia nono hæc Cicero transtulit, Ἔνεστι γὰρ ἐν τοῖς πλείστοις καὶ τῶν ἄλλων ζώων ἴχνη τῶν περὶ τὴν ψυχὴν τρόπων, ἅπερ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων ἔχει φανερωτέρας τὰς διαφοράς. καὶ γὰρ ἡμερότης, καὶ πραότης, καὶ χαλεπότης, καὶ ἀνδρεία, καὶ δειλία, καὶ φόβος, καὶ θάρρη, καὶ θυμοί, καὶ πανουργίαι, καὶ περὶ τὴν διάνοιαν συνέσεως ἔνεισιν ἐν πολλοῖς αὐτῶν ὁμοιότητες. Quæ verba quia plura continent q̃ Ciceroniana, interpretemur. Sunt enim, inquit, plurima etiam alia animantia, in quibus morum animi vestigia quædam reperiuntur: quorum quidem in genere hominum magis elucet distinctio. Mansuetudo enim, clemẽtia, sæuitia, fortitudo, ignauia, timor, audacia, irarum ardor, vafrities, & cuiusdam animi prudentiæ similia, in multis eorum insunt.

Sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus.

Idem Aristoteles lib. 10. φαίνεται γὰρ, inquit, ἔχοντά τινα δύναμιν περὶ ἕκαστον τῶν τῆς ψυχῆς παθημάτων φυσικὴν, περί τε φρόνησιν καὶ εὐήθειαν, καὶ ἀνδρείαν καὶ δειλίαν, περί τε πραότητα καὶ χαλεπότητα, ἢ τὰς ἄλλας τὰς τοιαύτας ἕξεις. Nam apparẽt in iis quędã naturales vires ad singulas animi permotiones aptę, ad prudentiam & stoliditatem, fortitudinem & metum, mãsuetudinẽ & feritatẽ, ad cęterásque eiusdẽ generis animi affectiones. Paulo pòst subiicit, τούτων δ' ἴχνη μὲν τῶν ἠθῶν ἔστιν ἐν πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, μᾶλλον δὲ φανερώτερα ἐν τοῖς ἔχουσι μᾶλλον ἦθος, ἢ μάλιστα ἐν ἀνθρώπῳ. τοῦτο γὰρ ἔχει τὴν φύσιν ἀποτελεσμένην. id est, Quanquam aũt vno nomine in omnibus expressa sint morum eiusmodi vestigia: animantes tamen quo sedatioribus moribus sunt, eò maiores præ se earum rerum significationes exhibent, sed in nullo animante tam id elucet, quàm in homine: quia hoc vnum animal à natura est absolutissimum ac perfectissimum procreatum. Huc pertinent, quæ scripta sunt lib. de Legib. primo, Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse assumo. Solũ est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis & cognitionis, cùm cætera sint omnia expertia. Quid autem, non dicam in homine, sed in omni cœlo atque terra ratione diuinius? quæ cùm adoleuit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.

Earum etiam rerũ, quas terra gignit, educatio quædã & perfectio est.

Tres gradus animorum Peripatetici faciunt: primum in stirpibus & plantis ponunt, in quibus vita est, quam appellant, θρεπτικὴν καὶ αὐξητικήν: secundum, qui ad vitam sensum adiungat, in bestiis, quarũ vitã vocant, αἰσθητικήν: tertiũ, qui ad sensum actionem rationi congruam ac prudentiam addat, in homine: cuius vitam nominãt πρακτικὴν τοῦ λόγον ἔχοντος. Sic enim Aristoteles enumerat, inquirens, quæ homini vita propria sit, in qua summum bonum collocetur, τὸ μὲν γὰρ ζῆν, inquit, κοινὸν εἶναι φαίνεται καὶ τοῖς φυτοῖς, ζητεῖται δὲ τὸ ἴδιον. ἀφοριστέον ἄρα τὴν θρεπτικὴν καὶ αὐξητικὴν ζωήν. ἑπομένη δὲ αἰσθητική τις ἂν εἴη. φαίνεται δὲ καὶ αὐτὴ κοινὴ καὶ ἵππῳ, καὶ βοῒ καὶ παντὶ ζώῳ. λείπεται δὴ πρακτική τις τοῦ λόγον ἔχοντος. Viuere enim, inquit, cum hominibus & bestiis, iis quæ è terra genita radicibus hærent, commune est. At quod proprium sit & peculiare quærimus. Vitam igitur eam, in qua inest alendi vis, & causa cur quicque crescat, seperemus oportet. Deinceps ea vita sequitur, quæ in sentiendo posita est: quæ & ipse equi, bouis, & singulorum animantium cõmunis est. Ita relinquitur ea, quæ in eius actione versetur, in quo ratio inest. Eas tres cõplectitur Cic. Tuscul. 1. Per animum ipsum si nihil esset in eo, nisi vt per eum viueremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari quàm vitis, quàm arboris. Hæc enim etiã di-

cimus viuere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi vt appeteret, aut fugeret: id quoque esset ei commune cum bestiis Habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabiliũ, &c. Quid illa vis? quæ tãdem est, quæ inuestigat occulta, quæ illa tam multa possit effingere, &c. Ergo quia cùm sensus accessit ad vitam, vita non relinquitur, etiam cùm ad sensum ratio adiuncta fuerit, quæ hominis est perfectio, nec vita, nec sensus, nec omnia ad vtrunque genus conseruandum facientia, omittẽda sunt. Ex quo efficitur, vt ea omnia ad perfectionem hominis, id est, ad summum bonum valeant. ITAQVE & viuere vitem & mori dicimus] in veteri est, ET VIVERE, & vigere, & mori] APTA QVAEDAM ad naturam aptare] alij melius, PVTARE.

In ipsa enim parum magna vis inest, vt quàm optime se habere possit.

Natura vitis postulat, vt ipsa cum suis partibus omnibus quàm optimè habeat, quòd quia ipsa per sese assequi commodè non potest, ars agricolarum accedit, quæ vt ea quàm aptissimè ad naturam affecta sit, curat. Nec certè aliter efficeret ipsa, si intrinsecus id, non extrinsecus accederet. Nihil enim eorum quæ ad colendam vitẽ pertinent, omitteret. Iam si sensus ad artem eam adiungeretur, is non illis quidẽ primis neglectis, appetitionem rerum naturæ accommodatarum, & contrariarum reiectionem adferret: nec id tantum, verum etiam is se ipse diligeret, tueretur, conseruaret. Adde tertium, animum rationis & consilij participem, is nõ negliget, quę posteà accesserunt, sed pro dignitate omnia æstimans, de nobiliori fine tuendo cogitabit, id est, de eo, qui tam præstantis animi proprius sit: ita tamen vt priora quæ aderant, cõcurrant, ad summam summi boni constituendam. Ista igitur progressio, quum in his naturis valeat, valebit quoque in humano genere. Nam homo non statim à primo ortu perfectus est & absolutus, sed sensim à sui charitate ad sapientiam proficiscitur. EORVMQVE OMNIVM appetitum] in veteri scriptum est, EORVMQVE omnem appetitum.

Quod cumulatur ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta.

Academicorum lib. 1. ait Cicero, veteres illos Academicos & Peripateticos in hoc constituisse summum & extremum rerum expetendarum, si quis adeptus sit omnia è natura & animo, & corpore, & vita. & addit, Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus. Valetudinem, vires, pulchritudinem in toto: in partibus autem sensus integros, & præstantiam aliquam partium singularẽ: vt in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocũ impressionem. Animi autem quę essent ad cõprehendendam ingenij virtutem idonea, eáque ab iis in naturam, & mores diuidebantur. Naturæ celeritatem ad discendum, & memoriam dabant: quorum vtrunque mentis esset proprium & ingenij. Morũ autem putabant studia esse, & quasi consuetudinem, quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant, in quibus erat philosophia ipsa. In qua quod inchoatum est, neque perfectum, progressio quædam ad virtutem appellatur: quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturæ, omniumque rerum, quas in animis ponunt, vna res optima. Ergo hæc animorum. Vitæ autem (id enim erat tertiũ) adiuncta esse dicebant, quę ad virtutis vsum valerent. Nã virtus animi bonis & corporis cernitur in quibusdam, quæ non tam naturæ, quàm beatæ vitæ adiuncta sunt. Quem locũ huic disputationi lucis plurimum adferre puto. est enim totius rationis Peripateticę de moribus velut argumentum.

Nunc verò à primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici.

Docuerunt Philosophi, hominis animum primò perfectum & absolutum à parẽte & effectore vniuersitatis huius procreatũ fuisse: vsqueadeò vt nec ei defuerit res aliqua, quo minus omnibus iis, quę ad naturæ suæ perfectionem attinerent, comple-

retur:itaque non modò sapienter & intelligenter naturæ officia præstare tū potuisse, verum etiam omnium rerum cognitionem in procinctu & sine vlla hæsitatione tenuisse. Eum verò corpore statim inclusum, illam ex corporis contagione amisisse perfectionem: ac vitam secutum in sentiendo positam, intelligendi acumen obscurasse, proq; rebus æternis & constantibus, quarum erat intelligens, de iis quæ interitum patiantur, & instabiles sint cogitasse: pro honestis & virtuti congruis actionib', quibus obeundis habilis erat & alacer, pigrū & ignauum factum, voluptates ac permotiones corporis secutum fuisse. Primum itaque tā præclara animi dona quasi confusa fuisse & occultata corporis tū obtusitate, tum mortalitate, quæ animum à rerū vera cognitione reuocauerit. Progredientibus tamen ætatibus, animo sese erigente ex his tenebris, sensim sese cognosse: & primū ex sensuum perceptis progressionē ad res vniuersas, ac causas rerum, factam fuisse. Ex quo animus intellexerit, quid appetendum, quid fugiendum fuerit, quid naturæ accommodatum, quid alienum, quid statum conseruet, quid labefactet: vnde summi boni in tuenda tota natura, eiúsque singulis partibus collocati, notitia emerserit. Scilicet dum non intellexerunt quæ tantæ calamitatis, tantæ corruptionis in genere humano causa esset, hæc figmenta, ne non aliquid dicerent, adinuenerunt. Causam erroris non ex corpore emanasse noscimus, diuinis oraculis admoniti: sed ex illa primi parentis à Dei præscriptis impia auersione, quæ, vt radix corrupta omnes stirpis ramos, totam generis humani sobolem infecit: è quo iniquitatis fonte omnia malorum genera nascuntur. NVNC verò à primo quidem mirabiliter, &c. Vetus habet, NVNC VERO quòd mirabiliter occulta natura est, nec prospici, nec cognosci potest.] & paulo pòst sequitur in eodem, PRIMVS QVE appetitus ille animi tantum agit, vt salui atque integri esse possimus. Quum autem dispicere cœpimus, & sentire quid simus, &c.

Nepas aculeis.

Nepam, ait Nonius, quidam cancrum putant, ob illud Plauti, Retrouersum cedam, imitabor nepam. Sed verè scorpius dicitur. sic enim ex Arato vertit Cicero,

Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram. Græca sic habent,
Σκορπίοιο ἀγχιπόντοιο θυτήριον αἰωρῆται.

Citat ad eam rem hunc locum Nonius, & in eius codice legitur, NATARE anaticulas, volare merulas, cornibus vti videamus boues, nepas aculeis, &c. Malè in quibusdam codicibus Ciceronianis, VESPAS, legitur pro, NEPAS.

Parui enim primo ortu sic iacent, tanquam omnino sine animo sint.

In homine progressio, è paruis initiis ad magnas res fit, si ab initio spectetur. Paruuli primo ortu, nec mouēdi se vſq̄, nec se tuendi desiderio teneri videtur, sed quasi stipites iacere. Paulatim progrediēte ętate, tardius q̄ beluę ingrediūtur, imbecilli, nudi, nec armis ad se tuēdos instructi: quū verò firmiores effecti sunt, & ætatis pueritioris, tū rationis & mētis actiones apparēt: atq; ita quāto imbecilliores cęteris animātibus principio cernebātur, tāto superiores pòst cōspiciūtur. Iam principatū animi agnoscūt, & quid natura duce, quid ratiōe sit appetendū, inquirūt: vsqueadeò vt ad omnē virtutē apti esse & accommodati ex primis actionibus intelligantur. Gaudent paruuli cum æqualibus versari, inter ludendum quod suum cuique est, reddi & tribui volunt, gratificari aliis cupiunt: hæc sunt iustitiæ simulacra. Eorum quę vident, inquirunt nomina, fabellas libenter audiunt, si quippiam sua industria fecerint, lætantur: attentius quæ fieri vident, aduertunt: seminaria hæc sunt sapientiæ, & studij literarum ac prudentiæ. Inter decertandum, si vincantur, ægrè ferunt: si vincant, gaudēt: nemini parere volunt, nisi præcipienti aut docenti, aut legitimè imperanti: initia vides fortitudinis & magni animi. Si quid inhonestius aut factū, aut dictum, siue à se,

siue ab aliis percipiant, erubescunt: in eo elucet modestiæ, temperantiæque significatio. ADVERTVNTQVE ea quę domi fiunt, &c.] Hic locus paulò aliter est scriptus in veteri, in hunc modum, ANIMADVERTVNTQVE ea quæ domi fiunt curiosius, incipiuntque commentari aliquid facere, & eorum quos vident, volunt, &c.

Est enim naturâ sic generata vis hominis, vt ad omnem virtutem.

Sæpe apud Aristotelem hanc virtutum diuisionem reperias, vt alia φυσικὴ ἀρετὴ, alia ἠθικὴ nominetur, quam κυρίαν aliquando nominat. Sic enim in libris de Moribus ad Nicomachum disputat, ὡς ἡ φρόνησις πρὸς τὴν δεινότητα, οὐ ταυτὸν μὲν, ὅμοιον δὲ, οὕτω καὶ ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν. πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως. καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοὶ, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ τἄλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. Quātū, inquit, ad ingenij celeritatem, cui similis est, non eadem, prudētia valet, tantum à natura concessa virtus, ad eam quæ vera est, & proprio virtutis nomine nuncupatur. Est enim naturâ sic generata vis omnium, vt ad mores omnes percipiēdos facta videatur. Nam à primo statim ortu in nobis iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum generis eiusdem virtutum semina habemus.

Sunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quasi carmen.

Vetus codex, QVIBVS ACTIS.] Principia honestatis nobis ingenerata sunt, non opinione finguntur. Nam & communis intelligentia, quæ nobis à natura data est, nos docet, vt honesta in virtute ponamus, in vitiis turpia: quam quidem intelligētiam in paruulis cernere licet: quanquam sæpenumero malis moribus ea deprauatur, & in contrariam partem deducitur. Non possunt quiescere parui: significāt itaque non ad ocium, sed ad actionem nos esse natos. Diligunt à quibus beneficiū aliquod acceperunt: gratitudinis initia sunt, & liberalitatis. Audire alios gestiunt: sapientiæ semina vides. Propulsant iniuriam quantum possunt, ab iis quos amant: ea sunt fortitudinis simulacra. Contra, ociosos & quietos sibi pares si vident, rident: segnitiam ergo fugiūt. itemque denegare verentur quicquam, quod præstare possint iis quibus debent: abhorrent igitur ingratum animum. Obiiciunt aliis inscitiam, tarditatem, obliuionem: vitio vertunt, si quis quod placet, metu doloris cuiusdam, parare non audeat: quæ res ignauiam, & studij contemptum à natura nostra alienum esse significat.

Non sine causa eas quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas vide.

Sic Aristoteles de paruis loquens, ἐν τούτοις γὰρ, inquit, τῶν μὲν ὕστερον ἕξεων ἐσομένων ἔστιν ἰδεῖν οἷον ἴχνη καὶ σπέρματα. Nā in iis, inquit, animi morum qui consecuturi sunt, quasi vestigia seminaque videri possunt. Attingit autem prouerbium θεῷ ἕπου: quod accommodatè ad hunc locum Plutarchus exponit, ἐν τῷ περὶ τοῦ ἀκούειν, Σὺ δὲ, inquit, πολλάκις ἀκηκοὼς, ὅτι ταυτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι θεῷ, καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν, οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς ἄφροσιν ἀποβολὴν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινὸς ἢ ἀργυρωνήτου, θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβανόντων τὸν λόγον, ᾧ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. Tu verò, inquit, qui sæpe numero audisti, idem esse, Deum ducem subsequi, quod rationi obtemperare, existima hanc in virorum numerum pueris relictis coaptationem, imperij non esse prudētibus reiectionem, sed imperantis, & domini commutationem: vt pro mercede cōducto quodam & venali ductore, vitæ ducem diuinum, id est, rationem accipiāt: quam qui subsequuntur præeuntem, ij soli liberi existimandi sunt.

Imbecilláque mente vis naturæ quasi per caliginem cernitur.

Quum ambiguam quandam & imperfectam ac tenuem rerum notitiam significare volumus, eas nos quasi per nebulam videre, per caliginē cernere, per somniū meminisse dicimus. Sic Plato κατὰ τὸ σκότος, καὶ καθ' ὕπνον solet dicere. Quod per

mediam nebulam intuemur, inquit Erasmus, eius confusam duntaxat imaginem, ac velut vmbram incertam aspicimus. cuiusmodi sunt quæ per caliginem cernũtur in tenebris. Hinc igitur ducta est metaphora.

Intrandum est igitur in rerum naturam, & penitus quid ea postulet.

Quid natura postulet, quaq; in re posita sit eius optima constitutio, qui intelligere vult & perspicere, is ab ea non recedat, is eam cognoscat penitus necesse est. Eam autem cognoscet, qui sibi ducem philosophiam elegerit id est, matrem omnium rerũ bonarum sapientiam. Hæc enim vna nos quum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum, docere potest, vt nosmetipsos noscamus. Cuius præcepti, ait M. Tullius, tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo, id est, Pythio Apollini tributa fuerit. Nam qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum ingeniúmque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere Dei semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & quũ se ipse perspexerit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit, quantaq; instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium quasi adũbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus, sapientia duce bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

Cognitio autem hæc est vna, vt vim nostri corporis animique norimus.

M. Q. Fratri, Cessator esse noli: & illud, γνῶθι σεαυτόν, noli putare ad arrogantiā minuendam solum esse dictum, verum etiam vt bona nostra norimus. Ion quidam apud Plutarchum τὸ γνῶθι σεαυτόν, inquit, τοτ' ἔμιγ', ἔργον δ' ὅσον ζεὺς μόνος ἐπίσταται id est, Illud quidem præceptum, Nosce teipsum, longum non est, rẽ tamẽ præcipit faciendam, quæ quàm magna sit, solus nouit Iupiter. Ex quo illud Iuuenalis,

E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Cicero prima Tuscula. in alia causa, eam habere vim præceptum dicit, vt suum quisque animum noscat, Non enim, inquit, credo id præcipit, vt membra nostra, aut staturā, figurámue noscamus: sed quũ nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quoddam quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hũc igitur nosse, nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptũ, sic vt tributũ Deo sit. Sed illa Ciceroni, hæc Pisoni verba tribuuntur. Meminerimus etiam Ciceronem nolle, vt quis tabellis obsignatis secũ agat, & testificetur quid dixerit aut scripserit aliquando. Nos, inquit, in diem viuimus, quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Itaque soli sumus liberi.

Sequamurque eam vitam, quæ rebus ipsis perfruatur.

Alij codices habent, PERFICIATVR.] Nos qui homines sumus, id est, qui corpore constamus & animo, ad vtrinsque conseruationem apti sumus & accommodati naturâ, vtrunque tueamur, & quod vtrique consentaneum est & commodum. Non ita quod corporis est, sequamur, vt quod ad animum pertineat, deseramus, quemadmodum Aristippus, & voluptatis defensores. Non tam miremur & suspiciamus animum, & quæ illius status sunt conseruantia, vt alteram nostri partem, licet inferiorẽ, negligamus, vt Zeno fecit, & qui solum honestum quod sit, id bonum esse voluerũt. Has enim partes tuendi & conseruandi desiderio & appetitione omnes tenemur: quam rem si semel adepti fuerimus, cùm summum sit bonum, quod omnes appetũt, ὃ πάντες ἐφίενται, non dubium quin finem bonorum adepti fuerimus. Sic indicant philosophi, qui longius intelligentiam porrigere aut noluerunt, aut certè non potuerunt. Nimis autem angustis summum hominis bonum finibus concluserunt: & tamen ne illud quidem vnquam vllus assecutus est. Nam si aliquãdo aliqua virtutis significatio eluxit, ea aut inuidia oppressa est, aut odio hominum extincta.

Vtrum enim sit voluptas in his rebus, quas primas secundum naturam.

Plato ait, τὴν παίδων παιδικὴν εἶναι πρώτην αἴσθησιν, ἡδονὴν καὶ λύπην: Paruulorũ primum sensum esse voluptatis & doloris. Quibus verbis videtur in iis posuisse voluptatem, quæ sunt prima secundum naturam. Stoici id vehementer negant, voluptatemque aiunt posterum esse quid & consequens. ὃ δὲ λέγουσί τινες, aiunt, πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζώοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν. ἐπιγέννημα γάρ φασιν, εἰ ἄρα ἔστιν, ἡδονὴν εἶναι, ὅταν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ, ὃν ἂν τρόπον ἀφιλαρύνεται τὰ ζῶα, καὶ θάλλει τὰ φυτά. Quòd autẽ, inquiũt, quidam tradunt, voluptatis primam appetitionem esse animalibus, id omnino falsum est. Nam si qua perfundantur voluptate animantia, id posterum quodãmodo & consequens putandum est, quum scilicet ipsa vi sua & per sese natura, quæ sui statum conseruantia sint & salutaria requisierit, eaque consecuta fuerit: atque ea quidem ratione & hilarantur animalia, & florescunt arbores. Huius igitur quæstionis vtrã partem defendas, ad id quod nunc tractatur, nihil interest. Nã si posterum esse & quid consequens intelligatur, cùm non absoluat naturã & perficiat, summũ bonũ esse nõ possit: sin in primis naturæ constituatur, pars, non summa erit finis bonorum.

Si enim, vt mihi quidem videtur, non explet bona naturæ voluptas.

In bonis ne voluptas esset annumeranda, dum inquirunt philosophi, & ad vtrãque partem rationes adferunt, in bonis non esse ita confirmant, vt refert Aristoteles, πρῶτον μὲν γάρ φασιν εἶναι τὴν ἡδονὴν γένεσιν, τὴν δὲ γένεσιν ἀτελῆ τι, τὸ δὲ ἀγαθὸν, οὐδέποτε τὴν τοῦ ἀτελοῦς χώραν ἔχειν. alia addit, sed ad hunc locum minus pertinent. Nam illud, inquit, in primis aiunt, voluptatem ob id in bonis non esse ponendam, quod ea procreatio quędam sit, quę imperfectũ quippiam est & non absolutum, cùm bonum in rebus inchoatis & minimè absolutis locum non habeat. Id tamen eodem loco refutat, & alicubi statuit voluptatem virtutis consequens, & præclararum actionũ, nõ contra, virtutem voluptatis. Ex quo facilè licet intelligere, non in primis naturę voluptatem positam esse ab Aristotele: sed in posteris & consequentibus. Vtram autẽ partem teneas, nihil, vt dixi, refert: cùm ob id extremum rerum expetendarum idẽ semper sit in naturæ absolutione & perfectione positum.

Vnum aliquod accesserit corporis commodum.

Voluptas, vt dicebat lib. 2. omnium Latinè loquentium more dicitur, quum ea percipitur, quæ sensum aliquem moueat iucunditas: quæ iucunditas, si transferatur ad animum, lætitia & gaudium dicatur: ita tamen vt voluptas etiam ad animi illã lætitiam accommodetur. Itaque huic verbo voluptatis duæ res subiectę intelliguntur, lętitia in animo, & in corpore suauis commotio. Propriè igitur eam nunc dicit, quæ ad corpus pertinet, suauitatẽ. Id genus enim propriam voluptatis appellationẽ habet, vt etiam scribit Aristoteles, εἰλήφασι τὴν τοῦ ὀνόματος κληρονομίαν αἱ σωματικαὶ ἡδοναί, διὰ τὸ πλειστάκις παραβάλλειν εἰς αὐτὰς, καὶ πάντας μετέχειν αὐτῶν. διὰ τὸ μόνας οὖν γνωρίμους εἶναι, ταύτας μόνας οἴονται εἶναι. Sibi, inquit, voluptatum hæreditariũ nomen vendicarunt quæ corpus mouent iucũditates, quia quamplurimi his alliciuntur, earumque participes omnes esse volunt. Ita cùm has sibi solum notas & familiares fecerint, tantum ipsas, non etiam alias, esse putant.

Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, vt non solum.

Hactenus de prima naturę commẽdatione in sui cuiusque charitate posita egit, indeq; iam conclusit, illa initia tueri conseruareque totius naturæ statum. Nunc sequitur, vt singula persequenda sint, & res enodatius explicandæ. Huc enim vsque de totius corporis & animi cura dixit, deq; prima sui cuiusq; charitate: iã partes vtriusq; & attributa considerat, quam quæque vim habeat, quò spectet, quid appetat, vt ex iis

colligat omnes nostras vires, actiones, & consilia eò referenda esse, vt totus homo conuenienter naturæ viuat: quod rerum expetendarum extremum est, & summum bonum.

Vidésne, vt si qua in membris praua, aut debilitata, aut imminuta sint.

In corpore morbus est, ægrotatio & vitium. Morbus appellatur totius corporis corruptio. Aegrotatio, morbus cū imbecillitate. Vitium, quum partes corporis inter se dissidēt. Ex quo prauitas membrorum, distortio, deformitas. Sic ergo dispu:at, Deformitas membrorum nemini placet: ergo pulchritudo & apta partium compositio, & conueniens naturæ actio, nobis sunt accommodatæ. Ex autem naturæ statū conseruant & tuentur: quare ad numerum bonorum, & vt summum bonum expleant, referantur necesse est.

Multósque etiam curationis causa dolores perferant.

Tanta est naturæ conseruandæ appetitio, vt etiam eius rei causa dolores perferre nemo sanæ mentis recuset. Ita C. Marius libenter acrem morsum doloris pertulit, quum varices secarentur: tantóque desiderio naturalis status recipiendi tenebatur, vt principio vetuerit se alligari, nec quisquam ante eum solutus dicitur esse sectus. Qui si naturæ cōgruam motionē non expetisset, tātum certè dolorem ferre recusasset. Crus enim alterum non præbuit. Igitur & tulit dolorem, vt quod ad naturæ absolutionem pertinebat, recuperaret, & maiorem ferre sine causa necessaria noluit. QVOD VNIVERSVM propter se expetatur, quód in motu & in statu corporis nihil est, quod animaduertendum, &c. In veteri scriptum, QVOD VNIVERSVM propter se expetatur. Quid? in motu & in statu corporis nihil inest, quod animaduertendum esse natura iudicet?] quæ lectio propemodum eadem illi est, quam probat Camerarius.

Nónne odio dignos multos putamus, qui quodā motu aut statu videntur.

In motu & statu naturæ congruentibus, si peccetur distortione, aut deprauatione quadam, aut deformitate, vt si quis aut manibus ingrediatur, aut non antè, sed retro: fugere planè se ipse, & hominem ex homine exuens naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quædam, & flexi fractique motus, quales proteruorū hominū aut molliū esse solent, contra naturā sunt: vt etiam si animi vitio id eueniat, tamē in corpore immutari hominis natura videatur. Itaq; è cōtrario moderati æquabilésque habitus, affectiones, vsúsque corporis apti esse ad naturam videntur. Est autem de Officiis extremo libro primo caput, quo docemur, quæ forma virū, qui motus, qui gestus deceat: quæ vitia in gestu, quę in motu cauenda sint. Nā, inquit, & Palæstrici motus sæpe sunt odiosiores, & histrionum gestus ineptiis non vacant: & in vtroque genere quæ sunt recta & simplicia laudantur. Cauendum etiam præcipit, ne aut tarditatibus vtamur in gressu mollioribus, vt pompariū ferculis similes esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. Iam intelligere ex iis possumus, quo motu aut statu quispiam naturæ legem & modum contempsisse dici possit.

Cur nō etiam, ac fortasse magis, propter se formæ dignitatē sequamur?

Dignitas formæ aut pulchritudo est, quæ ad virum: aut venustas, quæ ad mulierem pertinet. Formæ dignitas coloris bonitate conseruatur: color exercitationibus corporis. Formę dignitati contraria est & aduersa prauitas, & imminutio corporis: quemadmodum turpitudo pulchritudini. Si igitur alterum fugiendum sit, expetendum erit alterum: & si vnum contra naturam sit, profectò alterum è natura sit, necesse est. QVARVM EST ASPECTVS illustrior] vetus, CONSPECTVS.

Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor, & sciẽtiæ, vt nemo.

Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ᾽ ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις. καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι᾽ ἑαυτάς. Omnes homines, inquit Aristoteles, naturâ ducuntur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem. Quod ex eo intelligi potest, quia propter se, detracta etiam omni opinione vtilitatis, sensus diligũtur, ac chari sunt. Itaque ex quatuor locis, in quos honesti natura visque diuisa est, primus ille dicitur esse, qui in veri cognitione consistit, & maximè naturam attingere humanã, in quo genere excellere pulchrum est. Labi autem & errare, nescire, & decipi, & malum & turpe ducitur, vt Cicero de Offic. lib. 1. scribit. VT PVLSI requirant, &c.] Hic locus in veteri paulo aliter legitur: hoc quidem modo, VT EVLSI recurrant? vt aliquid se scire gaudeant? vt aliis narrare se gestiant?

O decus Argolicum quin puppim flectis Vlysses.

Locus est ὀδυσσείας μ̄.

Δεῦρ᾽ ἄγ᾽ πολύαιν᾽ ὀδυσσεῦ μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
Νῆα κατάστησον ἵνα νωιτέρην ὄπ᾽ ἀκούσῃς.
Οὐ γάρ πω τις τῇδε παρήλασε νηὶ μελαίνῃ,
Πρίν γ᾽ ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ᾽ ἀκοῦσαι,
Ἀλλ᾽ ὅγε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.
Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ᾽ ὅσ᾽ ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν,
Ἴδμεν δ᾽ ὅσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Quod ait, REGVM VESTIGIA, haud scio, legendúmne sit, RERVM VESTIGIA, cùm tantum Græcè sit ὅσα γένηται: iudicent eruditiores.

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir ir.

In quouis scriptore illud maximè probatur, si decorum cuique & aptũ tribuat. Ita Homerus qui nil molitur ineptè, vt ait Horatius, sed accommodatissimè omnia scribit pro rerum dignitate, in fabula Syrenum, quæ Vlyssem reuocare fingũtur, viro ingenioso singularique prudentia pollicentes eas facit, non diuitias, non breuem & volucrem cantus suauitatem, qua potissimum valebant, sed rerum cognitionem, cuius desiderio eum teneri sciebant. & non modò eum, sed etiam omnes qui nõ hominem ex homine exuerint, suamque naturam oderint.

Sapientiæ cupido.

Vlyssis ducem perpetuam facit Homerus Mineruam: cuius nomine Mythologici sapientiam intelligunt, & initio Odysseæ πολύτροπον appellat.

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Atque omnia quidẽ scire cuiuscunque modi sint, cupere, curiosorum est.

Itaque in hoc genere duo vitia esse vitanda dicit Cicero, quorum alterum hoc pertinet, quòd quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. quod curiosorum proprium est: quibus familiare est illud quo se tueantur, οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ᾽ εἰδέναι, quo in quadam Epistola ad Atticum lib. 4. M. Tullius vtitur.

In Archimede, qui dũ in puluere quædam describit attẽtius, ne patriam.

Archimedes nobilis Geometra, genere Syracusanus fuit. Eum memoriæ proditum est in tanto tumultu, quantum captę vrbes in discursu diripientium militũ ciere poterant, intentum formis, quas in puluere scripserat ab ignaro milite quis esset, interfectum fuisse: quam rem ægrè Marcellus tulit, sepulturæque curam habuit. Plinius ait, Grande Archimedi geometricæ ac machinalis scientiæ testimoniũ M. Marcelli contigit interdicto, cùm Syracusæ caperentur, ne violaretur vnus, nisi fefellis-

set imperium militaris imprudentia. Refert & eius mirabilem studij ardorem Plutarchus, cuius verba hæc sunt, Α'ρχιμήδην δὲ βίᾳ τῶν διαγραμμάτων ἀποσπῶντες συνεχῶς ἤλειφον οἱ θεράποντες. ὁ δὲ ἐπὶ τῆς κοιλίας ἔγραφε τὰ σχήματα τῇ στλεγγίδι, καὶ λουόμενος, ὥς φασιν, ἐκ τῆς ὑπερχύσεως ἐννοήσας τὴν τοῦ στεφάνου μέτρησιν, οἷον ἔκ τινος κατοχῆς ἢ ἐπιπνοίας ἐξήλατο, βοῶν, εὕρηκα, καὶ τοῦτο πολλάκις φθεγγόμενος ἐβάδιζε. Latinè dicam, vt potero, Archimedē famuli vi aliquando à formis describendis auulsum, cùm vngerent, radio figuras in ventre suo ipse scribebat: deinde quū lauaretur, & ex infusione, vt aiunt, mensuram coronæ & modum intellexisset, quasi nodo quodā exolutus, & veluti numine afflatus, in vocem hanc erupit, Inueni, eámque vocem sæpe, iter faciens, repetebat. Meminit Valerius lib. 8. de studio & industria.

Quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis?

Vetus, INGENIT.] Aristoxenus præstans musicus, idémque philosophus, Dicæarchi condiscipulus & æqualis. Magistris vsus est, patre suo, & Erythræo quodam, deinde Xenophilo Pythagoreo, & postremùm Aristotele, in quem morientem conuicia iecit, quia scholæ successorem Theophrastum reliquerat. Floruit tēporibus Alexandri & successorum eius. de Musicis libros conscripsit, & de philosophia, item de historiis quamplurimos. Is ita, vt est in Tusculanis, delectabatur suis cātibus, vt eos etiam pro animo statuerit. Volebat enim animū non aliud esse, quàm ipsius corporis intensionem quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura & figura varios modos cieri, tanquam in cantu sonos. Hic, ait Cicero, ab artificio suo non recessit, & tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multò antè dictum & explanatū à Platone, Tusculan. 1. Aristophanes Byzantinus, grammaticus celeberrimus, auditor Callimachi & Zenodoti, præceptor Aristarchi, in exponendo & interpretando Homero plurimum operæ posuit.

Quid de Pythagora: quid de Platone, aut Democrito loquar?

Pythagoras bouem fertur Musis immolasse, quum Diagrammatis cuiusdam rationem inuenisset: quod Cicero se non credere dicit, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Idem discendi gratia omnibus fermè Barbarorum Græcorumque sacris initiatus est. Relicta patria, Aegyptum lustrauit, à Chaldæisque & Persarum Magis edoctus est. In Cretam item descendit, & posteà Samum, & denique Italis leges dedit. Plato quoque Aegyptum peragrauit, vt à sacerdotibus Barbaris numeros & cœlestia acciperet, post Tarentum ad Archytam & ad reliquos Pythagoreos concessit. Democritum etiā cùm Magos domi & Chaldæos audisset, quos patri eius Xerxes reliquerat, fertur in Aegyptum contendisse, vt à sacerdotibus geometriam disceret, & in Persidem, vt Chaldæos audiret. In India eum cum Gymnosophistis sunt qui tradiderint congressum fuisse, peragrasséque Aethiopiam.

Non intelligunt idcirco ea esse propter se expetenda, quòd nulla videant.

Hi sunt Epicurei, qui ad voluptatem omnes [illegible], [illegible] honesta, nisi voluptatis efficientia sint, nec ad eam pertineant [illegible] artes libidinum ministras faciunt: nec intelligunt [illegible] tam esse percipiendarum disciplinarum, [illegible] lam spectantes addiscere velimus. Et [illegible] qui [illegible] fecerint liberos, vt philosophiæ [illegible] oculis se priuasse dicitur, [illegible] item suos reliquisse, [illegible] ni patrimonium [illegible], ne philosophiæ totum se dederet. Quod [illegible]

guam in eo fuisse scientiæ cupiditatem.

Ipsi enim quæramus à nobis stellarum motus, contẽplationésque rerũ.

Φιλοθεάμων τὸ ζῷον ὁ ἄνθρωπος, ait quidam. Nam res nulla est, quæ maiorem voluptatem adferat, quæ synceriorem, quæ liquidiorem, quę magis liberam, quàm rerum cognitio. Ea enim sola verè lętitia existimari debet: quæ neq; vllius molestię particeps est, neque adfert sui pœnitudinem: cuius recordatio gloriosa est, & memoria prædicanda: quæ animis nostris est accommodata & familiaris, nec aliunde assumitur, vt secundum Aristotelem scribit Plutarchus. Itaque Plato, cùm vt partium animi, ita etiam voluptatum tria genera fecisset: vnum quidem eius partis, in qua irarum ardor existit: alterum eius in qua cupiditas inest: tertium eius proprium quæ in veri cognitione versatur, τριῶν ἄρα οὐσῶν, inquit, τῶν ἡδονῶν ἡ τούτου τοῦ μέρους τῆς ψυχῆς ᾧ μανθάνομεν, ἡδίστη ἂν εἴη, καὶ ἐν ᾧ ἡμῶν τοῦτο ἄρχει, ὁ τούτου βίος ἥδιστος. Igitur tria cùm sint voluptatum genera, id suauissimum existimari debet, quod est partis animi propriũ, quæ in discendo & cognoscendo cernitur: vt quo magis dominatur in nobis, & princeps est hæc particula, eo vitam degamus suauiorem. Quam certè voluptatem, qui non gustauit, partem nullam liquidæ voluptatis & liberæ gustauit.

Et quid historia delectet, quam solemus persequi vsque ad extremũ.

Αἱ ἱστορίαι, ait Plutarchus, τέρψεις πολλὰς μὲν ἐπιτερπεῖς διατριβὰς ἔχουσαι, τὸ δὲ ἀπὸ θυμοῦν τῆς ἀληθείας ἀκόρεστον ἀπολείπουσαι, καὶ ἄπληστον ἡδονῆς, δι᾽ ἣν οὐδὲ τὸ ψεῦδος ἄμοιρόν ἐστι χάριτος. ἀλλὰ καὶ πλάσμασι καὶ ποιήμασι τοῦ πιστεύεσθαι μὴ προσόντος, ἔνεστιν ὅμως τὸ πεῖθον. ἐννοεῖτε γὰρ ὡς δακνόμενοι τὸν Πλάτωνος ἀναγινώσκομεν Ἀτλαντικὸν, καὶ τὰ τελευταῖα τῆς Ἰλιάδος, οἷον ἱερῶν κλειομένων ἢ θεάτρων ἐπιποθοῦντες τοῦ μύθου τὸ λειπόμενον. αὐτῆς δὲ τῆς ἀληθείας ἡ μάθησις οὕτως ἐράσμιόν ἐστι καὶ ποθεινόν, ὡς τὸ ζῆν καὶ τὸ εἶναι διὰ τὸ γινώσκειν. Latinè dicam, in eorum gratiam qui Græcarum literarũ rudes sunt. Historiæ, inquit, cùm multas adferre solent suaues oblectationes, tum veri cognoscendi insatiabilem post se relinquunt appetitionem, voluptatemque incredibilem. cuius quidem voluptatis tanta vis est, vt ista delectatione, ne si falsum quidem sit quod legimus, priuemur: vtque quantũuis fictas fabulas audiamus, si nõ credamus, probabiles certè iudicemus. Animaduertere enim licet, quum Platonis Atlãticon legimus, quumque postremam Iliados partem, quemadmodum pungamur ac moueamur, qui quasi phanis, aut theatris clausis, persequi ad extremum vsque fabulam magnopere desideremus. Cognitio autem & veri scientia tam placet, oblectat, & expetitur, vt esse & viuere nos velimus, vt in studiis scientiæ cognitionísque versemur.

Ac veteres quidem philosophi in beatorũ insulis fingunt qualis natura.

Veteres Ethnici suis Heroibus, & philosophi suis sapiẽtibus beatorũ attribuunt insulas, & campum Elysium, vbi è vita excesserint. Eæ autem insulę Oceano cõclusę dicuntur, quas perpetuò ventus afflet Fauonius: singulisque annis illic arbores ter fructus pducere ferũtur. Quidã scribunt Iulium Cæsarẽ, hominẽ multis in rebus fortunatissimum, & qui maris Oceani imperio potitus erat, eò aliquando peruenisse: eumque loci amœnitate & pulchritudine summa teneretur, eum locum habitare voluisse, vi tamen expulsum ab incolis fuisse. Socrates apud Platonem locum quendam beatis animis tribuit, in quo tanta sit temperies, vt incolæ sine vllo morbo viuãt & veram rerũ naturã perspiciãt. τὰς δὲ ὥρας αὐτῆς, inquit, κρᾶσιν ἔχειν τοιαύτην, ὥστε ἐκείνους ἀνόσους εἶναι, καὶ χρόνον τε ζῆν πολὺ πλείω τῶν ἐνθάδε. καὶ ὄψει, καὶ ἀκοῇ, καὶ φρονήσει, καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις ἡμῶν ἀφεστάναι τῇ αὐτῇ ἀποστάσει, ᾗπερ ἀήρ τε ὕδατος ἀφέστηκε, καὶ αἰθὴρ ἀέρος πρὸς καθαρότητα. καὶ δὴ καὶ θεῶν ἄλση τε καὶ ἱερὰ αὐτοῖς εἶναι, ἐν οἷς τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι, καὶ φήμας τε, καὶ μαντείας, καὶ αἰσθήσεις τῶν θεῶν, ἢ

ποιοῦνται τὰς συνουσίας γίνεσθαι αὐτοῖς πρὸς αὐτούς. καὶ τόν γε ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι ὑπ' αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι. Temporũ autem eius regionis aiunt partes eiusmodi esse temperatione, vt incolæ morbo omni liberati, diuturniorem vitam, quàm nos in hoc mundo, agant. Itemque aspectu eos, auditu, prudentia, & cæteris omnibus de genere eodem, nobis præstare, tanto quidem interuallo, quanto ab aqua puritate aër, & ab aëre æther distat. Illis prætereà Deorum lucos & phana in conspectu esse, in quibus verè Dij habitẽt: responsa quoque, oracula, sensus, & eiusmodi consuetudines ac familiaritates Deorum cum ipsis hominibus esse frequentes. Solem hunc prætereà quem cernimus, lunam & sidera illis talia conspici, qualia ipsa re vera sunt: itemq; illos alias beatæ vitæ partes ac numeros omnes consequi.

Nihil aliud esse acturos putant, nisi vt omne tempus in quærendo.

Eam vitæ actionem quæ in cognitione rerum & contemplatione cernitur, Deorum propriam esse Aristoteles tradit: atque etiam hominum actionem, quo ad hanc propius accedat, eo esse beatiorem. Et Socrates Axiochum consolans, οὐκ εἰς θάνατον, inquit, ἀλλ' εἰς ἀθανασίαν μεταβάλλεις, ὦ Ἀξίοχε, οὐδὲ ἀφαίρεσιν ἕξεις τῶν ἀγαθῶν, ἀλλ' εἰλικρινεστέραν τὴν ἀπόλαυσιν, οὐδὲ μεμιγμένας θνητῷ σώματι τὰς ἡδονάς, ἀλλ' ἀκράτους ἁπασῶν ἀλγηδόνων. κεῖσε γὰρ ἀφίξῃ μονωθεὶς ἐκ τῆς εἱρκτῆς, ἔνθα ἄπονα πάντα καὶ ἀστένακτα καὶ ἀγήρατα, γαληνὸς δέ τις καὶ κακῶν ἄγευστος βίος ἀσαλεύτῳ ἡσυχίᾳ ἐνδιαζόμενος, καὶ περιαθρῶν τὴν φύσιν. καὶ φιλοσοφῶν οὐ πρὸς ὄχλον καὶ θέατρον, ἀλλὰ πρὸς ἀμφιθαλῆ τὴν ἀλήθειαν. Non est, Axioche, quod timeas, nõ enim in mortem proficisceris, sed ad immortalitatem transis. neque tum abstrahêris à bonis, sed ad synceriora perfruenda contendes. Non iam mortalis corporis communes senties voluptates, sed puras, & nullis doloribus permixtas gustabis. Eò enim tanquam è custodia vinculisque corporis liberatus, euolabis: vbi nullus dolor, nullus mœror, nulla senectus locum vllum habet: sed semper adest tranquillitas quędam, & vitę malis omnibus carentis, omne tempus cum omni sedatione & quiete, in naturæ cognitione consumitur. Illicque philosophiam tractabis, non vt cœtus aut theatri volutati subseruias, sed vt quid in quaque re verissimum sit, perspicias.

Sed etiam leuamentum miseriarum.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, Ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ, ait quispiã. Et testatur Cicero in prœmio lib. 1. de Nat. Deorum, se hanc ægritudinibus adhibuisse medicinam. Sic enim inquit, de suis in philosophia studiis loquẽs, Hortata est vt me ad hæc conferrem animi ægritudo; fortunæ magna & graui commota iniuria: cuius si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimũ confugissem. Præclarè itaque Aristoteles, τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν, Eruditionem in prosperitatibus ornamentum quoddam esse, & in aduersitatibus perfugium, dicebat.

Princeps huius ciuitatis Phalereus Demetrius, quum patria.

Demetrius iste Phalereus Philosophus Peripateticus, Theophrastum audiuit, Athenisque δημαγωγὸς fuit, vel vt Laërtius extulit, δημηγορῶν τοῖς Ἀθηναίοις τῆς πόλεως ἐξηγήσατο ἔτη δέκα. præclarè Remp. administrauit. Reditibus enim vrbem amplificauit & ędificiis, tametsi ignobilis fuerit. Tandem in eum inuidia commota est, & insidiæ paratæ, vsqueadeò vt mors absenti decreta fuerit. ita cùm præsentẽ hominem non tenerent, eius statuas quæ plurimæ erectæ fuerant, vnica in arce seruata, deiecerunt. Ipse autem mortuo Cassandro, cùm ab Antigono sibi timeret, ad Ptolemæum σωτῆρα se contulit: apud quem diu versatus, tandem moritur. Plurimos autem testes studiorum suorum libros reliquit: φιλοσοφικά τε, καὶ ἱστορικά, καὶ πολιτικὰ, ἄλλ.

περὶ πάντων συχνὰ βιβλία συνέγραψεν, vt est apud Suidam. Plutarchus scribit eum inter Ptolemæi amicos principem fuisse, & non modò in eo exilio abundantem omni rerum copia vixisse, verum etiã Atheniensibus dona misisse amplissima. Cicero Demetrium scribit fuisse virum non solum eruditissimum, sed ciuem & Reipub. maximè tuendęque ciuitatis paratissimum, eúmque mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum, ocioq; non modò in solem atque puluerem, sed in ipsum discrimen aciemq; perduxisse.

Equidẽ è Cn. Aufidio Prætorio, erudito homine, oculis capto sæpe au.

Lucis desiderio Aufidius non sine causa mouebatur. Nam videre ad cognitionem & scientiam pertinet. præclarè enim Plato, Rerum, inquit, optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam mundi machina & molitio haud vnquam intelligi potuisset, si neque sidera, neque sol, neque cœlum sub oculorum aspectũ eadem posset. Natura ergo duce Aufidius trahebatur & ducebatur ad cognitionis & scientię cupiditatem: à cuius studiis ne incommodo quidem nostro abduci facilè possumus. Extrema Tuscul. quinta, Aufidiũ dicit in illo suo casu, nec priuato, nec publico muneri defuisse. Pueris nobis, inquit, Cn. Aufidius Prætorius, & in Senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiã, & videbat in literis.

Nisi requietem corporis & medicinam quandam laboris afferret.

In veteri est scriptum, NISI REQVIETEM corporibus & med. ὁ ὕπνος καμάτων αὐτάρκεις ἐστίν, ait Græcus quispiam: & quod apertè Cicero somnũ dicit medicinam laboris, idem ille obscurè, ὁ ὕπνος, inquit, ἰατρῶν κατόρθωμα. Plato lib. 2. de Legib. scribit Deos misertos generis hominum, naturâ laboriosi, requietem laborum eis constituisse, θεοὶ δὲ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο. Quod caret alterna requie, durabile nõ est, ait Poeta. Et præclarè alius, Sopor, inquit, irrigat artus.

Aufert enim sensus, actionémque tollit omnem.

Sensus primum, qui rerum interpretes sunt, ac nuncij, è quibus omnis progreditur cognitio. Sensibus enim mens nostra & ingenium excitatur. Aufert demũ actiones: idcirco eum rectè Socrates cum morte comparabat, quæ sensus & actionum omnium finis est, & interitus.

Facilè est hoc cernere in primis puerorum ætatulis.

Plato hoc scribit eodẽ libro de Legib. ἆρ' οὖν καὶ τὸ περὶ ἀληθὴς ἡμῖν κατὰ φύσιν ὁ λόγος ὑμνεῖται τανῦν, ἢ πῶς. φησὶ δὲ τὸ νέον ἅπαν, ὡς ἔπος εἰπεῖν τοῖς τε σώμασι καὶ ταῖς φωναῖς ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δύνασθαι. κινεῖσθαι δὲ ἀεὶ ζητεῖν καὶ φθέγγεσθαι. Atque nobis quidẽ, inquit, videndũ est, vere ne naturę congruat ille sermo, qui nunc nobis celebratur, & quonam modo verus esse possit, quo dicuntur paruuli omnes vno nomine, conquiescere corpore & voce non posse, sed continuũ motum & sermonem requirere. Quod idem aliquanto pòst, apertius repetit, ἔφαμεν, εἰ μεμνήμεθα, κατ' ἀρχὰς τῶν λόγων, ὡς ἡ φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα, ἡσυχίαν οὐχ οἵα τε ἄγειν, οὔτε κατὰ τὸ σῶμα, οὔτε κατὰ τὴν φωνήν. Diximus, si bene memini, huius orationis initio, omnium infantium naturam acrem esse, & veluti ignitam: ideo cõquiescere, nec corpore possunt, nec voce.

Endymionis somnum nobis velimus dari.

Somnum perpetuum nemo sibi dari velit. Endymion enim, vt est in fabulis, rogatu Lunæ, perpetuum dormit somnum. Cicero Tuscul. 1. Quasi verò, inquit, quisquam ita nonaginta annos velit viuere, vt quũ sexaginta confecerit, reliquos dor-

niat. Ne sues quidem id velint, non modò ipse. Endymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, quũ luna laboret, à qua consopitus putatur, vt eũ dormientem oscularetur? Quid curet autẽ, qui ne sentit quidem? Ob id scribit Plinius, amore Lunæ Endymionem captũ esse tradi, quòd primus hominũ multiplices motus & varias eius figuras intellexerit. Cæterũ hic locus paulò aliter est scriptus in veteri, quàm in impressis: sic quidem in veteri, ITAQVE NISI iocundissimis quidẽ nos somnis vsuros putemus, Endymionis somnium nobis nolim dari. Id si accidat, mortis instar putemus: quia etiam notissimos homines, nescio qua singulari segnitia præditos, videamus tamen & corpore & animo moueri semper, & quum re nulla impediantur, &c.] Deinde paulo pòst, QVVMQVE non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos & sessiúculas consectari.] Quę scriptura, & si mendo non vacet, non est tamen omnino improbanda. Alueolum, Festus exponit tabulam aleatoriam.

Esse omnino nolit in vita, si gerendis negociis orbatus, possit.

Imò ne quidem esse posiit. Qui enim nihil agit, esse omnino non videtur, vt scriptum est lib. de Natura Deorũ 2. Itaque quum sumus necessariis negociis curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audire, ac discere, cognitionémque rerum aut occultarum, aut mirabilium, ad viuendum necessariam ducimus. Est enim ea in nobis mentis agitatio, quæ cùm nunquam quiescat, nos in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere possit, quod ait Cic. de Off. lib. 1. VESCI VOLVPTATIBVS] sic de Diuinatione lib. 1. τὸ ἐπιθυμητικὸν vertit partem animi, quæ voluptate alitur: & lib. 1. dixit, gustare partem vllam liquidæ voluptatis: quod Platoni dicebatur, καθαρᾶς ἡδονῆς γεύσασθαι. Vesci Nonius exponit, vti. Cui Vergilij illud ait esse simile, Quod si fata virum seruant, & vescitur aura Aetherea.

Aut qui altiore animo sunt, capessunt Remp. honoribus, imperiisque.

Quanquam enim, vt est in Officiis, in omni animo bene à natura informato inest appetitio principatus, vt nemini parere velit, nisi præcipienti, aut docẽti, aut vtiliter ac legitimè imperãti: & vt quisque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium, vel potius solus esse: tamen multi sunt & fuerunt qui tranquillitatem expetentes, à negociis publicis se remouerunt, vixeruntque in agris delectati re sua familiari: aut ad ocium profugerunt, studio doctrinæque se dediderunt. Et tamen siue eos qui Rempub. administrant, siue eos qui inde se remouerunt inspicias, nullos videas, quin aut priuatim, aut publicè aliquid agant: non voluptates consectentur: sed potius curas, cogitationes, studia, & vigilias perferant. Apparet itaque naturæ consentaneas esse actiones, non contrarias.

Tantaque est vis talibus in studiis, vt eos etiam qui sibi alios.

Ita Epicurus cũ in voluptate summum bonum posuerit, naturæ bonitate victus, quiescere non potest. Sollicitus est: libros de Natura, de Fine bonorum, de Arte iudicandi, quid verum, quid falsum sit, conscribit: vigilias perfert: noctésque diésq; literis insudat. Nisi enim plurimum temporis & operæ consumpsisset, tot libros, quot aiunt, conscribere non potuisset. At tanti labores, tot solicitudines nõ erant eius, qui solam per se dicat appetendam voluptatem. Quid ergo causæ est Epicure, cur non continuos dies mollibus in plumis cubes, ludas, cœnes, bibas, voluptatibúsque aliis de tinearis? Si omnia tua vtilitate & voluptate metienda sunt, quænã est hæc cura, quæ te exuscitat, vt scriptis tuis nos rerum naturam doceas? nos leues superstitione? nos liberes mortis metu? efficiásque vt non conturbemur ignoratione rerum? vt seruemus illam, quam quasi de cœlo delapsam dicis ad omnium cognitionẽ Regulam, ad quã omnia rerum iudicia dirigãtur? Scilicet natura vinceris: & ita viuere cogeris ac age-

re, vt tua viuendi ratione refellatur oratio, atque vt cęteri existimantur dicere meli* quàm facere: sic tu contrà, videris melius facere quàm dicere. Hoc satis erit exẽpli, vt intelligamus quàm ad agendum natura rapiatur humana.

Actionum autem genera plura.

Id Aristoteles verbis paucis expresſit, dum hominẽ dixit, qui absolutus sit & perfectus ad duas res natum esse, ad agendũ & contemplandũ: θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸν τῶν λόγων. Nam alio loco nomine τῆς εὐφροσύνης, θεωρίαν, complectitur: vt quum ait propriã Deorum εὐφροσύνην esse in contemplatione & cognitione positam. Paucis idem dixit aliàs Cicero, Omnis cogitatio motúsque animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis & pertinentibus ad bene beateque viuendum, aut in studiis scientiæ cognitionísque versatur. Hæc autem actionũ diuisio nata videtur ex ea animi partitione, quam Aristoteles fecit. Animũ enim, vt dixi, in eam partẽ distribuit, in qua scientia & cognitio sedem habet, quod τὸ ἐπιστημονικὸν appellat: & in eã quæ in deliberando & consultando versatur, & λογιστικὸν ἢ βουλευτικὸν nuncupatur. Vnde mens siue cogitatio duplex exorta est, quam idem νοῦν πρακτικὸν & θεωρητικὸν nominat. πρακτικὸς rerum earum est, quæ sub deliberationem & consiliũ cadunt: cuiusmodi secundum genus actionum est: θεωρητικὸς verò ad ea pertinet, quæ semper vno eodémque modo eueniunt: quale est primum actionum genus in cognitione & scientia positum. Est & hic locus aliter scriptus in veteri, quàm in codicibus vulgatis: in hunc quidẽ modum, MAXIMAE AVTEM sunt primum, vt mihi quidem videtur, & his quorum nunc in ratione versamur, consideratio cogitatióue rerum cœlestium, & earum quas à natura occultatas & iacentes indagare ratio potest: deinde rerumpublicarum administratio, aut administrandi scientia, tũ prudens, temperata, fortis ratio, &c.

Omnium enim rerum principia parua sunt, sed suis progreßionibus.

Ita è minutiſsimo grano spatiosa arbor enascitur: è tenuiſsimo semine, animantia bene magna procreantur: ex animo datis primum notionibus exiguis & obscuris, omnes artes & scientiæ, omnes virtutis partes proficiſcuntur. Et Aristoteles, τὰ ἐξ ὑπαρχῆς, inquit, εὑρισκόμενα μικρὰν τὸ πρῶτον ἐπίδοσιν λαμβάνειν εἴωθε. χρησιμώτερα μέντοι πολλῷ τῆς ὕστερον ἐκ τούτων αὐξήσεως. μέγιστον γὰρ ἴσως ἀρχὴ παντός, ὥσπερ λέγεται. διὸ καὶ χαλεπώτατον. ὅσῳ γὰρ κράτιστον τῇ δυνάμει, τοσούτῳ μικρότατον τῷ μεγέθει, χαλεπώτατόν ἐστιν ὀφθῆναι. ταύτης δ' εὑρημένης ῥᾷον τὸ προσθεῖναι, καὶ συναύξειν τὸ λοιπόν ἐστιν. Quæ primum inueniuntur, quanquam ea initio exiguum sumere incrementũ omnia solent, id tamen multo est vtilius, quàm quæ posteà inuentis adiungũtur accesſiones. Nam, vt dicitur, totius maxima pars initiũ est: ideo & alia difficultate superat. Quanto enim in eo maior vis est & virtus, tanto, cũ magnitudine omniũ minimum sit, ad perspiciendum est difficilius. Quo inuento, prætereà adiungere, & quod deest eò congerere facile est. Propttereà vt rectè initiis vtamur, diligenter videndum est: ne si peccemus initio, longè lateque error progrediatur. Rectè itaque Plato, δεῖ δή, inquit, περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴ τι ὀρθῶς, εἴ τι μὴ ὑπόκειται, ἱκανῶς δ' ἐξετασθείσης ἱκανῶς, τὰ λοιπὰ φαίνεσθαι ἱκανὴν ἑπόμενα. Ergo rerum omnium principiis considerandis multa opera, diuturnumque tẽpus ponẽdum est, vt intelligatur an rectè posita sint, nécne. Quorum si vera ratio teneatur, facilè quę consequuntur, apparebũt elusceſcéntque. Dimidium facti, ait Poëta, qui bene cœpit, habet.

Præclarè enim Plato beatum ait, cui etiam in senectute contigerit.

Locus est Platonis ex libro secundo de Legibus, quem vt intelligamus, paulò altius repetemus, λέγω τοίνυν τὴν παίδων παιδικὴν εἶναι πρώτην αἴσθησιν ἡδονὴν καὶ λύπην. καὶ ἐν οἷς ἀρετὴ ψυχῇ καὶ κακία παραγίγνεται, πρῶτον ταῦτ' εἶναι. φρόνησιν δὲ καὶ ἀλη-

ταῖς δόξαις βεβαίως, εἰ τύχοι οὕτω καὶ πρὸς τὸ γῆρας παραγένοιτο.

Quod autem in homine præstantißimum atque optimum est, id deseruit.

Corporis omnes opportunitates, omniaque instrumenta natura ipsa per se perfecit, nec quicquam in his nobis absoluendum reliquit. Animi verò præstantiam tantum inchoauit, non etiam ad extremum perduxit: sed id curæ nostræ, labori & disciplinæ, quarum tamen rerum initia sunt nobis concessa, commisit. Mentem enim à natura habemus ad omnes virtutes, ad omnésque scientias percipiendas idoneã & accommodatam. Quod & eleganter à Plutarcho paucis verbis expressum est, λόγος μὲν γὰρ ἐγγίνεται φύσει. σπουδαῖος δὲ λόγος καὶ τέλειος ἐξ ἐπιμελείας καὶ διδασκαλίας διὰ τὸ λογικὸν, πᾶσι τοῖς ἐμψύχοις μέτεστιν. Nam ratio, inquit, vt ipsa quidem naturâ ingenerata est: ita & rationis probitas ac perfectio cura, doctrinaque omnibus ijs naturis quæ animum habent, rationis adminiculo comparatur. Mens igitur siue intelligentia, insitas habet primas rerum notitias, ad quas spectandas quum arte & sensuum ministerio excitatur, tum denique magnarum rerum cognitionem consequitur. Nisi enim quasi stimulo quodam pungatur & excitetur, imbecillior est, quàm vt possit vim suam exerere: & quod inchoatum à natura habet ad summum perducere.

Induxit in ea quæ inerant, tanquam elementa virtutis.

Id genus Aristoteles appellat φυσικὰς ὁρμὰς, sine quibus virtutes perfici & absolui quę more & animi iudicio cõparantur, negat: itemque contrà, illas naturę propensiones, ad frugem non peruenire ait, nisi excolantur, & animi cogitatione ac cõsilio dirigantur, εἰσὶν, inquit, ἀρεταὶ καὶ φύσει ἐν ἑκάστοις ἐγγινόμεναι, οἷον ὁρμαί τινες ἐν ἑκάστῳ ἄνευ λόγου πρὸς τὰ ἀνδρεῖα, καὶ τὰ δίκαια, καὶ καθ᾽ ἑκάστην καὶ πρὸς τὰ τοιαῦτα. εἰσὶ δὲ δὴ καὶ ἔθει καὶ προαιρέσει. αἱ δὲ δὴ μετὰ λόγου οὖσαι, τέλως ἀρεταί εἰσιν ἐπαινεταί, ἐπιγινόμεναι. ἔστιν οὖν ἡ φυσικὴ ἀρετὴ αὕτη ἡ ἄνευ λόγου, χωριζομένη μὲν τοῦ λόγου, μικρὰ καὶ ἀπολειπομένη τοῦ ἐπαινεῖσθαι· πρὸς δὲ τὸν λόγον καὶ τὴν προαίρεσιν προστιθεμένη τελείαν ποιεῖ τὴν ἀρετήν. διὸ καὶ συνεργεῖ τῷ λόγῳ, καὶ οὐκ ἔστιν ἄνευ τοῦ λόγου ἡ φυσικὴ ὁρμὴ πρὸς ἀρετήν. οὐδ᾽ αὖ ὁ λόγος καὶ ἡ προαίρεσις, οὐ πάνυ τελειοῦται τῷ εἶναι ἀρετὴ, ἄνευ τῆς φυσικῆς ὁρμῆς. Virtutes sunt quædã naturâ in singulis hominibus ingeneratæ, quæ sunt veluti quædam animi propensiones, ac impetus sine ratione, ad fortiter & iustè facta, & singulatim ad alias res eius generis. Sunt etiam virtutes, quę more & animi instituto ac consilio perficiuntur: atque eæ quia cum ratione coniunctę sunt, ideo virtutes sunt laudabiles, sed posterius genitæ. Igitur virtus ea natura insita, quæ sine ratione est, quanquam à ratione seiuncta est, exiguamque vim habet, ac non laudatur, iuncta tamen cum ratione & animi iudicio, perfectam ac absolutam virtutẽ gignit. Itaq; rationem etiã ipsa adiuuat: & vt sine ratione naturalis illa propensio ad virtutẽ non peruenit, ita nec ratio & animi consilium sine hoc impetu naturæ, eò facile vt virtus sit perfecta, progreditur. SED VIRTUTEM ipsam inchoauit. Nihil itaque amplius uostrum est]alij melius, SED VIRTUTEM ipsam inchoauit, nihil amplius. Itaque nostrum est.

Quod quidem pluris sit haud paulo, magisque ipsum.

Finis bonorum in eo positus, vt quis secundum naturam viuat sic affectus, vt optimè affici possit, ad naturamque accommodatissimè, in tanto honore est & precio, vt & bona corporis, & multò magis fortunæ excellat. Eius verò naturæ perfectionis sapientia est pars præcipua, cuius splendore obscurantur & obfuscantur omnia reliqua bona, ita tamen vt non intereant, quod volunt Stoici: sed vt eius dignitati nõ cõparentur. Vt enim primas partes bonorum occupant, quæ sunt mentis & animi, ita secundas obtinent quæ sunt corporis, & tertias quæ fortunæ: & omnia ad summum

cimus vinere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi vt appeteret, aut fugeret: id quoque esset ei commune cum bestiis Habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabiliũ, &c. Quid illa vis? quæ tãdem est, quæ inuestigat occulta, quæ illa tam multa posit effingere, &c. Ergo quia cùm sensus accesit ad vitam, vita non relinquitur, etiam cùm ad sensum ratio adiuncta fuerit, quæ hominis est perfectio, nec vita, nec sensus, nec omnia ad vtrunque genus conseruandum facientia, omittẽda sunt. Ex quo efficitur, vt ea omnia ad perfectionem hominis, id est, ad summum bonum valeant. ITAQVE & viuere vitem & mori dicimus] in veteri est, ET VIVERE, & vigere, & mori] APTA QVAEDAM ad naturam aptare] alij melius, PVTARE.

In ipsa enim parum magna vis inest, vt quàm optime se habere posit.

Natura vitis postulat, vt ipsa cum suis partibus omnibus quàm optimè habeat, quòd quia ipsa per sese assequi commodè non potest, ars agricolarum accedit, quæ vt ea quàm aptisimè ad naturam affecta sit, curat. Nec certè aliter efficeret ipsa, si intrinsecus id, non extrinsecus accederet. Nihil enim eorum quæ ad colendam vitẽ pertinent, omitteret. Iam si sensus ad artem eam adiungeretur, is non illis quidẽ primis neglectis, appetitionem rerum naturæ accommodatarum, & contrariarum reiectionem adferret: nec Id tantum, verum etiam is se ipse diligeret, tueretur, conseruaret. Adde tertium, animum rationis & consilij participem, is nõ negliget, quę posteà accesserunt, sed pro dignitate omnia æstimans, de nobiliori fine tuendo cogitabit, id est, de eo, qui tam præstantis animi proprius sit: ita tamen vt priora quæ aderant, cõcurrant, ad summam summi boni constituendam. Ista igitur progresio, quum in his naturis valeat, valebit quoque in humano genere. Nam homo non statim à primo ortu perfectus est & absolutus, sed sensim à sui charitate ad sapientiam proficisci tur. EORVMQVE OMNIVM appetitum] in veteri scriptum est, EORVMQVE omnem appetitum.

Quod cumulatur ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta.

Academicorum lib. 1. ait Cicero, veteres illos Academicos & Peripateticos in hoc constituisse summum & extremum rerum expetendarum, si quis adeptus sit omnia è natura & animo, & corpore, & vita. & addit, Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus. Valetudinem, vires, pulchritudinem in toto: in partibus autem sensus integros, & præstantiam aliquam partium singularẽ: vt in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocũ impresionem. Animi autem quę essent ad cõprehendendam ingenij virtutem idonea, eáque ab iis in naturam, & mores diuidebantur. Naturæ celeritatem ad discendum, & memoriam dabant: quorum vtrunque mentis esset proprium & ingenij. Morũ autem putabant studia esse, & quasi consuetudinem, quam partim exercitationis asiduitate, partim ratione formabant, in quibus erat philosophia ipsa. In qua quod inchoatum est, neque perfectum, progresio quædam ad virtutem appellatur: quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturæ, omniumque rerum, quas in animis ponunt, vna res optima. Ergo hæc animorum. Vitæ autem (id enim erat tertiũ) adiuncta esse dicebant, quę ad virtutis vsum valerent. Nã virtus animi bonis & corporis cernitur in quibusdam, quæ non tam naturæ, quàm beatæ vitæ adiuncta sunt. Quem locũ huic disputationi lucis plurimum adferre puto. est enim totius rationis Peripateticę de moribus velut argumentum.

Nunc verò à primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici.

Docuerunt Philosophi, hominis animum primò perfectum & absolutum à parẽte & effectore vniuersitatis huius procreatũ fuisse: vsqueadeò vt nec ei defuerit res aliqua, quo minus omnibus iis, quę ad naturæ suæ perfectionem attinerent, comple-

retur: itaque non modò sapienter & intelligenter naturæ officia præstare tū potuisse, verum etiam omnium rerum cognitionem in procinctu & sine vlla hæsitatione tenuisse. Eum verò corpore statim inclusum, illam ex corporis contagione amisisse perfectionem: ac vitam secutum in sentiendo positam, intelligendi acumen obscurasse, proq; rebus æternis & constantibus, quarum erat intelligens, de iis quæ interitum patiantur, & instabiles sint cogitasse: pro honestis & virtuti congruis actionib*, quibus obeundis habilis erat & alacer, pigrū & ignauum factum, voluptates ac permotiones corporis secutum fuisse. Primum itaque tā præclara animi dona quasi confusa fuisse & occultata corporis tū obtusitate, tum mortalitate, quæ animum à rerū vera cognitione reuocauerit. Progredientibus tamen ætatibus, animo sese erigente ex his tenebris, sensim sese cognosse: & primū ex sensuum perceptis progressionē ad res vniuersas, ac causas rerum, factam fuisse. Ex quo animus intellexerit, quid appetendum, quid fugiendum fuerit, quid naturæ accommodatum, quid alienum, quid statum conseruet, quid labefactet: vnde summi boni in tuenda tota natura, eiúsque singulis partibus collocati, notitia emerserit. Scilicet dum non intellexerunt quæ tantæ calamitatis, tantæ corruptionis in genere humano causa esset, hæc figmenta, ne non aliquid dicerent, adinuenerunt. Causam erroris non ex corpore emanasse noscimus, diuinis oraculis admoniti: sed ex illa primi parentis à Dei præscriptis impia auersione, quæ, vt radix corrupta omnes stirpis ramos, totam generis humani sobolem infecit: è quo Iniquitatis fonte omnia malorum genera nascuntur. NVNC verò à primo quidem mirabiliter, &c. Vetus habet, NVNC VERO quòd mirabiliter occulta natura est, nec prospici, nec cognosci potest.] & paulo pòst sequitur in eodem, PRIMVSQVE appetitus ille animi tantum agit, vt salui atque integri esse posimus. Quum autem dispicere cœpimus, & sentire quid simus, &c.

Nepas aculeis.

Nepam, ait Nonius, quidam cancrum putant, ob illud Plauti, Retrouersum cedam, imitabor nepam. Sed verè scorpius dicitur. sic enim ex Arato vertit Cicero,

Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram. Græca sic habent,
Σκορπιῦ ἀγχιπόποιο θυτήριον αἰωρεῖται.

Citat ad eam rem hunc locum Nonius, & in eius codice legitur, NATARE anaticulas, volare merulas, cornibus vti videamus boues, nepas aculeis, &c. Malè in quibusdam codicibus Ciceronianis, VESPAS, legitur pro, NEPAS.

Parui enim primo ortu sic iacent, tanquam omnino sine animo sint.

In homine progresio, è paruis initiis ad magnas res fit, si ab initio spectetur. Paruuli primo ortu, nec mouēdi se vsq̄, nec se tuēdi desiderio teneri videtur, sed quasi stipites iacere. Paulatim progrediēte ętate, tardius q̄ belue ingrediūtur, imbecilli, nudi, nec armis ad se tuēdos instructi: quū verò firmiores effecti sunt, & ætatis, pueritioris, tū rationis & mētis actiones apparēt: atq; ita quāto imbecilliores cęteris animātibus principio cernebātur, tāto supiores pòst cōspiciūtur. Iam principatū animi agnoscūt, & quid natura duce, quid ratiōe sit appetendū, inquirūt: vsqueadeò vt ad omnē virtutē apti esse & accommodati ex primis actionibus intelligantur. Gaudent paruuli cum æqualibus versari, inter ludendum quod suum cuique est, reddi & tribui volunt, gratificari aliis cupiunt: hæc sunt iustitiæ simulacra. Eorum quę vident, inquirunt nomina, fabellas libenter audiunt, si quippiam sua industria fecerint, lætantur: attentius quæ fieri vident, aduertunt: seminaria hæc sunt sapientiæ, & studij literarum ac prudentiæ. Inter decertandum, si vincantur, ægrè ferunt: si vincant, gaudēt: nemini parere volunt, nisi præcipienti aut docenti, aut legitimè imperanti: initia vides fortitudinis & magni animi. Si quid inhonestius aut factū, aut dictum, siue à se,

siue ab aliis percipiant, erubescunt: in eo elucet modestiæ, temperantiæque significatio. ADVERTVNTQVE ea quę domi fiunt, &c.] Hic locus paulò aliter est scriptus in veteri, in hunc modum, ANIMADVERTVNTQVE ea quæ domi fiunt curiosius, incipiuntque commentari aliquid facere, & eorum quos vident, volunt, &c.

Est enim naturâ sic generata vis hominis, vt ad omnem virtutem.

Sæpe apud Aristotelem hanc virtutum diuisionem reperias, vt alia φυσικὴ ἀρετὴ, alia ἠθικὴ nominetur, quam κυρίαν aliquando nominat. Sic enim in libris de Moribus ad Nicomachum disputat, ὡς ἡ φρόνησις πρὸς τὴν δεινότητα, οὐ ταυτὸν μὲν, ὅμοιον δὲ, οὕτω καὶ ἡ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κυρίαν. πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως. καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοὶ, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ τἆλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. Quâtũ, inquit, ad ingenij celeritatem, cui similis est, non eadem, prudẽtia valet, tantum à natura concessa virtus, ad eam quæ vera est, & proprio virtutis nomine nuncupatur. Est enim naturâ sic generata vis omnium, vt ad mores omnes percipiẽdos facta videatur. Nam à primo statim ortu in nobis iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum generis eiusdem virtutum semina habemus.

Sunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quasi carmen.

Vetus codex, QVIBVS ACTIS.] Principia honestatis nobis ingenerata sunt, non opinione finguntur. Nam & communis intelligentia, quæ nobis à natura data est, nos docet, vt honesta in virtute ponamus, in vitiis turpia: quam quidem intelligẽtiam in paruulis cernere licet: quanquam sæpenumero malis moribus ea deprauatur, & in contrariam partem deducitur. Non possunt quiescere parui: significat itaque non ad ocium, sed ad actionem nos esse natos. Diligunt à quibus beneficiũ aliquod acceperunt: gratitudinis initia sunt, & liberalitatis. Audire alios gestiunt: sapientiæ semina vides. Propulsant iniuriam quantum possunt, ab iis quos amant: ea sunt fortitudinis simulacra. Contra, ociosos & quietos sibi pares si vident, rident: segnitiam ergo fugiũt. itemque denegare verentur quicquam, quod præstare possint iis quibus debent: abhorrent igitur ingratum animum. Obiiciunt aliis inscitiam, ruditatem, obliuionem: vitio vertunt, si quis quod placet, metu doloris cuiusdam, parare non audeat: quæ res ignauiam, & studij contemptum à natura nostra alienum esse significat.

Non sine causa eas quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas vide.

Sic Aristoteles de paruis loquens, ἐν τούτοις γὰρ, inquit, τῶν μὲν ὕστερον ἕξεων ἐσομένων ἐστὶν ἰδεῖν οἷον ἴχνη καὶ σπέρματα. Nã in iis, inquit, animi morum qui consecuturi sunt, quasi vestigia seminaque videri possunt. Attingit autem prouerbium θεῷ ἕπου: quod accommodatè ad hunc locum Plutarchus exponit, ἐν τῷ περὶ τοῦ ἀκούειν, Σὺ δὲ, inquit, πολλάκις ἀκηκοὼς, ὅτι ταυτόν ἐστι τὸ ἕπεσθαι θεῷ, καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ, νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν, οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσιν ἀποβολὴν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινὸς ἢ ἀργυρωνήτου, θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβάνουσαν τὸν λόγον, ᾧ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐστιν μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. Tu verò, inquit, qui sæpe numero audisti, idem esse, Deum ducem subsequi, quod rationi obtemperare, existima hanc in virorum numerum pueris relictis coaptationem, imperij non esse prudẽtibus reiectionem, sed imperantis, & domini commutationem: vt pro mercede cõducto quodam & venali ductore, vitæ ducem diuinum, id est, rationem accipiát: quam qui subsequuntur præeuntem, ij soli liberi existimandi sunt.

Imbecillaque mente vis naturæ quasi per caliginem cernitur.

Quum ambiguam quandam & imperfectam ac tenuem rerum notitiam significare volumus, eas nos quasi per nebulam videre, per caliginẽ cernere, per somniũ meminisse dicimus. Sic Plato κατὰ τὸ σκότος, & καθ' ὕπνον solet dicere. Quod per

mediam nebulam intuemur, inquit Erasmus, eius confusam duntaxat imaginem, ac velut vmbram incertam aspicimus. cuiusmodi sunt quæ per caliginem cernũtur in tenebris. Hinc igitur ducta est metaphora.

Intrandum est igitur in rerum naturam, & penitus quid ea postulet.

Quid natura postulet, quaq; in re posita sit eius optima constitutio, qui intelligere vult & perspicere, is ab ea non recedat, is eam cognoscat penitus necesse est. Eam autem cognoscet, qui sibi ducem philosophiam elegerit id est, matrem omnium rerũ bonarum sapientiam. Hæc enim vna nos quum cæteras res omnes, tum quod est difficillimum, docere potest, vt nosmetipsos noscamus. Cuius præcepti, ait M. Tullius, tanta vis, tanta sententia est, vt ea non homini cuipiam, sed Delphico Deo, id est, Pythio Apollini tributa fuerit. Nam qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum ingeniúmque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere Dei semper dignum aliquid & faciet, & sentiet: & quũ se ipse perspexerit, intelliget quemadmodum à natura subornatus in vitam venerit, quantaq; instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium quasi adũbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratus, sapientia duce bonum virum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

Cognitio autem hæc est vna, vt vim nostri corporis animique norimus.

M. Q. Fratri, Cessator esse noli: & illud, γνῶθι σεαυτόν, noli putare ad arrogantiã minuendam solum esse dictum, verum etiam vt bona nostra norimus. Ion quidam apud Plutarchum τὸ γνῶθι σαυτόν, inquit, τοῦτ' ἔπος μέγ', ἔργον δ' ὅσον ζεὺς μόνος ἐπίσταται id est, Illud quidem præceptum, Nosce teipsum, longum non est, rẽ tamẽ præcipit faciendam, quæ quàm magna sit, solus nouit Iupiter. Ex quo illud Iuuenalis,

E cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν.

Cicero prima Tuscula. in alia causa, eam habere vim præceptum dicit, vt suum quisque animum noscat, Non enim, inquit, credo id præcipit, vt membra nostra, aut staturã, figurámue noscamus: sed quũ nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quoddam quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hũc igitur nosse, nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi præceptũ, sic vt tributũ Deo sit. Sed illa Ciceroni, hæc Pisoni verba tribuuntur. Meminerimus etiam Ciceronem nolle, vt quis tabellis obsignatis secũ agat, & testificetur quid dixerit aut scripserit aliquando. Nos, inquit, in diem viuimus, quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Itaque soli sumus liberi.

Sequamurque eam vitam, quæ rebus ipsis perfruatur.

Alij codices habent, PERFICIATVR.] Nos qui homines sumus, id est, qui corpore constamus & animo, ad vtriusque conseruationem apti sumus & accommodati naturâ, vtrunque tueamur, & quod vtrique consentaneum est & commodum. Non ita quod corporis est, sequamur, vt quod ad animum pertineat, deseramus, quemadmodum Aristippus, & voluptatis defensores. Non tam miremur & suspiciamus animum, & quæ illius status sunt conseruantia, vt alteram nostri partem, licet inferiorẽ, negligamus, vt Zeno fecit, & qui solum honestum quod sit, id bonum esse voluerũt. Has enim partes tuendi & conseruandi desiderio & appetitione omnes tenemur: quam rem si semel adepti fuerimus, cùm summum sit bonum, quod omnes appetũt, ὃ πάντες ἐφίενται, non dubium quin finem bonorum adepti fuerimus. Sic indicant philosophi, qui longius intelligentiam porrigere aut noluerunt, aut certè non potuerunt. Nimis autem angustis summum hominis bonum finibus concluserunt: & tamen ne illud quidem vnquam vllus assecutus est. Nam si aliquando aliqua virtutis significatio eluxit, ea aut inuidia oppressa est, aut odio hominum extincta.

Vtrum enim sit voluptas in his rebus, quas primas secundum naturam.

Plato ait, τὴν παίδων παιδικὴν εἶναι πρώτην αἴσθησιν, ἡδονὴν καὶ λύπην: Paruulorũ primum sensum esse voluptatis & doloris. Quibus verbis videtur in iis posuisse voluptatem, quæ sunt prima secundum naturam. Stoici id vehementer negant, voluptatemque aiunt posterum esse quid & consequens. ὃ δὲ λέγουσί τινες, aiunt, πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζώοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν. ἐπιγέννημα γὰρ φασιν, εἰ ἄρα ἐστὶν, ἡδονὴν εἶναι, ὅταν αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ ἐναρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ, ὃν ἂν τρόπον ἀφιλαρύνεται τὰ ζῷα, καὶ θάλλει τὰ φυτά. Quòd autẽ, inquiũt, quidam tradunt, voluptatis primam appetitionem esse animalibus, id omnino falsum est. Nam si qua perfundantur voluptate animantia, id posterum quodãmodo & consequens putandum est, quum scilicet ipsa vi sua & per sese natura, quæ sui status conseruantia sint & salutaria requisierit, eaque consecuta fuerit: atque ea quidem ratione & hilarantur animalia, & florescunt arbores. Huius igitur quæstionis vtrã partem defendas, ad id quod nunc tractatur, nihil interest. Nã si posterum esse & quid consequens intelligatur, cùm non absoluat naturã & perficiat, summũ bonũ esse nõ possit: sin in primis naturæ constituatur, pars, non summa erit finis bonorum.

Si enim, vt mihi quidem videtur, non explet bona naturæ voluptas.

In bonis ne voluptas esset annumeranda, dum inquirunt philosophi, & ad vtrãque partem rationes adferunt, in bonis non esse ita confirmant, vt refert Aristoteles, πρῶτον μὲν γὰρ φασὶν εἶναι τὴν ἡδονὴν γένεσιν, τὴν δὲ γένεσιν ἀτελές τι, τὸ δὲ ἀγαθὸν, οὐδέποτε τὴν τοῦ ἀτελοῦς χώραν ἔχειν. alia addit, sed ad hunc locum minus pertinent. Nam illud, inquit, in primis aiunt, voluptatem ob id in bonis non esse ponendam, quod ea procreatio quędam sit, quę imperfectũ quippiam est & non absolutum, cùm bonum in rebus inchoatis & minimè absolutis locum non habeat. Id tamen eodem loco refutat, & alicubi statuit voluptatem virtutis consequens, & præclararum actionũ, nõ contra, virtutem voluptatis. Ex quo facilè licet intelligere, non in primis naturę voluptatem positam esse ab Aristotele: sed in posteris & consequentibus. Vtram autẽ partem teneas, nihil, vt dixi, refert: cùm ob id extremum rerum expetendarum idẽ semper sit in naturæ absolutione & perfectione positum.

Vnum aliquod accesserit corporis commodum.

Voluptas, vt dicebat lib. 2. omnium Latinè loquentium more dicitur, quum ea percipitur, quæ sensum aliquem moueat incunditas: quæ iucunditas, si transferatur ad animum, lætitia & gaudium dicatur: ita tamen vt voluptas etiam ad animi illã lætitiam accommodetur. Itaque huic verbo voluptatis duæ res subiectę intelliguntur, lętitia in animo, & in corpore suauis commotio. Propriè igitur eam nunc dicit, quæ ad corpus pertinet, suauitatẽ. Id genus enim propriam voluptatis appellationẽ habet, vt etiam scribit Aristoteles, εἰλήφασι τὴν τοῦ ὀνόματος κληρονομίαν αἱ σωματικαὶ ἡδοναὶ, διὰ τὸ πλειστάκις παραβάλλειν εἰς αὐτὰς, καὶ πάντας μετέχειν αὐτῶν. διὰ τὸ μόνας οὖν γνωρίμους εἶναι, ταύτας μόνας οἴονται εἶναι. Sibi, inquit, voluptatum hæreditariũ nomen vendicarunt quæ corpus mouent iucũditates, quia quamplurimi his alliciuntur, earumque participes omnes esse volunt. Ita cùm has sibi solum notas & familiares fecerint, tantum ipsas, non etiam alias, esse putant.

Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, vt non solum.

Hactenus de prima naturę commẽdatione in sui cuiusque charitate posita egit, indeq; iam conclusit, illa initia tueri conseruareque totius naturæ statum. Nunc sequitur, vt singula persequenda sint, & res enodatius explicandæ. Huc enim vsque de totius corporis & animi cura dixit, deq; prima sui cuiusq; charitate: iã partes vtriusq; & attributa considerat, quam quæque vim habeat, quò spectet, quid appetat, vt ex iis

colligat omnes nostras vires, actiones, & consilia eò referenda esse, vt totus homo conuenienter naturæ viuat: quod rerum expetendarum extremum est, & summum bonum.

Vidésne, vt si qua in membris praua, aut debilitata, aut imminuta sint.

In corpore morbus est, ægrotatio & vitium. Morbus appellatur totius corporis corruptio. Aegrotatio, morbus cũ imbecillitate. Vitium, quum partes corporis inter se dissidẽt. Ex quo prauitas membrorum, distortio, deformitas. Sic ergo disputat, Deformitas membrorum nemini placet: ergo pulchritudo & apta partium compositio, & conueniens naturæ actio, nobis sunt accommodatæ. Eæ autem naturæ statũ conseruant & tuentur: quare ad numerum bonorum, & vt summum bonum expleant, referantur necesse est.

Multósque etiam curationis causa dolores perferant.

Tanta est naturæ conseruandæ appetitio, vt etiam eius rei causa dolores perferre nemo sanæ mentis recuset. Ita C. Marius libenter acrem morsum doloris pertulit, quum varices secarentur: tantóque desiderio naturalis status recipiendi teneba tur, vt principio vetuerit se alligari, nec quisquam ante eum solutus dicitur esse sectus. Qui si naturæ cõgruam motionẽ non expetisset, tãtum certè dolorem ferre recusasset. Crus enim alterum non præbuit. Igitur & tulit dolorem, vt quod ad naturæ absolutionem pertinebat, recuperaret, & maiorem ferre sine causa necessaria noluit. QVOD VNIVERSVM propter se expetatur, quòd in motu & in statu corporis nihil est, quod animaduertendum, &c. In veteri scriptum, QVOD VNIVERSVM propter se expetatur. Quid? in motu & in statu corporis nihil inest, quod animaduertendum esse natura iudicet?] quæ lectio propemodum eadem illi est, quam probat Camerarius.

Nónne odio dignos multos putamus, qui quodã motu aut statu videntur.

In motu & statu naturæ congruentibus, si peccetur distortione, aut deprauatione quadam, aut deformitate, vt si quis aut manibus ingrediatur, aut non antè, sed retro: fugere planè se ipse, & hominem ex homine exuens naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quædam, & flexi fractíque motus, quales proteruorũ hominũ aut molliũ esse solent, contra naturã sunt: vt etiam si animi vitio id eueniat, tamẽ in corpore immutari hominis natura videatur. Itaq; è cõtrario moderati æquabilésque habitus, affectiones, vsúsque corporis apti esse ad naturam videntur. Est autem de Officiis extremo libro primo caput, quo docemur, quæ forma virũ, qui motus, qui gestus deceat: quæ vitia in gestu, quæ in motu cauenda sint. Nã, inquit, & Palæstrici motus sæpe sunt odiosiores, & histrionum gestus ineptiis non vacant: & in vtroque genere quæ sunt recta & simplicia laudantur. Cauendum etiam præcipit, ne aut tarditatibus vtamur in gressu mollioribus, vt pomparũ ferculis similes esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. Iam intelligere ex iis possumus, quo motu aut statu quispiam naturæ legem & modum contempsisse dici possit.

Cur nõ etiam, ac fortasse magis, propter se formæ dignitatẽ sequamur?

Dignitas formæ aut pulchritudo est, quæ ad virum: aut venustas, quæ ad mulierem pertinet. Formæ dignitas coloris bonitate conseruatur: color exercitationibus corporis. Formę dignitati contraria est & aduersa prauitas, & imminutio corporis: quemadmodum turpitudo pulchritudini. Si igitur alterum fugiendum sit, expetendum erit alterum: & si vnum contra naturam sit, profectò alterum è natura sit, necesse est. QVARVM EST ASPECTVS illustrior] vetus, CONSPECTVS.

Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor, & scientiæ, vt nemo.

Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις. καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι' ἑαυτάς. Omnes homines, inquit Aristoteles, naturâ ducuntur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem. Quod ex eo Intelligi potest, quia propter se, detracta etiam omni opinione vtilitatis, sensus diligũtur, ac chari sunt. Itaque ex quatuor locis, in quos honesti natura visque diuisa est, primus ille dicitur esse, qui in veri cognitione consistit, & maximè naturam attingere humanã, in quo genere excellere pulchrum est. Labi autem & errare, nescire, & decipi, & malum & turpe ducitur, vt Cicero de Offic. lib. 1. scribit. VT PVLSI requirant, &c.] Hic locus in veteri paulo aliter legitur: hoc quidem modo, VT PVLSI recurrant? vt aliquid se scire gaudeant? vt aliis narrare se gestiant?

O decus Argolicum quin puppim flectis Vlysses.

Locus est ὀδυσσείας μ.

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Ἀχαιῶν,
Νῆα κατάστησον ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
Οὐ γάρ πω τις τῇδε παρήλασε νηὶ μελαίνῃ,
Πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι,
Ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.
Ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν,
Ἴδμεν δ' ὅσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Quod ait, REGVM VESTIGIA, haud scio, legendúmne sit, RERVM VESTIGIA, cùm tantum Græcè sit ὅσσα γένηται: iudicent eruditiores.

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir ir.

In quouis scriptore illud maximè probatur, si decorum cuique & aptũ tribuat. Ita Homerus qui nil molitur ineptè, vt ait Horatius, sed accommodatissimè omnia scribit pro rerum dignitate, in fabula Syrenum, quæ Vlyssem reuocare singũtur, viro ingenioso singularique prudentia pollicentes eas facit, non diuitias, non breuem & volucrem cantus suauitatem, qua potissimum valebant, sed rerum cognitionem, cuius desiderio eum teneri sciebant. & non modò eum, sed etiam omnes qui nõ hominem ex homine exuerint, suamque naturam oderint.

Sapientiæ cupido.

Vlyssis ducem perpetuam facit Homerus Mineruam: cuius nomine Mythologici sapientiam Intelligunt, & initio Odysseæ πολύτροπον appellat.

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Atque omnia quidẽ scire cuiuscunque modi sint, cupere, curiosorum est.

Itaque in hoc genere duo vitia esse vitanda dicit Cicero, quorum alterum huc pertinet, quòd quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. quod curiosorum proprium est: quibus familiare est illud quo se tueantur, γλυκύ τι γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι, quo in quadam Epistola ad Atticum lib. 4. M. Tullius vtitur.

In Archimede, qui dũ in puluere quædam describit attẽtius, ne patriam.

Archimedes nobilis Geometra, genere Syracusanus fuit. Eum memoriæ proditum est in tanto tumultu, quantum captę vrbes in discursu diripientium militũ ciere poterant, intentum formis, quas in puluere scripserat ab ignaro milite quis esset, Interfectum fuisse: quam rem ægrè Marcellus tulit, sepulturæque curam habuit. Plinius ait, Grande Archimedi geometricæ ac machinalis scientiæ testimoniũ M. Marcelli contigit interdicto, cùm Syracusæ caperentur, ne violaretur vnus, nisi fefellis-

ſet imperium militaris imprudentia. Refert & eius mirabilem ſtudij ardorem Plutarchus, cuius verba hæc ſunt, Ἀρχιμήδην δὲ βίᾳ τῶν διαγραμμάτων ἀποσπῶντες συνάληφον οἱ θεράποντες. ὁ δὲ ὑπὸ τῆς κοιλίας ἔγραφε τὰ σχήματα τῇ στλεγγίδι, καὶ λυόμενος, ὥς φασιν, ἐκ τῆς ὑπερχύσεως ἐννοήσας τὴν τοῦ στεφάνου μέτρησιν, οἷον ἔκ τινος κατοχῆς ἢ ἐπινοίας ἐξήλατο, βοῶν, εὕρηκα, καὶ τοῦτο πολλάκις φθεγγόμενος ἐβάδιζε. Latinè dicam, vt potero, Archimedē famuli vi aliquando à formis deſcribendis auulſum, cùm vngerent, radio figuras in ventre ſuo ipſe ſcribebat: deinde quū lauaretur, & ex infuſione, vt aiunt, menſuram coronæ & modum intellexiſſet, quaſi nodo quodā exolutus, & veluti numine afflatus, in vocem hanc erupit, Inueni, eámque vocem ſæpe, iter faciens, repetebat. Meminit Valerius lib. 8. de ſtudio & induſtria.

Quantum Ariſtoxeni ingenium conſumptum videmus in muſicis?

Vetus, INGENII.] Ariſtoxenus præſtans muſicus, idémque philoſophus, Dicæarchi condiſcipulus & æqualis. Magiſtris vſus eſt, patre ſuo, & Erythræo quodam, deinde Xenophilo Pythagoreo, & poſtremùm Ariſtotele, in quem morientem conuitia iecit, quia ſcholæ ſucceſſorem Theophraſtum reliquerat. Floruit tēporibus Alexandri & ſucceſſorum eius. de Muſicis libros conſcripſit, & de philoſophia, item de hiſtoriis quamplurimos. Is ita, vt eſt in Tuſculanis, delectabatur ſuis cātibus, vt eos etiam pro animo ſtatuerit. Volebat enim animū non aliud eſſe, quàm ipſius corporis intenſionem quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, ſic ex corporis totius natura & figura varios modos cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic, ait Cicero, ab artificio ſuo non receſsit, & tamen dixit aliquid, quod ipſum quale eſſet, erat multò antè dictum & explanatū à Platone, Tuſculan. 1. Ariſtophanes Byzantinus, grammaticus celeberrimus, auditor Callimachi & Zenodoti, præceptor Ariſtarchi, in exponendo & interpretando Homero plurimum operæ poſuit.

Quid de Pythagora? quid de Platone, aut Democrito loquar?

Pythagoras bouem fertur Muſis immolaſſe, quum Diagrammatis cuiuſdam rationem inueniſſet: quod Cicero ſe non credere dicit, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Idem diſcendi gratia omnibus fermè Barbarorum Græcorúmque ſacris initiatus eſt. Relicta patria, Aegyptum luſtrauit, à Chaldæiſque & Perſarum Magis edoctus eſt. In Cretam item deſcendit, & poſteà Samum, & denique Italis leges dedit. Plato quoq; Aegyptum peragrauit, vt à ſacerdotibus Barbaris numeros & cœleſtia acciperet: pòſt Tarentum ad Archytam & ad reliquos Pythagoreos conceſsit. Democritus etiā cùm Magos domi & Chaldæos audiſſet, quos patri eius Xerxes reliquerat, fertur in Aegyptum contendiſſe, vt à ſacerdotibus geometriam diſceret, & in Perſidem, vt Chaldæos audiret. In India eum cum Gymnoſophiſtis ſunt qui tradiderūt congreſſum fuiſſe, peragraſſeque Aethiopiam.

Non intelligunt idcirco ea eſſe propter ſe expetenda, quòd nulla vtilitat.

Is ſunt Epicurei, qui ad voluptatem omnia referri volunt, contemnuntque honeſta, niſi voluptatis efficientia ſint, aut ad eam pertineant. Itaque virtutes omnes & artes libidinum miniſtras faciunt: nec intelligunt naturæ appetitionem in nobis tātam eſſe percipiendarum diſciplinarum, & veri cognoſcendi, vt etiam vtilitatem nullam ſpectantes, addiſcere velimus. Et fuerunt qui iacturam corporis & facultatum fecerint libenter, vt philoſophiæ dare operam commodius poſſent. Ita Democritus oculis ſe priuaſſe dicitur, vt quā minimè animus à cogitationibus abduceretur: agros item ſuos reliquiſſe, eóſque paſcua publica fieri paſſus fuiſſe. Et Crates, ſi bene memini, patrimonium in nummos redactum in mare effudit, quòd impediret, ne philoſophiæ totum ſe dederet. Quod factum, tametſi vitio non careat, indicat tamen ma-

guamin eo fuisse scientiæ cupiditatem.

Ipsi enim quæramus à nobis stellarum motus, contẽplationésque rerũ.

Φιλοθέωρον τὸ ζῷον ὁ ἄνθρωπος, ait quidam. Nam res nulla est, quæ maiorem voluptatem adferat, quæ synceriorem, quæ liquidiorem, quę magis liberam, quàm rerum cognitio. Ea enim sola verè lętitia existimari debet: quæ neq; vllius molestię particeps est, neque adfert sui pœnitudinem: cuius recordatio gloriosa est, & memoria prædicanda: quæ animis nostris est accommodata & familiaris, nec aliunde assumitur, vt secundum Aristotelem scribit Plutarchus. Itaque Plato, cùm vt partium animi, ita etiam voluptatum tria genera fecisset: vnum quidem eius partis, in qua irarum ardor existit: alterum eius in qua cupiditas inest: tertium eius proprium quæ in veri cognitione versatur, τριῶν ἄρα οὐσῶν, inquit, τῶν ἡδονῶν ἡ τούτου τοῦ μέρους τῆς ψυχῆς ᾧ μανθάνομεν, ἡδίστη ἂν εἴη, καὶ ἐν ᾧ ἡμῶν τοῦτο ἄρχει, ὁ τούτου βίος ἥδιστος. Igitur tria cùm sint voluptatum genera, id suauissimum existimari debet, quod est partis animi proprii, quæ in discendo & cognoscendo cernitur: vt quo magis dominatur in nobis, & princeps est hæc particula, eo vitam degamus suauiorem. Quam certè voluptatem, qui non gustauit, partem nullam liquidæ voluptatis & liberæ gustauit.

Et quid historia delectet, quam solemus persequi vsque ad extremũ.

Αἱ ἱστορίαι, ait Plutarchus, τέρψεις πολλὰς μὲν ἐπὶ ταῖς διατριβαῖς ἔχουσαι, τὸ δὲ ἐπιθυμοῦν τῆς ἀληθείας ἀκόρεστον ἀπολείπουσαι, καὶ ἄπληστον ἡδονῆς, δι' ἣν οὐδὲ τὸ ψεῦδος ἄμοιρόν ἐστι χάριτος. ἀλλὰ καὶ πλάσμασι καὶ ποιήμασι τοῦ πιστεύεσθαι μὴ προσόντος, ἔνεστιν ὅμως τὸ πεῖθον. ἐννόει γὰρ ὡς δακνόμενοι τὸν Πλάτωνος ἀναγινώσκομεν Ἀτλαντικόν, καὶ τὰ τελευταῖα τῆς Ἰλιάδος, οἷον ἱερῶν κλειομένων ἢ θεάτρων ἐπιποθοῦντες τοῦ μύθου τὸ λειπόμενον. αὐτῆς δὲ τῆς ἀληθείας ἡ μάθησις οὕτως ἐράσμιόν ἐστι καὶ ποθεινόν, ὡς τὸ ζῆν καὶ τὸ εἶναι διὰ τὸ γινώσκειν. Latinè dicam, in eorum gratiam qui Græcarum literarũ rudes sunt. Historiæ, inquit, cùm multas adferre solent suaues oblectationes, tum veri cognoscendi insatiabilem post se relinquunt appetitionem, voluptatemque incredibilem. cuius quidem voluptatis tanta vis est, vt ista delectatione, ne si falsum quidem sit quod legimus, priuemur: vtque quantũuis fictas fabulas audiamus, si nõ credamus, probabiles certè iudicemus. Animaduertere enim licet, quum Platonis Atlãticon legimus, quumque postremam Iliados partem, quemadmodum pungamur ac moueamur, qui quasi phanis, aut theatris clausis, persequi ad extremum vsque fabulam magnopere desideremus. Cognitio autem & veri scientia tam placet, oblectat, & expetitur, vt esse & viuere nos velimus, vt in studiis scientiæ cognitionisque versemur.

Ac veteres quidem philosophi in beatorũ insulis fingunt qualis natura.

Veteres Ethnici suis Heroibus, & philosophi suis sapiẽtibus beatorũ attribuunt insulas, & campum Elysium, vbi è vita excesserint. Eæ autem insulę Oceano cõclusę dicuntur, quas perpetuò ventus afflet Fauonius: singulisque annis illic arbores ter fructus ꝓducere ferũtur. Quidã scribunt Iulium Cæsarẽ, hominẽ multis in rebus fortunatissimum, & qui maris Oceani imperio potitus erat, eò aliquando peruenisse: cumque loci amœnitate & pulchritudine summa teneretur, eum locum habitare voluisse, vi tamen expulsum ab incolis fuisse. Socrates apud Platonem locum quendam beatis animis tribuit, in quo tanta sit temperies, vt incolæ sine vllo morbo viuãt & veram rerũ naturã perspiciãt. τὰς δὲ ὥρας αὐτῆς, inquit, κρᾶσιν ἔχειν τοιαύτην, ὥστε ἐκείνους ἀνόσους εἶναι, καὶ χρόνον τε ζῆν πολὺ πλείω τῶν ἐνθάδε. καὶ ὄψει, καὶ ἀκοῇ, καὶ φρονήσει, καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις ἡμῶν ἀφεστάναι τῇ αὐτῇ ἀποστάσει, ᾗπερ ἀήρ τε ὕδατος ἀφέστηκε, καὶ αἰθὴρ ἀέρος πρὸς καθαρότητα. καὶ δὴ καὶ θεῶν ἄλση τε καὶ ἱερὰ αὐτοῖς εἶναι, ἐν οἷς τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι, καὶ φήμας τε, καὶ μαντείας, καὶ αἰσθήσεις τῶν θεῶν, κ.

τοιαύτας συνουσίας γίνεσθαι αὐτοῖς πρὸς αὐτούς. καὶ τόν δὲ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα ὁρᾶσθαι ὑπ' αὐτῶν, οἷα τυγχάνει ὄντα, καὶ τὴν ἄλλην εὐδαιμονίαν ἀκόλουθον εἶναι. Temporū autem eius regionis aiunt partes einsmodi esse temperatione, vt incolæ morbo omni liberati, diuturniorem vitam, quàm nos in hoc mundo, agant. Itemque aspectu eos, auditu, prudentia, & cæteris omnibus de genere eodem, nobis præstare, tanto quidem interuallo, quanto ab aqua puritate aër, & ab aëre æther distat. Illis prætereà Deorum lucos & phana in conspectu esse, in quibus verè Dij habitēt: responsa quoque, oracula, sensus, & einsmodi consuetudines ac familiaritates Deorum cum ipsis hominibus esse frequentes. Solem hunc prætereà quem cernimus, lunam & sidera illis talia conspici, qualia ipsa re vera sunt: itemq; illos alias beatæ vitæ partes ac numeros omnes consequi.

Nihil aliud esse acturos putant, nisi vt omne tempus in quærendo.

Eam vitæ actionem quæ in cognitione rerum & contemplatione cernitur, Deorum propriam esse Aristoteles tradit: atque etiam hominum actionem, quo ad hanc propius accedat, eo esse beatiorem. Et Socrates Axiochum consolans, οὐκ εἰς θάνατον, inquit, ἀλλ' εἰς ἀθανασίαν μεταβαλῶν, ὦ Ἀξίοχε, οὐδὲ ἀφαίρεσιν ἕξεις τῶν ἀγαθῶν, ἀλλ' εἰλικρινεστέραν τὴν ἀπόλαυσιν, οὐδὲ μεμιγμένας θνητῷ σώματι τὰς ἡδονάς, ἀλλ' ἀκράτους ἁπασῶν ἀλγηδόνων. κεῖσε δ' ἀφίξῃ μονωθεὶς ἐκ τῆς εἱρκτῆς, ἔνθα ἄπονα πάντα καὶ ἀστένακτα καὶ ἀγήρατα, γαληνὸς δέ τις καὶ κακῶν ἄγευστος βίος ἀσαλεύτῳ ἡσυχίᾳ ἐνδιαζόμενος, καὶ περιαθρῶν τὴν φύσιν, καὶ φιλοσοφῶν οὐ πρὸς ὄχλον καὶ θέατρον, ἀλλὰ πρὸς ἀμφιθαλῆ τὴν ἀλήθειαν. Non est, Axioche, quod timeas, nō enim in mortem proficisceris, sed ad immortalitatem transis. neque tum abstrahêris à bonis, sed ad synceriora perfruenda contendes. Non iam mortalis corporis communes senties voluptates, sed puras, & nullis doloribus permixtas gustabis. Eò enim tanquam è custodia vinculisque corporis liberatus, euolabis: vbi nullus dolor, nullus mœror, nulla senectus locum vllum habet: sed semper adest tranquillitas quędam, & vitę malis omnibus carentis, omne tempus cum omni sedatione & quiete, in naturæ cognitione consumitur. Illicque philosophiam tractabis, non vt cœtus aut theatri volutati subseruias, sed vt quid in quaque re verissimum sit, perspicias.

Sed etiam leuamentum miseriarum.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, Ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ, ait quispiā. Et testatur Cicero in prœmio lib. 1. de Nat. Deorum, se hanc ægritudinibus adhibuisse medicinam. Sic enim inquit, de suis in philosophia studiis loquēs, Hortata est vt me ad hæc conferrem animi ægritudo; fortunæ magna & graui commota iniuria: cuius si maiorem aliquam leuationem reperire potuissem, non ad hanc potissimū confugissem. Præclarè itaque Aristoteles, τὴν παιδείαν ἔλεγεν ἐν ταῖς εὐτυχίαις εἶναι κόσμον, ἐν δὲ ταῖς ἀτυχίαις καταφυγήν, Eruditionem in prosperitatibus ornamentum quoddam esse, & in aduersitatibus perfugium, dicebat.

Princeps huius ciuitatis Phalereus Demetrius, quum patria.

Demetrius iste Phalereus Philosophus Peripateticus, Theophrastum audiuit, Athenisque δημαγωγὸς fuit, vel vt Laërtius extulit, δημηγορῶν παρ' Ἀθηναίοις τῆς πόλεως ἐξηγήσατο ἔτη δέκα. præclarè Remp. administrauit. Reditibus enim vrbem amplificauit & ędificiis, tametsi ignobilis fuerit. Tandem in eum inuidia commota est, & insidiæ paratæ, vsqueadeò vt mors absenti decreta fuerit. ita cùm præsentē hominem non tenerent, eius statuas quæ plurimæ erectæ fuerant, vnica in arce seruata, deiecerunt. Ipse autem mortuo Cassandro, cùm ab Antigono sibi timeret, ad Ptolemæum σωτῆρα se contulit: apud quem diu versatus, tandem moritur. Plurimos autem testes studiorum suorum libros reliquit: φιλόσοφά τι, καὶ ἱστορικά, καὶ πολιτικά,

περὶ τῶν τῆς τύχης βιβλία συνήγαγεν, vt est apud Suidam. Plutarchus scribit eum inter Ptolemæi amicos principem fuisse, & non modò in eo exilio abundantem omni rerum copia vixisse, verum etiā Atheniensibus dona misisse amplissima. Cicero Demetrium scribit fuisse virum non solum eruditissimum, sed ciuem & Reipub. maximè tuendęque ciuitatis paratissimum, eúmque mirabiliter doctrinam ex vmbraculis eruditorum, ocioque non modò in solem atque puluerem, sed in ipsum discrimen aciemque perduxisse.

Equidē è Cn. Aufidio Prætorio, erudito homine, oculis capto sæpe au.

Lucis desiderio Aufidius non sine causa mouebatur. Nam videre ad cognitionem & scientiam pertinet. præclarè enim Plato, Rerum, inquit, optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam mundi machina & molitio haud vnquam intelligi potuisset, si neque sidera, neque sol, neque cœlum sub oculorum aspectū cadere possent. Natura ergo duce Aufidius trahebatur & ducebatur ad cognitionis & scientię cupiditatem: à cuius studiis ne incommodo quidem nostro abduci facilè possumus. Extrema Tuscul. quinta, Aufidiū dicit in illo suo casu, nec priuato, nec publico muneri defuisse. Pueris nobis, inquit, Cn. Aufidius Prætorius, & in Senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam scribebat historiā, & videbat in literis.

Nisi requietem corporis & medicinam quandam laboris afferret.

In veteri est scriptum, NISI REQVIETEM corporibus & med.] ὁ ὕπνος καμάτων ἀνάπαυσίς ἐστιν, ait Græcus quispiam: & quod apertè Cicero somnū dicit medicinam laboris, idem ille obscurè, ὁ ὕπνος, inquit, ἰατρῶν κατόρθωμα. Plato lib. 2. de Legib. scribit Deos misertos generis hominum, naturâ laboriosi, requietem laborum eis constituisse, θεοὶ δ᾽ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο. Quod caret alterna requie, durabile nō est, ait Poeta. Et præclarè alius, Sopor, inquit, irrigat artus.

Aufert enim sensus, actionémque tollit omnem.

Sensus primum, qui rerum interpretes sunt, ac nuncij, è quibus omnis progreditur cognitio. Sensibus enim mens nostra & ingenium excitatur. Aufert demū actiones: idcirco eum rectè Socrates cum morte comparabat, quæ sensus & actionum omnium finis est, & interitus.

Facilè est hoc cernere in primis puerorum ætatulis.

Plato hoc scribit eodē libro de Legib. ὁρᾶν δὴ χρὴ πότερον ἀληθὴς ἡμῖν κατὰ φύσιν ὁ λόγος ὑμνεῖται τανῦν, ἢ πῶς. φησὶ δὲ τὸ νέον ἅπαν, ὡς ἴσως εἰπεῖν, τοῖς τε σώμασι καὶ ταῖς φωναῖς ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δύνασθαι. κινεῖσθαι δ᾽ ἀεὶ ζητεῖν καὶ φθέγγεσθαι. Atque nobis quidē, inquit, videndū est, vere ne naturę congruat ille sermo, qui nunc nobis celebratur, & quonam modo verus esse possit, quo dicuntur paruuli omnes vno nomine, conquiescere corpore & voce non posse, sed continuū motum & sermonem requirere. Quod idem aliquanto pòst apertius repetit, ἔφαμεν, εἰ μεμνήμεθα, κατ᾽ ἀρχὰς τῶν λόγων, ὡς ἡ φύσις ἁπάντων τῶν νέων διάπυρος οὖσα, ἡσυχίαν οὐχ οἵα τε ἄγειν, οὔτε κατὰ τὸ σῶμα, οὔτε κατὰ τὴν φωνήν. Diximus, si bene memini, huius orationis initio, omnium infantium naturam acrem esse, & veluti ignitam: ideo cōquiescere, nec corpore possunt, nec voce.

Endymionis somnum nobis velimus dari.

Somnum perpetuum nemo sibi dari velit. Endymion enim, vt est in fabulis, rogatu Lunæ, perpetuum dormit somnum. Cicero Tuscul. 1. Quasi verò, inquit, quisquam ita nonaginta annos velit viuere, vt quū sexaginta confecerit, reliquos dor-

niat. Ne sues quidem id velint, non modò ipse. Endymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, quū luna laboret, à qua consopitus putatur, vt eū dormientem oscularetur? Quid curet antē, qui ne sentit quidem? Ob id scribit Plinius, amore Lunæ Endymionem captū esse tradi, quòd primus hominū multiplices motus & varias eius figuras intellexerit. Cæterū hic locus paulò aliter est scriptus in veteri, quàm in impressis: sic quidem in veteri, ITAQVE NISI iocundissimis quidē nos somnis vsuros putemus, Endymionis somnium nobis nolim dari. Id si accidat, mortis instar putemus: quia etiam notissimos homines, nescio qua singulari segnitia præditos, videamus tamen & corpore & animo moueri semper, & quum re nulla impediantur, &c.] Deinde paulo pòst, QVVM QVE non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos & sessiūculas consectari.] Quę scriptura, & si mendo non vacet, non est tamen omnino improbanda. Alueolum, Festus exponit tabulam aleatoriam.

Esse omnino nolit in vita, si gerendis negociis orbatus, possit.

Imò ne quidem esse posit. Qui enim nihil agit, esse omnino non videtur, vt scriptum est lib. de Natura Deorū 2. Itaque quum sumus necessariis negociis curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audire, ac discere, cognitionémque rerum aut occultarum, aut mirabilium, ad viuendum necessariam ducimus. Est enim ea in nobis mentis agitatio, quæ cùm nunquam quiescat, nos in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere posit, quod ait Cic. de Off. lib. 1. VESCI VOLVPTATIBVS] sic de Diuinatione lib. 1. τὸ ἐπιθυμητικὸν vertit partem animi, quæ voluptate alitur: & lib. 1. dixit, gustare partem vllam liquidæ voluptatis: quod Platoni dicebatur, χαθαρᾶς ἡδονῆς γεύσασθαι. Vesci Nonius exponit, vti. Cui Vergilij illud ait esse simile, Quod si fata virum seruant, & vescitur aura Aetherea.

Aut qui altiore animo sunt, capessunt Remp. honoribus, imperiisque.

Quanquam enim, vt est in Officiis, in omni animo bene à natura informato inest appetitio principatus, vt nemini parere velit, nisi præcipienti, aut docēti, aut vtiliter ac legitimè imperāti: & vt quisque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium, vel potius solus esse: tamen multi sunt & fuerunt qui tranquillitatem expetentes, à negociis publicis se remouerunt, vixeruntque in agris delectati re sua familiari: aut ad ocium profugerunt, studio doctrinæque se dediderunt. Et tamen siue eos qui Rempub. administrant, siue eos qui inde se remouerunt inspicias, nullos videas, quin aut priuatim, aut publicè aliquid agant: non voluptates consectentur: sed potius curas, cogitationes, studia, & vigilias perferant. Apparet itaque naturæ consentaneas esse actiones, non contrarias.

Tantaque est vis talibus in studiis, vt eos etiam qui sibi alios.

Ita Epicurus cū in voluptate summum bonum posuerit, naturæ bonitate victus, quiescere non potest. Sollicitus est: libros de Natura, de Fine bonorum, de Arte iudicandi, quid verum, quid falsum sit, conscribit: vigilias perfert: noctésque diésq; literis insudat. Nisi enim plurimum temporis & operæ consumpsisset, tot libros, quot aiunt, conscribere non potuisset. At tanti labores, tot solicitudines nō erant eius, qui solam per se dicat appetendam voluptatem. Quid ergo causæ est Epicure, cur non continuos dies mollibus in plumis cubes, ludas, edas, bibas, voluptatibúsque aliis detinearis? Si omnia tua vtilitate & voluptate metienda sunt, quænā est hæc cura, quæ te exuscitat, vt scriptis tuis nos rerum naturam doceas? nos leues superstitione? nos liberes mortis metu? efficiásque vt non conturbemur ignoratione rerum? vt seruemus illam, quam quasi de cœlo delapsam dicis ad omnium cognitionē Regulam, ad quā omnia rerum iudicia dirigātur? Scilicet natura vinceris: & ita viuere cogeris ac age-

re,vt tua viuendi ratione refellatur oratio,atque vt cęteri existimantur dicere meli* quàm facere:sic tu contrà, videris melius facere quàm dicere. Hoc satis erit exépli, vt intelligamus quàm ad agendum natura rapiatur humana.

Actionum autem genera plura.

Id Aristoteles verbis paucis expressit,dum hominẽ dixit,qui absolutus sit & perfectus ad duas res natum esse,ad agendũ & contemplandũ: θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων. Nam alio loco nomine τῆς εὐπραγίας, θεωρίαν, complectitur: vt quum ait propriã Deorum εὐπραγίαν esse in contemplatione & cognitione positam. Paucis idem dixit aliâs Cicero, Omnis cogitatio motúsque animi,aut in consiliis capiendis de rebus honestis & pertinentibus ad bene beateque viuendum, aut in studiis scientiæ cognitionísque versatur. Hæc autem actionũ diuisio nata videtur ex ea animi partitione, quam Aristoteles fecit. Animũ enim,vt dixi,in eam partẽ distribuit,in qua scientia & cognitio sedem habet, quod τὸ ἐπιστημονικὸν appellat: & in eã quæ in deliberando & consultando versatur, & λογιστικὸν ἢ βουλευτικὸν nuncupatur. Vnde mens siue cogitatio duplex exorta est,quam idem νοῦν πρακτικὸν & θεωρητικὸν nominat. πρακτικὸς rerum earum est, quæ sub deliberationem & consiliũ cadunt:cuiusmodi secundum genus actionum est: θεωρητικὸς verò ad ea pertinet, quæ semper vno eodémque modo eueniunt:quale est primum actionum genus in cognitione & scientia positum. Est & hic locus aliter scriptus in veteri,quàm in codicibus vulgatis:in hunc quidẽ modum, MAXIMAE AVTEM sunt primum, vt mihi quidem videtur,& his quorum nunc in ratione versamur, consideratio cogitatióue rerum cœlestium, & earum quas à natura occultatas & iacentes indagare ratio potest:deinde rerumpublicarum administratio,aut administrandi scientia,tũ prudens, temperata, fortis ratio,&c.

Omnium enim rerum principia parua sunt,sed suis progreßionibus.

Ita è minutissimo grano spatiosa arbor enascitur: è tenuissimo semine,animantia bene magna procreantur:ex animo datis primum notionibus exiguis & obscuris,omnes artes & scientiæ,omnes virtutis partes proficiscuntur. Et Aristoteles, τὰ ἐξ ὑπαρχῆς, inquit, εὑρισκόμενα μικρὰν τὸ πρῶτον ἐπίδοσιν λαμβάνειν εἴωθεν, χρησιμωτέραν μέντοι πολλῷ τῆς ὕστερον ἐκ τούτων αὐξήσεως. μέγιστον γὰρ ἴσως ἀρχὴ παντὸς, ὥσπερ λέγεται. διὸ καὶ χαλεπώτατον. ὅσῳ γὰρ κράτιστον τῇ δυνάμει, τοσούτῳ μικρότατον τῷ μεγέθει, χαλεπώτατόν ἐστιν ὀφθῆναι. ταύτης δὲ εὑρημένης ῥᾷον τὸ προσθεῖναι, καὶ συναύξειν τὸ λοιπόν ἐστιν. Quæ primum inueniuntur,quanquam ea initio exiguum sumere incrementũ omnia solent,id tamen multo est vtilius, quàm quæ posteà inuentis adiungũtur accessiones. Nam,vt dicitur,totius maxima pars initiũ est:ideo & alia difficultate superat. Quanto enim in eo maior vis est & virtus,tanto,cũ magnitudine omniũ minimum sit,ad perspiciendum est difficilius. Quo inuento, præterea adiungere, & quod deest eò congerere facile est. Propterea vt rectè initiis vtamur,diligenter videndum est:ne si peccemus initio,longè lateque error progrediatur. Rectè itaque Plato, δεῖ δὴ, inquit, περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς πράγματος παντὶ ἀνδρὶ τὸν πολὺν λόγον εἶναι, καὶ τὴν πολλὴν σκέψιν, εἴτε ὀρθῶς, εἴτε μὴ ὑπόκειται, ἐκείνης δὲ ἐξετασθείσης ἱκανῶς, τὰ λοιπὰ φαίνεσθαι ἐκείνῃ ἑπόμενα. Ergo rerum omnium principiis considerandis multa opera,diuturnumque tẽpus ponẽdum est, vt intelligatur an rectè posita sint,nécne. Quorum si vera ratio teneatur, facilè quę consequuntur,apparebũt elucescéntque. Dimidium facti,ait Poëta, qui bene cœpit,habet.

Præclarè enim Plato beatum ait,cui etiam in senectute contigerit.

Locus est Platonis ex libro secundo de Legibus,quem vt intelligamus,paulò altius repetemus, λέγω τοίνυν τῶν παίδων παιδικὴν εἶναι πρώτην αἴσθησιν ἡδονὴν καὶ λύπην. καὶ ἐν οἷς ἀρετὴ ψυχῇ καὶ κακία παραγίγνεται, πρῶτον ταῦτ' εἶναι. φρόνησιν δὲ καὶ ἀλη-

θεῖς δόξας βεβαίως, εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο.

Quod autem in homine præstantißimum atque optimum est, id deseruit.

Corporis omnes opportunitates, omniaque instrumenta natura ipsa per se perfecit, nec quicquam in his nobis absoluendum reliquit. Animi verò præstantiam tantum inchoauit, non etiam ad extremum perduxit: sed id curæ nostræ, labori & disciplinæ, quarum tamen rerum initia sunt nobis concessa, commisit. Mentem enim à natura habemus ad omnes virtutes, ad omnésque scientias percipiendas idoneã & accommodatam. Quod & eleganter à Plutarcho paucis verbis expressum est, λόγος μὲν γὰρ ἐγγίνεται φύσει. σπουδαῖος δὲ λόγος καὶ τέλειος ἐξ ἐπιμελείας καὶ διδασκαλίας· διὸ τὸ λογικὸν, πᾶσι τοῖς ἐμψύχοις μέτεστιν. Nam ratio, inquit, vt ipsa quidem naturã ingenerata est: ita & rationis probitas ac perfectio cura, doctrinaque omnibus ijs naturis quæ animum habent, rationis adminiculo comparatur. Mens igitur siue intelligentia, insitas habet primas rerum notitias, ad quas spectandas quum arte & sensuum ministerio excitatur, tum denique magnarum rerum cognitionem consequitur. Nisi enim quasi stimulo quodam pungatur & excitetur, imbecillior est, quàm vt possit vim suam exerere: & quod inchoatum à natura habet ad summum perducere.

Induxit in ea quæ inerant, tanquam elementa virtutis.

Id genus Aristoteles appellat φυσικὰς ὁρμὰς, sine quibus virtutes perfici & absolui quę more & animi iudicio cõparantur, negat: itemque contrà, illas naturę propensiones, ad frugem non peruenire ait, nisi excolantur, & animi cogitatione ac cõsilio dirigantur, εἰσὶν, inquit, ἀρεταὶ καὶ φύσει ἐν ἑκάστοις ἐγγινόμεναι, οἷον ὁρμαί τινες ἐν ἑκάστῳ ἄνευ λόγου πρὸς τὰ ἀνδρεῖα, καὶ τὰ δίκαια, καὶ καθ' ἑκάστην καὶ πρὸς τὰ τοιαῦτα. εἰσὶ δὲ δὴ καὶ ἔθει καὶ προαιρέσει. αἱ δὲ δὴ μετὰ λόγου οὖσαι, τέως ἀρεταὶ εἰσὶν ἐπαινεταὶ, ἐπιγινόμεναι. ἔστιν οὖν ἡ φυσικὴ ἀρετὴ αὕτη ἡ ἄνευ λόγου, χωριζομένη μὲν τοῦ λόγου, μικρὰ καὶ ἀπολειπομένη τοῦ ἐπαινεῖσθαι· πρὸς δὲ τὸν λόγον καὶ τὴν προαίρεσιν προστιθεμένη τελείαν ποιεῖ τὴν ἀρετήν. διὸ καὶ συνεργεῖ τῷ λόγῳ, καὶ οὐκ ἔστιν ἄνευ τοῦ λόγου ἡ φυσικὴ ὁρμὴ πρὸς ἀρετήν. οὐδ' αὖ ὁ λόγος καὶ ἡ προαίρεσις, οὐ πάνυ πληροῦται τῷ εἶναι ἀρετὴ, ἄνευ τῆς φυσικῆς ὁρμῆς. Virtutes sunt quædã naturâ in singulis hominibus ingeneratæ, quæ sunt veluti quædam animi propensiones, ac impetus sine ratione, ad fortiter & iustè facta, & singulatim ad alias res eius generis. Sunt etiam virtutes, quę more & animi instituto ac consilio perficiuntur: atque eæ quia cum ratione coniunctę sunt, ideo virtutes sunt laudabiles, sed posterius genitæ. Igitur virtus ea natura insita, quæ sine ratione est, quanquam à ratione seiuncta est, exiguamque vim habet, ac non laudatur, iuncta tamen cum ratione & animi iudicio, perfectam ac absolutam virtutẽ gignit. Itaq; rationem etiã ipsa adiuuat: & vt sine ratione naturalis illa propensio ad virtutẽ non peruenit, ita nec ratio & animi consilium sine hoc impetu naturæ, eò facile vt virtus sit perfecta, progreditur. SED VIRTVTEM ipsam inchoauit. Nihil itaque amplius nostrum est] alij melius, SED VIRTVTEM ipsam inchoauit, nihil amplius. Itaque nostrum est.

Quod quidem pluris sit haud paulo, magisque ipsum.

Finis bonorum in eo positus, vt quis secundum naturam viuat sic affectus, vt optimè affici possit, ad naturamque accommodatissimè, in tanto honore est & precio, vt & bona corporis, & multò magis fortunæ excellat. Eius verò naturæ perfectionis sapientia est pars præcipua, cuius splendore obscurantur & obfuscantur omnia reliqua bona, ita tamen vt non intereant, quod volunt Stoici: sed vt eius dignitati nõ cõparentur. Vt enim primas partes bonorum occupant, quæ sunt mentis & animi, ita secundas obtinent quæ sunt corporis, & tertias quæ fortunæ: & omnia ad summum

Peripateticorum bonum, quod in naturæ absolutione positum est, referuntur.

Præterea suapte natura per se esse expetenda indicant pueri.

In pueris, id est, in speculis naturæ, omnium virtutum semina elucent, tum in dictis, tum in factis. Vt enim statim proloqui cœperunt, Fecit ille, inquiũt, impudenter, hic honestè: Iustam rem & æquam hic postulat, ille iniquam. Quis hoc eos docuit? certè natura præeunte sine doctrina in animo eiusmodi notitias & initia habent. Si eos pudet dum vincuntur, appetitione quadam principatus & excellentiæ animorũ tenẽtur. Si labores libẽter perferũt, & desidiã naturæ instinctu declinãt, fortitudinis tanq̃ elemẽta tenẽt. Referre gratiã cupiũt, ea sunt iustitiæ semina. Magno studio res nouas & mirabiles audiendi ducũtur, cognoscẽdi ergo libidine mouentur.

In iis verò ætatibus quæ iã confirmatæ sunt, quis est tã dissimilis homini.

Nemo est qui honesti non moueatur appetitione, quíque turpitudinem non exhorrescat. Itaque nemo vnquam fuit, qui rem quam adipisci velit, nõ malit sine facinore, quàm scelere quouis, etiam impunitate proposita, ad se eam peruenire. Nemo est qui libenti animo impuros videat & flagitiosos: nemo non odit sordidos, vanos, leues, futiles. Ergo propter se vt vitium omne declinatur, ita etiam honestum expetitur. Nec id quidem in homine posterius genitum est & inditum, sed eæ ἔμφυτοι ἔννοιαι sunt & προλήψεις. Sic enim disputat Philosophus nobilis Epictetus apud Arrianum, qui cùm docuisset rerum Mathematicarum notiones non ingenerari animo, sed ex quadam artificum & doctorum traditione accipi, subdit, ἀγαθοῦ δὲ καὶ κακοῦ, καὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ, καὶ πρέποντος καὶ ἀπρεποῦς, καὶ εὐδαιμονίας καὶ δυστυχίας, καὶ προσήκοντος, καὶ ἐπιβάλλοντος, καὶ ὅ, τι δεῖ ποιῆσαι, καὶ ὅ, τι οὐ δεῖ ποιῆσαι, τίς οὐκ ἔχων ἔμφυτον ἔννοιαν ἐλήλυθε; διὰ τοῦτο πάντες χρώμεθα τοῖς ὀνόμασι, καὶ ἐφαρμόζειν πειρώμεθα τὰς προλήψεις ταῖς ἐπὶ μέρους οὐσίαις. καλῶς ἐποίησε, δεόντως, οὐ δεόντως, ἠτύχησεν, εὐτύχησεν, ἄδικός ἐστι, δίκαιός ἐστι. τίς ἡμῶν φείδεται τούτων τῶν ὀνομάτων; τίς ἡμῶν ἀναβάλλεται τὴν χρῆσιν αὐτῶν μέχρι μάθῃ, καθάπερ τῶν περὶ τὰς γραμμὰς ἢ τοὺς φθόγγους οἱ οὐκ εἰδότες; Boni verò, inquit, & mali, honesti & turpis, decori & indecori, beatitudinis & miseriæ, eius quod deceat & cõueniat, quid agendum, & quid prætermittendũ sit, quis nascitur, in quo notiones ingeneratæ non sint. Itaque verba eiusmodi frequentia omnes in ore habemus: ac tales animo anteceptas cognitiones rebus singulis accommodare annitimur: Honestè ille fecit, decore, indecore: prospera vsus est, aut aduersa fortuna: iniustus est hic, ille iure agit. Quis nostrum his abstinet vocibus? Quis nostrum expectat, quo minus his vtatur, donec à docẽte exceperit? Quod solent ij, qui linearum, aut sonorum rationem non didicerunt.

Quis vrbis conseruatorem Codrum? Quis Erichthei filias nõ maxi.

Cùm Thraces aduersus Athenienses bellum gererent, oraculi responsum acceperant, si à Codri cæde abstinerent, fore vt victores essent. Quam rem vbi Codrus resciuit, falce manu sumpta, ad hostes habitu famulari profectus est. Vbi quũ quempiam pulsasset, interemptus est: atque ita vicerunt Athenienses. Historiam conscripserunt Plutarchus, Valerius Maximus, & Iustinus. Erichthei regis filiæ Proserpinę Deæ immolatæ fuerunt pro vita ciuium, vt pestilentia liberarẽtur: ob quam causam ipse Erichtheus Athenis & filiæ honore Deorum immortalium cõsecrati sunt. Hæc duo exempla Tusculan. 1. etiam perstringuntur à Cicerone: Claræ verò mortes, inquit, pro patria oppetitæ, non solùm gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetunt ab Erichtheo, cuius etiam filiæ cupidè mortem expetiuerunt pro vita ciuium: Codrum, qui se in medios immisit hostes famulari veste, ne posset agnosci, si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si Rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Quam Cicero famularem vestem, Plutarchus ἐν πλῶς σχῆμα appellat.

Iustinus, pānosum,& Valerius Maximus famularem cultum,alij,militare sagulum. De L. Tubulo lib.2.dixit, quòd quum Prætor quæstionem inter Sicarios exercuisset,ita apertè ceperit pecunias ob rem iudicādam,vt anno proximo P. Scęuola Trib. plebis ferret ad plebem,vellétne de ea re quæri. Quo plebiscito decreta à Senatu fuerit Cos.quæstio Cn.Cæpioni. Profectum verò in exilium Tubulum,nec respōdere ausum fuisse,quòd res erat aperta.

Qui clamores vulgi,atque imperitorum,excitantur in theatris.

In Lælio,Itaque si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeūdis,aut communicandis,quis est,qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cauea nuper in hospitis & amici mei M. Pacuuij fuerunt tota fabula, cùm ignorante Rege, vter eorum esset Orestes,Pylades Orestem se esse diceret, vt pro illo necaretur: Orestes autem,ita vt erat,Orestem se esse perseueraret?Stātes plaudebāt in re ficta. Quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facilè indicabat ipsa natura vim suā,cùm homines quod facere ipsi non possent,id rectè fieri in altero iudicarēt.

Nos enim ad sacra Idæa accipienda,optimum virum delegimus.

Bello Punico secundo,iam quatuordecim annos vigente, cùm à Decēuiris Sibyllæ carmen inuentum esset,quo significabatur fore,vt hostes ex Italia eiicerentur, si ex Pessinunte,quę erat Phrygię ciuitas, Mater Deûm adueheretur: Legati eò ad Regem Attalum missi sunt,qui Senatus Populiq́ue Rom. nomine Matrē Deûm postularent. Hi in via Delphicum Apollinem consuluerunt,de eo numine impetrando,& Oraculum audierunt,sese quod vellent impetraturos ab Attalo:sed curarent, vt ab optimo totius ciuitatis viro Romæ sacra ea exciperentur. Itaque cùm iam Hostiam nauis appulisset Deę onusta simulacro,à iuratis patribus de optimo ciuitatis viro decernere, P. Corn.Scipio Nasica adolescens,necdū quæstura,qui primus erat dignitatum gradus, functus, vir omniū optimus iudicatus est,qui Deæ sacra exciperet.

Nos tutores misimus Regibus.

Valerius li.6. tit.de Fide publica, Cùm Ptolemæus Rex,inquit,tutorē populum Rom.filio reliquisset,Senatus M. Aemyliū Lepidum Pontificē Max.bis Cos.ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit,amplissimiq́ue & integerrimi viri sanctitatem Reip.vsibus & sacris comparatam externæ procurationi vacare voluit,ne fides ciuitatis nostræ frustra petita existimaretur:cuius beneficio regia cunabula conseruata pariter ac decorata incertū Ptolemæum reddiderunt, patrísne fortuna magis, an tutoris maiestate gloriari deberet.

Nostri imperatores pro salute patriæ sua capita vouerunt.

Decij deuotionem significat,de qua Liuius scribit:Decius Consul M.Valeriū magna voce inclamat,Deorum,inquit,ope Valeri opus est:agedum Pontifex Pop.Ro. præi verba,quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam sumere iussit,& velato capite manu subter togam ad mētū exerta, super telum subiectū pedibus stantem sic dicere,Iane,Iuppiter,Mars pater, Quirine,Bellona,Lares, Diui nouensiles,Dij indigetes,Diui,quorū est potestas nostrorum,hostiumq́ue,Dii q́ue manes,vos precor,veneror,veniam peto,feroq́ue vti Pop.Rom.Quiritium vim victoriamq́ue prosperetis: hostesq́; Pop.Rom. Quiritium terrore, formidine, morteq́ue afficiatis,sicut verbis nuncupaui: ita pro Rep. Quiritiū, exercitu,legionibus, auxilijs Po. Rom. Quiritium legiones, auxiliaq́ue hostium mecum Diis manibus Tellurique deuoueo. Hæc ita precatus, Lictores ire ad T. Manlium iubet, maturéque collegæ se deuotum pro exercitu nunciare. Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equū insiluit, ac se in medios hostes immisit,&c. Hoc Decius cū Latinis decertās fecit: quē cum Hetruscis belligerās filius, & cū Pyrrho nepos,imitatus est.

Nostri consules regem inimicißimum mœnibus iam appropinquant.

Gellius hanc rem ex Cl. Quadrigario historiarum scriptore,& Valerio Antiate descriptam,nobis reliquit,lib.3.ca.8.Vbi eam factam fuisse tradit Coss. C. Fabritio atque Aemylio:literas autem quibus Regem Pyrrhum vt caueret , monuerunt, hunc in modum scriptas fuisse,

COSS. ROM, SALVTEM DICVNT PYRRHO REGI.

Nos pro tuis iniuriis continuo animo strenui commoti, inimiciter tecum bellare studemus.Sed communis exempli & fidei ergô,visum est vti te saluum velimus: vt esset quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi precium à nobis peteret,si te clàm interfecisset.Id nos negauimus velle: néue ob eã rem quicquam commodi expectaret:& simul visum est , vt te certiorem faceremus: ne quid eiusmodi si accidisset,nostro cõsilio ciuitates putarent factum:&quòd nobis nõ placet precio,aut præmio,aut dolis pugnare. Tu nisi caueas,iacebis. Cicero.1. Officiorum huius rei meminit.Maximum autem,inquit,exẽplum est iustitiæ in hostem à maioribus nostris constitutum. Quum à Pyrrho perfuga Senatui esset pollicitus se venenum Regi daturum,& eum necaturum,Senatus & C. Fabritius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem & potentis, & bellum vltro inferentis,cum scelere interitum approbauit.

Nostra in Rep. & quæ per vim oblatũ stuprũ, volũtaria morte lueret.

Lucretiam intelligit,quæ stuprata per vim à Regis filio ,testata ciues,se ipsa interemit. Quod factum plurimis memoriæ proditum est . Qui autem interfecit filiã; ne stupraretur,is fuit L. Virginius,de quo lib.2. Tenuis,inquit.L.Virginius vnúsq; de multis,sexagesimo anno post libertatem receptam , Virginiam filiam sua manu occidit potius,quàm ea P.Claudij libidini,qui tũ erat summo in imperio,dederetur.

Quàm coniunctio inter homines hominum,& quasi quædã societas.

Nullum animal tam diligit societatem & coniunctionẽ,quàm homo:ad id enim natura nos genuit,vt alij cum aliis versemur,vtilitates communicemus,& quantum fieri potest,alij alios iuuemus,πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος ζῶον φύσει,πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον. Itaque cùm bestiis vox tributa à natura sit,qua quæ iucũda sint,quæque molesta significare possint,ratio præterea homini data est, itemq; sermo,quo communicare cum aliis vtilia,& indicare noxia possit:itaque &quid iustum ac æquum, & quid iniquum sit,sentire. Nullum enim aliud animal intelligit quid bonum,quid malum,quid iustè factum,quid iniuste,præter hominem:quarum rerũ communicatio ciuitatem & primùm domum gignit.quod disputat Aristoteles in Politicis,ὁ δὲ λόγος,inquit,ἐπὶ τὸ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερὸν,ὥστε καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον.τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν.ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν. Et libro de Officiis scribitur,latissimè patere eam rationem , qua societas hominum inter ipsos & vitæ quasi communitas cõtinetur. Vbi etiam gradus societatũ explicati sunt:qui omnes sub hanc diuisionem cadunt,vt communio sit vel à natura indita,vel ex animi consilio ac instituto,id est,ἡ φυσικὴ,ἡ προαιρετικὴ.quarũ vtrinsq; duas item partes faciunt,vt sit aut parium,aut imparium,ὁμοίων,ἡ ἀνομοίων. Fratrib⁹ inter se naturalis est societas,eáque parium.vt amicorum communicatio parium illa quidem est,sed animi consilio ,non natura suscepta.Patris cum filio naturæ est coniunctio,sed ea est imparium:vt inter magistrum & discipulũ qui item impares,προαιρετικὴ communio est. Quam verò habent coniuges communionem , ea partim ex natura,partim ex animi deliberatione & iudicio proficiscitur: vt etiam vicinorũ societas tum ex similibus inter se,tum ex dissimilibus coniuncta est.Hæ societates origines sunt & veluti semina ciuitatum ac rerumpublicarum . Prima societas est in

ipso coniugio:proxima in liberis:deinde vna domus, omnia communia. sequuntur fratrum coniunctiones, post cōsobrinorum sobrinorúmque:qui cum vna domo iam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt,&c. lib. 1.de Officiis.

Quæ animi affectio suum cuique tribuens, atque hanc quam dico.

Sic δικαιοσύνη apud Platonem definitur, ἕξις διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ, & ἰσότης κοινωνική. Iustitiæ autem tantum tribuit Aristoteles, vt ea nullam esse præstantiorem virtutem putet:nec tam admirabilem esse Hesperum aut Luciferũ, quàm ipsa sit. de cuius præstantia factum est omnium sermone tritum prouerbium, ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν, quo quidem significabatur omnem malitiam, omneque vitium longè ab eo abesse, in quo esset iustitia, τουτέστιν, ait interpres, ἅπαν κακὸν πόῤῥω τῆς δικαιοσύνης. Quod de frugalitate dicit Cic. Nisi, inquit, eo nomine virtutes omnes cōtinerētur, nunquam illud ita peruulgatũ esset, vt iam prouerbij locũ obtineret, Hominē frugi omnia rectè facere. Eã preterea dicit Arist. vnã omnium virtutē absolutissimam, quæ non modò valeat vt quis secum rationi conuenienter agat, verum etiam foras exeat, & societates ac hominum inter homines coniunctiones tueatur ac gubernet. ὁ γὰρ σώφρων καὶ ἀνδρεῖος καὶ ἐγκρατὴς καὶ αὐτὸς καθ' αὑτόν ἐστι τοιοῦτος, ἀλλὰ τὸ δίκαιον τὸ πρὸς ἕτερον. Qui, inquit, tēperatus, fortis & continens est, is sibi ipsi talis est:at iustitia se ipsa fundit in alium, ac foras spectat. δικαιοσύνῃ adiũgit Aristoteles ὁσιότητα, ἀλήθειαν, πίστιν καὶ μισοπονηρίαν: & liberalitati, quã iustitiæ subiectam Cicero facit, τὸ ἦθος ὑγρότητα, εὐαγωγίαν, φιλανθρωπίαν, τὸ ἐλεητικὸν καὶ φιλόφιλον, καὶ φιλόξενον. Ac dum retinetur honesti illa diuisio in quatuor partes, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam:multæ virtutum formæ ad singula illa genera referantur, necesse est.

Nam quum sic hominis natura generata sit, vt habeat quiddam innatũ.

Aristoteles cùm aliis in locis, tum in libris, quos ad Nicomachũ scripsit, id dicit, οὐθεὶς γὰρ ἕλοιτ' ἂν καθ' αὑτὸν τὰ πάντ' ἔχειν ἀγαθά. πολιτικὸν γὰρ ὁ ἄνθρωπος καὶ συζῆν πεφυκός. Et alibi, οὐ γὰρ μόνος διάξει. τὸ γὰρ συμβιοῦν, ἡδὺ καὶ ἀναγκαῖον. Et in Politicis. ἐκ τούτων οὖν φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστί, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον, καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. post, ὁ δὲ μὴ δυνάμενος κοινωνεῖν, ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, οὐδὲν μέρος πόλεως, ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός. φύσει γὰρ οὖν ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τὴν τοιαύτην κοινωνίαν. Nã nemo est, inquit, qui etiam omni bonorũ genere instructus, solus degere velit. Est enim natus homo ad congregationem hominum, & ad societatem communitatemq; generis humani. itē, Nō libēter vitam solus aget:quia cum aliis viuere, & iucundum est, & necessarium. Igitur ex iis perspicuum est è natura ciuitatem esse: itemque hominem animal esse ad coniunctionem aptum & cœtum hominum. Ac si quis ciuitates & hominum cœtus fugiat, natura duce, & non vllo fortunæ casu incitatus, is aut deprauatus est, aut natura hominum superior. Pòst, Qui autem communicare cum aliis nequit, aut tantis est instructus opibus, vt nihil desideret, is in totius ciuitatis partibus nō est numerãdus: Ita sequitur, vt potius belua, aut Deus quispiam sit, quàm homo. Nam sic natura hominis generata est, vt ad hominum coniunctionem societatemque propensa sit. Quod autem ait honestum aut ipsam virtutē esse, aut rem gestam virtute, id eleganter exprimit, quod est in Aristotelis libris, καλὰς, τὰς ἀρετάς, ἢ τὰς ἀπ' ἀρετῆς πράξεις εἶναι.

Quibus in rebus vita consentiens, virtutibusque respondens, recta.

Hoc disputat Aristoteles, ἠθικοῖς μεγάλοις. Cùm enim dixisset, ea nostri parte nos bene beateque viuere, qua viuimus, subiungit, ψυχῇ δὲ ζῶμεν, διὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν ἄρα εὖ ζήσομεν. τὸ δέ γε εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸ εὐδαιμονεῖν λέγομεν.

τὸ ἄρα εὐδαιμονεῖν καὶ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῷ εὖ ζῆν ἐστι. τὸ δ' εὖ ζῆν ἐν τῷ κατὰ τὰς ἀρετὰς ζῆν. τοῦτ' ἄρα ἐστὶ τέλος, καὶ ἡ εὐδαιμονία, καὶ τὸ ἄριστον. Quorum verborũ sensus est, Quòd si animo viuimus, animo etiam bene viuamus necesse est. Bene autem viuere, & prę clarè agere, nisi beatè viuere, aliud esse non dicimus. Beate ergo viuere & beatitudo in rectè beneq́ue viuendo posita est. Atqui vita quæ rectè beneq́ue ducitur, ea est consentiens, & virtutibus respondens. Vita igitur ea bonorum summa est, ac beatitudo, quaq́ue nihil melius esse posit. De connexione virtutum inter se, diximus libro quarto.

Tamen proprium suum cuiusque munus est, vt fortitudo in laboribus.

Virtutum omnium munera seorsim persecutus est Aristoteles, in eo libello, qui de Virtutibus inscribitur, si modò Aristotelis liber est, & non cuiusquam alterius, qui illa congesserit, ex alienis libris, vt ferè fit. Igitur quæ illic munera virtutum explicantur, videbit qui volet, nos ea tãtum huc adscribemus, que attingit Cicero. Fortitudinis itaque munus vnum est, τὸ δυσαπόκρουστον ἀπὸ φόβων τῶν περὶ θανάτων, item, τὸ εὐθαρσεῖν ἐν τοῖς δεινοῖς, καὶ τὸ εὔτολμον πρὸς τοὺς κινδύνους, mortis metu à quietæ vitę statu non facilè petturbari, fidenti animo adire pericula, periculis sese libenter offerre: hoc est in laboribus periculisq́ue cerni. Temperantiæ, τὸ μὴ θαυμάζειν τὰς ἀπολαύσεις τῶν σωματικῶν ἡδονῶν, καὶ τὸ εἶναι πάσης ἀπολαύσεως αἰσχρᾶς ἡδονῆς ἀνόρεκτον, non magnopere velle frui corporis voluptatibus, non turpis cuiusdam voluptatis cupiditate teneri. Neque enim temperantis est, aut omnes prætermittere voluptates, sed eas quę cũ turpitudine cõiunctæ sunt: aut quę persequẽdæ sunt, insatiabiliter persequi. Prudentiæ, τὸ βουλεύσασθαι, τὸ κρῖναι τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ, καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ αἱρετὰ καὶ φευκτὰ, τὸ χρῆσθαι πᾶσι καλῶς τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς, τὸ συνιδεῖν τοὺς καιρούς, de rebus consultare & deliberare, iudicare quid bonum non bonúmue sit, quid appetendum, quid fugiendum: ex iis quæ ad vitam pertinent, rectè vti bonis quæ adsunt, temporum rationem habere: quæ omnia delectus bonorum & malorum complectitur. Iustitiæ demũ munus est, τὸ διανεμητικὸν εἶναι τὸ κατ' ἀξίαν, καὶ τὸ σώζειν τοὺς γεγραμμένους λόγους, καὶ τὸ ἀληθεύειν ἐν τῷ διαφέροντι, καὶ τὸ διαφυλάττειν τὰς ὁμολογίας, cuique pro dignitate tribuere, fidem in scriptis conseruare, in re controuersa veracẽ esse, conuentus & pacta seruare. Quæ omnia eò pertinent, vt quæ omnium virtutũ sint notitiæ, quæq́ue cuiusque vis & natura, intelligatur. Quod autem ait Piso, ita copulatas esse virtutes, vt omnes omnium participes sint, nec alia ab alia posit separari, non placuit Aristoteli, vt scribit Laërtius, τάς τε ἀρετὰς ἔφη μὴ ἀντακολουθεῖν. ἐνδέχεσθαι γὰρ φρόνιμόν τινα, καὶ ὁμοίως δίκαιον ὄντα, ἀκόλαστον καὶ ἀκρατῆ εἶναι. Aristoteles, inquit, negauit virtutes sese mutuò consequi. Fieri enim posse vt qui prudẽs sit, itemq; iustus, is intemperatè viuat, ac sese continere non posit.

Ita fit vt duo genera propter se expetendorum reperiantur.

Hanc diuisionem me legere non memini in Aristoteleis commentariis: ac puto recentiorum esse Peripateticorum. Aristoteles quidem bonorum hanc facit diuisionem, vt alia dicat τέλη, alia οὐ τέλη: rursum τελειότερα, aliud τέλειον, aliud ἁπλῶς, item αἱρετῶν, aliud genus esse dicit, τῶν καθ' αὑτὰ, aliud δι' ἄλλο τι αἱρετῶν. sed non est id in totum quod ait Cicero. Igitur meminerimus eorum quæ supra ex Academico primo descripta huc attulimus, Rerum expetendarum finem in eo esse positum dicebat, veterum Academicorum & Peripateticorum sententia, si quis adeptus esset omnia è natura, & animo, & corpore, & vita. ita cùm exposuisset, que essent corporis, quæ essent animi, quæ item vitæ adiuncta, addit, Ac de summo quidem atque naturali bono, sic agunt: cætera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, vt diuitias, vt opes, vt gloriam, vt gratiam. Ex quo intelligimus, talem fuisse expetendorum diuisionem, vt alia complerent, & partes essent vitæ beatæ ho-

minum, eaque vel in animi esse vel in corporis perfectione: alia nõ esse, illa quidem συμπληρωτικὰ τῆς εὐδαιμονίας, sed tãtum φυλακτικὰ ἢ τῆς ἀνίας κωλυτικά, & ea erãt, non in homine posita, sed extrinsecus existebant. Quæ suprà protulimus ex Aristotele, satis indicant ea non ita sensisse, nisi aliter eum scripsisse, quàm sentiret, dicam. Et apertè de eo Laërtius scribit, quòd vitam beatam ex tribus bonorum generibus voluerit compleri, animi, corporis, & fortunæ. ἔφη δὲ καὶ τὴν εὐδαιμονίαν συμπλήρωμα ἐκ τριῶν ἀγαθῶν εἶναι, τὴν περὶ ψυχὴν, τὴν περὶ σῶμα, καὶ τὴν ἐκτός.

Nec verò quisquam summum bonum aßequi vnquam posset.

Hoc scilicet, cùm viderent recentiores Peripatetici, & multum premerentur à Stoicis, bona externa beatitudinis esse συμπληρωτικὰ negarunt. Sed quid dico recẽtiores? id ne Aristotelem quidem latuit, qui non modò si in externis illis, sed si in iis quæ naturâ efficiuntur, vita poneretur beata, negauit summum bonum assequi multos posse. Ac vult quidem dicere, multo latius futurum summum bonũ, ac diuinius, si in animi cura & cogitatione situm sit: sed premitur ea triplici bonorum ratione: quam dum retinere cupit, ad summum bonum fortunæ prosperitatem cogitur adiũgere. Verba eius recitauimus lib. 4. ex libris de Morib. ad Eudemum.

Quomodo igitur, inquies, verũ esse poterit, omnia referri ad summũ bo.

Aristoteles, σχεδὸν, inquit, καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τις ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι καὶ αἱροῦνται καὶ φεύγουσι, καὶ τοῦτ᾽ ἐστιν ὡς κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἥ τ᾽ εὐδαιμονία, καὶ τὰ αὐτῆς. Priuatim, inquit, singuli fermè & in genere omnes, sibi scopum quendam habent propositum, quem vt attingant, omnia eò quæ persequenda, quæque refugienda sunt, referunt: ac illud est, vt in summa rem complectar, beatitudo, & quę ad eam pertinent. Eò, inquit Piso, quæ sunt extrinsecus, non referuntur, vt efficientia, aut vt ea quibus vita compleatur beata: sed talia sunt, vt in iis officia exerceantur: quæ quidem officia, cùm è virtute, quæ magna summi boni pars est, proficiscantur, ideò ad beatitudinem referri putantur. Quod autem hic legitur, HAC VIDELICET ratione, quòd ea quæ externa sunt, his tuemur officiis, quæ oriuntur à suo cuiusque genere virtutis] apertius multo esset, & aptius videretur ad ea quæ sequuntur, si ita esset scriptum, HAC VIDELICET ratione, quod iis quæ externa sunt, hęc tuemur officia, &c. vt ait in Academicis, eiusmodi extrinsecus quæ sunt, pertinere ad summum atque naturale bonum, aut ad augendum, aut ad tuendum. Nihil tamen affirmo: ac malo inscitiam meam confiteri, quàm quod non intelligam deprauatum esse proclamare. EXCITANTVR spe gloriæ quę habet formam honestatis] vetus codex habet, EXCITANTVR spe gloria, quæ habet speciem honestatis.

Quem enim deditum voluptatibus, quem cupiditatum incendiis.

Voluptas ea quæ ex rectè factis & virtutum officiis percipitur, ea vera est voluptas, quæ comitem non circũfert dolorem, quæ sui pœnitentiam non adfert. Itaque viri fortes & præclari, magnopere lætãtur, si facinus aliquod ediderint, aut ad salutem reipublicæ, aut ad amicorum tuendam dignitatem. Audiamus Platonis grauissimum testimonium, οὐδὲ παναληθής ἐστιν ἡ τῶν ἄλλων ἡδονὴ, πλὴν τοῦ φρονίμου, οὐδὲ καθαρὰ, ἀλλ᾽ ἐσκιαγραφημένη τις, ὡς ἐγὼ δοκῶ μοι τῶν σοφῶν τινὸς ἀκηκοέναι. Neque vera est omnino voluptas, quam ex quauis re alia quis percipiat, quàm ex prudenter ac sapienter factis, neque sincera & pura: sed si qua est, ea tantum adumbrata est & simulata voluptas, quod equidem à sapiente quodam me audiuisse videor.

Quem Tyberina decursio festo illo die tanto gaudio affecit.

Alij, DESCENSIO: vetus, DISSENSIO: sed verum est, DECVRSIO: quod doctissimus vir Camerarius ex Ouidij versibus probat,

Ite Deam læti fortes celebrate Quirites,
In Tyberis ripa munera regis habent.

Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba:
Nec pudeat potos inde redire domnm.

Nullus vnquam, inquit, tanta est voluptate perfusus, magnifico ludorum apparatu, epulis publicis, saltationibus, & aliis eius generis oblectationibus, quanta L. Paulus Aemylius, qui captum regem Perseum per Tyberim deducens naui prætoria sexdecim remis, ornata armis ac spoliis hostium, magnam sibi gloriam, magnúmque virtutis nomen adeptus est. Plura Plutarchus. Hæc illa nimirum est voluptas, quam degustare nemo possit, qui suauitatibus illis sensuum cum beluis homini communibus, irretitus tenetur: quod ait Plato, οἱ ἄρα φρονήσεως καὶ ἀρετῆς ἄπειροι ἐνωχίαις δὲ καὶ τοῖς τοιούτοις ἀεὶ ξυνόντες, κάτω ὡς ἔοικε, καὶ μέχρι πάλιν πρὸς τὸ μεταξὺ φέρονταί τε, καὶ ταύτῃ πλανῶνται διὰ βίον, ὑπερβαίνοντες δὲ οὔ, πρὸς τὸ ἀληθὲς, ἄνω οὔτε ἀνέβλεψαν πώποτε, οὔτε ἠνέχθησαν, οὐδὲ τοῦ ὄντος τῷ ὄντι ἐπληρώθησαν, οὐδὲ βεβαίου τε καθαρᾶς ἡδονῆς ἐγεύσαντο. Qui ergo, inquit, prudentia & virtute præditi non sunt, sed in epulis versari semper solent, & eiusdem generis oblectationibus, ij deorsum labi videntur, nec vnquam aliò intuentes, quā ad ea quæ sunt ad pedes, errant, ac ita per totam vitam hallucinantur: idque prætermittunt, vt sursum versus ad veras voluptates conuertantur: quò nec vnquam ad aspiciendum mouerunt oculos, nec vultum erexerunt, nec vnquam rerum veritatem verè consecuti sunt, nullamque stabilis liquidęq; voluptatis ac liberæ partem gustarunt.

Qui omnes motus fortunæ, mutationésque rerum & temporum, leues.

Imperiti, vt est apud Plutarchum, infeliciter felici, & sinistrè dextra vtuntur fortuna: contrà prudentes, perinde atque apes ex thymo amarissima herba, suauissimū mel conficiunt: ita ex rebus aduersis & incommodis, quod accommodatum sibi sit & prosperum, eliciunt. Itaque præclarè dicebat Epicurus, vt alia non pauca, Exiguā sapienti interuenire fortunam. Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus, alter penè Epicurus, Occupaui, inquit, te fortuna atque cepi, omnésque aditus tuos interclusi, vt ad me aspirare non possis. Quod si molles homines tenuerunt & voluptuosi, vt scilicet prosperè aduersa fuerint vsi fortuna, id aliis non erit tam difficile: & verum fiet quod scribit Plato in Euthydemo, ἡ σοφία ἄρα πανταχοῦ ἐντυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους. οὐ γὰρ δήπου ἁμαρτάνοι γ' ἄν ποτέ τις σοφία, ἀλλ' ἀνάγκη ὀρθῶς πράττειν καὶ τυγχάνειν. Igitur sapientia, inquit, efficit vt prospera vbique fortuna homines vtantur. Neque enim vsquam aberrauerit sapientia, sed omnia & rectè agat, & assequatur quæ velit, necesse est. In exilium actus est Diogenes: ne hoc quidē illi malè cessit. Illinc enim philosophandi initium ac occasionem nactus est. Zenoni Cittieo vnica nauis supererat: eam vbi audiuit integram cum onere periisse, Præclarè, inquit, fortuna facis, quæ me ad pallium & porticum remittis. SINE ILLIS possit beata vita existere] vetus habet, CONSISTERE.

Sic nimis violentum est, nulla esse dicere.

In Stoicos hoc dictum est: qui omnem rerum quæ ad corpus pertinent, quæque externæ dicuntur, æstimationem splendore virtutis & magnitudine ita obscurari & obrui volunt, vt omnino intereat. At Peripatetici, quorum rationem nunc explicat, quæ secundum naturam sunt, parua illa quidem esse in vita beata fatentur: partes tamen, licet exiguas, vitæ beatæ esse negare, id absurdum esse dicunt. Nisi enim virtus habeat in quibus versetur, eam existere non posse. Itaque qui ad vitam beatā ea pertinere negent, virtutem & officium omne peruertere ac tollere.

Est tamen philosophi non tam gloriosa quàm vera quærentis.

Veri philosophi & rerum cognitione præditi, in rerum externarum & corporis despicientia illi quidē versantur: sed ita, vt illas pro nihilo non ducant, sed nō magni

æstiment. Vt enim illis persuasum est, nihil hominem nisi quod honestum decorũq; sit aut mirari, aut valde expetere oportere, nulliq́ue neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere: ita etiam non ignorant omnino contemnẽda non esse & corporis & externa bona, quibus tuentur officia, & illas quæ virtuti respondent actiones. Itaque non ait Plato, externa bona Philosopho pro nihilo putari, sed rem exiguam videri. Sic enim docens quemadmodum verus Philosophus ad ea sit adfectus, quæ in vulgus probantur, scribit, γῆς δ᾽ ὅταν μυρία πλέθρα, ἢ ἔτι πλείω ἀκούσῃ, ὥς τις ἄρα κεκτημένος, θαυμαστὰ πλήθει κέκτηται, πάνσμικρα δοκεῖ ἀκούειν, εἰς ἅπασαν εἰωθὼς τὴν γῆν βλέπειν. τὰ δὲ γένη ὑμνούντων, ὡς γενναῖός τις ἑπτὰ πάππους πλουσίους ἔχων ἀποφῆναι, παντάπασιν ἀμβλὺ καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὁρώντων ἡγεῖται τὸν ἔπαινον, ὑπὸ ἀπαιδευσίας οὐ δυναμένων εἰς τὸ πᾶν ἀεὶ βλέπειν, οὐδὲ λογίζεσθαι ὅτι πάππων καὶ προγόνων μυριάδες ἑκάστῳ γεγόνασιν ἀναρίθμητοι, ἐν αἷς πλούσιοι καὶ πτωχοὶ, καὶ βασιλεῖς καὶ δοῦλοι, βάρβαροι, &c. Quum autem, inquit, decem milia iugerũm, aut etiam plura, aliquem possidere dici audit, rem multitudini quidẽ eximiam atque admirabilem, paruam ille exiguique momenti ducit, qui vniuersum terrarum orbem intueri ac mente peruestigare solitus est. Quum item audit aliquem ex generis nobilitate prædicari, quod auis ac maioribus septem opulentis natus sit, eiusmodi honorem ac laudem omnino debilem putat, & vt eorum qui parum admodũ videant præ inscitia, ac rerum vniuersitatem intueri nunquam possint, neque perspicere neminem esse, qui non habuerit maiorum innumerabilem multitudinem, quorũ alij fuerint diuites, alij pauperes: partim reges, partim serui, quidam barbari, &c.

Oratio denique hæc est vndique completa & perfecta explicatio.

Summum bonum in eo positum fuit, si quis naturæ cõuenienter viuat, sique fit, quàm optime fieri possit, ac ad naturam accommodatissimè totus homo affectus. Id primum sententiis reliquorum Philosophorum exclusis, docuit ex prima naturæ commẽdatione, quę est in se suisq; partibus diligẽdis, curãq; ita sit, rationes plurimas attulit, ac contrarias dissoluit: primum exponens quenque sibi natura esse charum: deinde aperuit quæ esset hominis natura: qua in re cùm reperisset hominẽ ex animo & corpore constare, conclusit vtranque partem ad naturæ perfectionẽ bene habere necesse esse: itaque summum existere, quod cumuletur ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta. Quo exposito, explicauit, quia cuiusque partis naturę & in animo, & in corpore sua vis esset, idcirco ad summũ constituendum bonũ, summam omnium virium & naturæ effectionum congruarum faciendam esse. Atq; hactenus de iis quæ prima naturæ commoda dicuntur. Sunt alia quæ postera & consequentia, id est, ἐπιγεννηματικὰ dicuntur: ex iis item confirmat illam summi boni expositionem: docens nimirum omnia suapte natura, non aliter ac prima naturæ experi. Quibus positis & confirmatis, sequitur vt ea omnia ad naturę absolutionem concurrant, itemque quibus tueantur nata ex illis officia, quæ fortunę vel externa bona dicuntur. Ita completa & perfecta summi boni existit explicatio, quod ex omni bonorũ genere animi, corporis & fortunæ, fabricatum sit.

Sæpe ab Aristotele & Theophrasto mirabiliter est laudata.

Vt cùm Aristoteles ait in cognitione rerum & contemplatione beatã vitam positam esse: eósque ad Dei beatitudinem proximè accedere, qui plurimũ operę & temporis in cognitionis scientiæque studiis collocant. Et idem aliquãdo rogatus, quid inter eruditos & rudes interesset, Quantum, inquit, inter viuentes & mortuos: Ἐρωτηθεὶς τίνι διαφέρουσιν οἱ πεπαιδευμένοι τῶν ἀπαιδεύτων, ὅσῳ εἶπεν οἱ ζῶντες τῶν τεθνεώτων. Hérilli sententia suprà ex Galeno & Plutarcho quæ fuerit, diximus.

Multa sunt dicta ab antiquis de contemnendis ac despiciẽdis rebus hu.

Vt ab Aristotele, Vbi intelligentiæ & rationis plurimum sit, eò interuenire fortunam exiguam: vbique plurimum fortuna valeat, illic intelligentiæ minimun reperiri, οὗ πλεῖστος νοῦς καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη· οὗ δὲ πλείστη τύχη, ἐνταῦθα ἐλάχιστος νοῦς. Vt cùm eos reprehendit idem, qui hortantur, vt humana qui homo sit sapiat, ac cogitet, & qui mortalis, mortalia: vultque vt pro virili quisque nitatur ad immortalitatem, & vt omnia eo referat quæ agit, vt accommodatissimè ad id sui quod optimũ est & præstantissimum, viuat. Nam quanuis id mole exiguum sit, virtute tamen & dignitate reliquas omnes partes lõgè antecellere: imo videri id esse quod est quisq; siquidem præcipuum sit & omnium optimum. Itaque absurdum esse & indignum, si quis non sibi peculiarem & propriam, sed alienam sequatur vitam. χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ, &c. libro decimo ἠθικ. νικομαχ. Aristo autem qui libenter hanc arripuit rerum humanarum despicientiam, pręter virtutem & vitium omnia indifferentia esse docuit: qua de re aliquoties nos suprà diximus, vt etiã de Hieronymo, Calliphone, & Diodoro.

Nomina tanquam rerum notas mutauerunt.

Id latissimè lib. 4. explicatum est à Cicerone contra Catonem. Stoici diuitias, opes, valetudinem non bona appellabant, vt Peripatetici; sed præposita. Qui tamen ista bona dicebant, nihilo plus iis tribuebant, quàm qui eadem mutato nomine pręposita, præcipua, siue promota nuncupabant. Dolorem, mendicitatem, morbum, in malis numerãt Peripatetici, Stoici mala negãt esse, reiectanea & remota siue reiecta noua appellatione dicũt. nec minus interim ea declinant, q̃ qui mala nominãt. Itaq; dicebat festiuè Piso, plus tribui diuitiis à Zenone, qui eas in præpositorũ genere poneret, quàm ab Aristotele, qui bonum esse diuitias fateretur. Et certè Zenonẽ pecuniæ studiosum fuisse apparet ex Laërtio, qui ait eum in Græciam profectum plusquam mille talẽta habuisse: eaque vt amplificaret, in vsurã dedisse: αὐτὸν [illegible] χίλια τάλαντα ἔχοντα ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ ταῦτα δανείζειν ναυτικῶς.

Ita relinquitur sola hæc disciplina digna studiosis ingenuarũ artium.

Causam ex superioribus repetamus. Ex Peripateticorum enim, itemque ex Academicorum scriptis & institutis, quum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artiũ, vt nemo sine eo instrumento ad vllam rem illustriorẽ satis ornat⁹ possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores, ac rerum publicarum principes extiterunt: vt ad minora veniam, mathematici, poëtæ, musici, medici denique ex hac, tanquam ex omnium artium officina profecti sunt. Ac quantum ad nostram ætatem attinet, nulla fermè alia extat philosophorum disciplina, quam sequi possimus. Et nisi hæc alias vicisset sectas, tanto studio vix conseruata fuisset, vt ad nostram peruenire potuisset tempestatem. Itaque post viros in omni literarum genere eruditos ac prudentissimos, hanc censeo dignã, in qua studiosi omnes operam collocent. Ea enim certa via adhibita ac ratione, itẽq; propriis & aptis verbis magnarum rerum continet cognitionem: siue disserendi peritiam, siue naturæ inuestigationem, siue mores inspicias. Nam Platonis scripta, tãetsi de genere eodem sint, nullius tamen disciplinæ præcepta integra cõtinent, nec via & ratione procedunt, quam μέθοδον vocant. DIGNA CLARIS viris, digna principibus] duo posteriora verba nõ sunt in veteri codice. Paulo pòst; QVID EST, inquit, satisne videor] vetus, QVID? INQVAT, Satisne, &c. Sequitur, VT SI TVI copia nobis semper fieret] vetus habet, TVI POTESTAS.

Assentientem his qui multum in fortuna secunda aut aduersa.

Staseas Neapolitanus Peripateticus, fuit ille quidem eruditissimus, sed nimium

tribuit Theophrasto, qui negabat beatum eum esse posse, qui malis ita vrgeretur, vt omnia ei aduersa essent in fortuna, omnibus oppressum corpus & confectum doloribus. Nam quum statuisset verbera, tormenta, cruciatus, patriæ euersiones, exilia, orbitates, non est ausus aliis assentire philosophis, qui non ad beatam vitam quicquam deesse dixerunt his qui virtutibus & omni honestate præditi sint. Quæ autē ab Antiocho dicebantur, posteà exponemus.

An eum discere ea mauis, quæ quum præclarè didicerit, nihil sciat?

Decreta dicit & dogmata nouæ Academiæ, quæ authore Arcesila docebat, Nihil sciri posse & percipi: philosophandi genus ἀσύστατον, id est, instabile, siue inconstans. Quum enim videret Arcesilas, omnem cognitionem multis esse obstructam difficultatibus, & in ipsis rebus obscuritatem, & in iudiciis nostris infirmitatem, argumentatus est, nullam esse scientiam: & exemplis rerum paucarum, quæ comprehendi non poterāt, contentus, amplexus est quam tueretur ignorantiam. Sed obiiciūt, Si nihil sciri potest, necesse est, id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri: falsum est ergo, quod dicitur, nihil posse sciri. Quam rem mihi Piso tacite notare videtur, cùm ait, discere ea quę cū præclarè didicerit, nihil sciat. Dogma enim sibiipsi repugnans, seseque dissoluens, significat illud esse, quòd noui Academici sibi habent propositum quod tueantur.

Sed nónne meministi mihi licere probare ista, quæ sunt à te dicta?

Academici isti, quanquam percipi nihil posse dicūnt, tamen de rebus omnibus differere solent in vtranque partem, vt interrogandō & respondēdo eliciāt, & tanꝗ exprimant aliquid, quod aut ꝓbabile sit, aut ad id proximè accedat. Vt enim cęteri alia vera & certa, alia falsa & incerta esse volunt: sic ab his dissentientes Academici, alia probabilia, alia non probabilia esse dicunt. Ergo quæ probabilia videntur, probant ac sequuntur: quæ contraria, improbant: itaque aiunt affirmandi arrogantiam vitantes, se fugere temeritatem, quę à sapientia plurimum dissidet. Id alicubi gloriatur M. Tullius, qui & hoc genus philosophandi solum esse liberum dicit.

Quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet?

Græci appellant id ἀκατάληπτον, & vim percipiendi κατάληψιν. De quibus in Academicis plura dicuntur. Sic enim de Philone loquens, Quum enim, inquit, ita negaret quicquam esse quod comprehendi posset (id enim volumus esse ἀκατάληπτον) si illud esset sicut Zeno definiret tale visum (iam enim hoc pro φαντασία verbū satis hesterno sermone triuimus) visum igitur impressum effictúmque ex eo vnde esset, quale esse non posset, ex eo vnde non esset, id nos à Zenone definitum rectissimè dicimus. Qui enim potest quicquam comprehendi, vt planè confidas id perceptum cognitúmque esse, quod est tale quale vel falsum esse possit? Hoc Stoici dicunt definientes φαντασίαν καταληπτικὴν, τὴν γινομένην ἀπὸ ὑπάρχοντος κατ' αὐτὸ τὸ ὑπάρχον ἐναποσφραγισμένην καὶ ἐναπομεμαγμένην· ἀκατάληπτον δὲ τὴν μὴ ἀπὸ ὑπάρχοντος, ἢ ἀπὸ ὑπάρχοντος μὲν, μὴ κατ' αὐτὸ δὲ τὸ ὑπάρχον. NESCIO QVO præterno- lauit oratio] vetus habet, NESCIO quomodo prætern.

De fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi.

Cicero sæpe ait id disputasse Theophrastum: ijs tamen in libris qui Aristotelis feruntur, hæc etiam repetias. Ait enim lib. 7. de Moribus ad Nicomachum, οἱ δὲ τὸν τροχιζόμενον καὶ τὸν δυστυχίαις μεγάλαις περιπίπτοντα εὐδαίμονα φάσκοντες εἶναι, ἐὰν ᾖ ἀγαθὸς, οὐδὲν λέγουσι. Qui beatum eum esse putant qui rota torqueatur, cuiq́ue plurimum aduersa sit fortuna, si bonus ac virtute præditus sit, eorum inanis est & nulla oratio. Alio loco idē dicit, ὁ δὲ Πριαμικαῖς δυστυχίαις περιπεσὼν, κἂν πάσας ἔχοι τὰς ἀρετὰς, οὐκ εὐδαίμων ἐστί. Nec, inquit, is est dicendus beatus, qui in Priami calamitates ac infortunia inciderit, quamuis omnibus præditus sit ac ornatus virtutibus.

Nam illud vehementer repugnat, eundem beatum esse, & multis ma.

Beatitudo enim aliud nō videtur esse, nisi secretis malis omnibus cumulata bonorū complexio. Iam si mala illa dicimus, paupertatem, ignobilitatem, humilitatem, solitudinem, amissionem suorum, graues dolores, perditam valetudinem, debilitatem, cæcitatem, interitum patriæ, exilium, seruitutem: profectò in his tot & tantis, atq; etiam quæ plura possunt accidere, nemo potest esse beatus. Nam si ea, quam diximus, beatitudini subiecta est notio, vt est, certè beatus non erit, nisi qui secretis malis omnibus cumulatam bonorum complexionem nactus fuerit. Vides itaque repugnātiam. Beatum omni bonorum copia abundare debere, & nullo malo premi: & eū qui aduersa vtatur fortuna, cùm in malis sit, beatum esse.

Si Stoicis concedis, vt virtus sola si adsit vitā efficiat beatā, & conce.

Stoicorum sententia nihil ad beatam vitam præter virtutem requiritur: itaque aiūt, siue quis fortunæ commodis auctus sit, siue destitutus, nihil interesse. Id, inquit Piso, ne Peripatetici quidem negant, Aristoteles enim in virtutis actione vitā ponit beatā: ergo vult qui virtuti congruenter agat, bene beateq; viuere. Vt igitur Stoici volunt suos sapientes, id est virtute præditos, beatos etiam tum esse quum sunt in rebus incommodis & reiiciendis: ita etiam non desinere, Peripateticorum sententiâ, esse beatos, qui sint in malis fortunæ aut corporis, quæ exigui momenti mala sunt. Quid igitur, inquies, discriminis est inter eos? Hoc scilicet, Peripatetici, adesse posse negant virtutem, in qua vitam constituunt beatam, nisi & corporis & externa adsint bona, quibus virtutis officia conseruantur, ac stabiliuntur. Neque enim qui infirma sit corporis constitutione, fortiter agat: nec qui mendicus, liberalis in alios esse possit. Stoici illa quidem cōmoda ad virtutem adipiscēdā aut tuēdam valere negant: quā quam eadem præponenda & sumenda dicunt: quæ verè est controuersia & discrepātia, non rerum, sed verborum. Quod ergo contra Peripateticos Cicero dixerat, in hunc modum à Pisone dissoluitur. Sed alia sequitur reprehensio, quòd inconstanter hæc dicantur, quæ cum tota disciplina consentire non possint.

Non pugnem cum homine, cur tantū habeat in natura boni: illud vrgeā,

Vnum hoc in primis cauere debet Philosophus, ne quid cui repugnans decretis suis explicandis loquatur: in quod certè vitium Epicurus præter omnes incurrit. Dicit enim dolorem summum malum esse: hominem tamen sapientem, id est, qui beatus sit, in Phalaridis tauro si sit, dicturum, Quàm hoc suaue, quàm non curo. Quæ duo inter se pugnantia sunt. Neque enim qui in summo bono sit, is in summo malo simul esse possit. Quòd doloribus laboribúsque perferēdis sapientē vim habere dixerit, id certè præclarè admodū & verè dixit: sumus enim naturā ad laborē tolerandū honestatis causa nati: at decretis authoris non conuenit. Scilicet homo callidus, fortassis quòd artis disserendi ignorantia teneretur, quam etiam contemnebat, quid dogmatum suorum esset consequens percipere ac comprehendere non potuit. Cōsequens enim est, si dolor summum malum sit, eum qui in summo bono sit, in dolore esse non posse. Hoc idem pluribus & aliis in sententiis euenire Epicuro Cicero docet Tuscul. 5. An malumus Epicurum imitari, qui multa præclarè sæpe dicit? quàm enim sibi constanter conuenienterque dicat, non laborat.

Dicis eadē omnia & bona & mala, quæ quidem dicunt, qui nunquam.

Philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consultò ipsa fugit, quæq; plures mirantur, ea contemnit ac pro nihilo ducit. Atqui ait Academię defensor, vos qui rationem Peripateticorum sequimini, ea bona maláque dicitis, non quę philosophia, id est, sapientia, sed quæ plerique ignari homines, qui vsqueadeo ignoratione rerum tenentur, vt ne vestigium quidem vllum aut vmbram veri philosophi vnquā

viderint (Sic enim solemus, cùm inscitiam cuiuspiam notamus, dicere eum ne rei quidem de qua quæstio est, picturam vidisse. Solent enim homines imperitis etiam per picturam multas res proponere, quas sub sensus subiectas ostendere non possunt. Simile est quo Arriani Epictetus vtitur, φιλοσόφου οὐδ' θύραν παρῆλθον.) Quid ita M. Tulli? Valetudinem, diuitias, & alia eius generis in bonis numeratis: quibus qui caret, is certè summam bonorum non complectitur: quod deberet, si beatus futurus esset. Atque ista est, quam ait esse cum ipsorum decretis Peripateticorum dissensionẽ. Idem disputatur contra eosdem Tuscul. 5.

Et scio ab Antiocho nostro dici sic solere.

In Academicis, Zeno, inquit, in vna virtute positã beatã vitã putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Deus ille, qui nihil censuit deesse virtuti: homuncio hic, qui nulla putat præter virtutem homini partim chara, partim necessaria. Sed ille vereor ne virtuti plus tribuat quàm natura patiatur, præsertim Theophrasto multo disertè copiosèque dicẽte. Et hic metuo ne vix sibi constet qui quum dicat esse quædam corporis & fortunæ mala, tamen eum qui in his omnibus sit, beatum fore censet, si sapiens sit.

Quod autem satis est, eo quicquid accesserit nimium est.

Aristoteles ait, τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία. & alio loco, τὸ γὰρ τέλειον ἀγαθὸν αὔταρκες εἶναι δοκεῖ. τὸ δ' αὔταρκες λέγομεν, οὐκ αὐτῷ μόνῳ τῷ ζῶντι βίον μονώτην, ἀλλὰ καὶ γονεῦσι καὶ τέκνοις καὶ γυναικὶ καὶ ὅλως τοῖς φίλοις καὶ πολίταις. Sanè, inquit, quippiam perfectum & quod satis sit beata vita est. item, Nã perfectum bonum id esse puto, quod satis sit. Satis autem esse dicimus, non quod sufficiat cuipiam tantum, qui vitam degat solitariam, sed quod etiam parentibus, liberis, vxori, & omnino amicis ac ciuibus. Ex iis verbis si progrediamur, necesse erit fateri, ad beatè viuendum virtutem satis non esse. Item, Qui beatus sit, eum beatiorem fieri non posse. Nam perfecto perfectius non est: vt nec ad id quod satis est, quippiã accedere potest, quin nimiũ euadat. τέλειον enim definitur, οὗ παραγινομένου μηδὲν ἔτι προσδεόμεθα: vt id perfectum intelligatur & absolutum, quo, si adsit, nihil amplius requiramus. Quæ duo consequentia iis repugnant quæ Piso concesserat: Virtutem solam si adsit vitam efficere beatam. &, Sapientem esse, ad beatissimè viuendum parum esse, ad beate verò satis.

Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios Consules vidit, è quibus.

Q. Cęcilius Metellus Macedonicus à domita Macedonia, quatuor filiorum pater supremo tempore, vt est apud Plinium, humeris eorum ad sepulchrum latus est: ex quibus tres Consules, vnum etiam triumphantem viderat. Alter Plinius interfelicitatis humanæ exempla numeratum eum fuisse scribit. Et Plutarch' inter eos qui splendida atque prospera vsi sunt fortuna hunc quoque adscripsit. μεγαλύνεται δὲ καὶ Καικίλιος Μέτελλος ὁ Μακεδονικὸς γέρων ἀπὸ τεττάρων παίδων ὑπατικῶν ἐκκομιζόμενος, Κοΐντου Βαλιαρικοῦ, καὶ Λουκίου Διαδήματος, καὶ Μάρκου Μετέλλου, καὶ Γαΐου Καπραρίου, καὶ δυοῖν γαμβρῶν ὑπατικῶν καὶ θυγατριδῶν κοσμουμένων ἐπιφανέσιν ἀριστείαις καὶ πολιτείαις, id est, Exultat hic quoque Cæcilius Metellus Macedonicus, senex, qui quatuor filiorum Consularium Q. Balearici, L. Diadumæ, M. Metelli, & C. Caprarij, duorumque generûm itidem Consularium, nepotum denique qui & clari & nobiles, tum genere, tum rebus gestis fuerunt, humeris ad sepulchrum elatus est. Cũ quo is confertur, Regulus omnibus notus est. Is quum captus à Pœnis, Romam de captiuis commutandis missus esset, iurassetque se rediturum, nisi captiui Pœni remitterẽtur, re infecta, ad supplicium redire maluit, quod sciebat sibi graue paratum, quàm fidem hosti datam fallere.

Vtinam quidem dicerent alium alio beatiorem, iam ruinas videres.

Stoici in explicanda sua disciplina ita consequentia tenuerunt, vt nihil alteri repugnans in tota reperias doctrina. Quòd si primum effatum dederis, non esse bonum quod non idem honestum sit, danda sunt omnia. contrà, si vnum consequens sustuleris, retexendo omnia euertes. Beato autem aliū beatiorem esse, vnum eorum est consequentium, quæ ex primo illo eliciunt effato: quod si tollat quispiam, ruinas magnas dogmatum edet, id est, totam perdet disciplinam. Sic de Legib. lib. 1. dicit, de noua loquens Academia, Exoremus vt sileat. Nàm si inuaserit in hæc, quæ satis scitè nobis instructa & composita videntur, nimias edet ruinas.

Hæret in salebra. Cupit enim dicere, nihil posse.

Lib. 2. eadem forma dixit, In magnis versatur angustiis, In magnas incidit salebras: quæ de iis dici solent, qui pugnantibus inter disputandum concessis premūtur, nec incommodum declinare possunt, non secus ac nautæ fluminum obstaculis irretiti ac vndarum impetu, aut procella, frustra huc atque illuc sese conuertentes elabi conantur. Ita Peripateticos ait initio tribus bonorum generibus positis, in hoc hære re, quòd dum non audent sapientem beatum esse negare, fateri cogantur, corporis aut fortunæ incommoda, aut mala non esse, aut interuenire beato. qui tamen bonorum summam habere debeat.

Paupertas si malum est, mendicus beatus esse non potest.

Pugnantia sunt, Beatum esse mendicum, &, Mendicitatem malum esse. Debet enim beatus ab omni malo liber esse. Zeno qui diuitias in bonis, & paupertatem in malis non numerat, pugnantia non loquitur, qui etiam ait omnem sapientem & solum diuitem esse: sed tum diuitias animi, non fortunæ dicit. Itaque aiunt Stoici, animo oportere iudicari diuitem: non hominum sermone, neque cupiditatibus nostris. Diuitem, inquiunt, eum ponimus, cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Alia Cicero elicit consequentia, quorum ratio eadem est. DOLOR est malum, in cruce qui angitur, beatus esse non potest.] In veteri scriptum est, DOLERE malum est, in cruce in qui agitur, beatus esse non potest] quod in Basiliensi codice etiam adnotatum est.

Si enim ad populum me vocas, eum qui sit ita affectus.

Beatum vulgus existimat, qui opibus, amicis, honore, voluptate, potentia, valetudine, prosperitate, & cæteris id genus fortunæ & corporis commodis abundat. οἴονται γὰρ, inquit Aristoteles, οἱ πολλοὶ τὸν εὐδαίμονα βίον τὸν εὐτυχῆ εἶν: Vitam, inquit, beatam plerique in eo positam putāt, si quis prospera vtatur fortuna. Et aliàs ex multitudinis iudicio scribens, ἔστω δὴ εὐδαιμονία εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς, ἢ αὐτάρκεια ζωῆς, ἢ ὁ βίος μετὰ ἀσφαλείας ἥδιστος, ἢ εὐθένεια κτημάτων καὶ σωμάτων μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τε καὶ πρακτικῆς τούτων Ergo beatitudo ponatur, rerum prospera fortuna cū virtute coniuncta: vel vita quæ contenta sit, nec quicquam requirat amplius: vel vita secura ac suauissima: vel firmitas ac tuta possessio diuitiarum & corporis, adiuncta ea tuendi ac efficiendi facultate. Prudentes verò & eruditi alij aliter: Nam cui placent Peripateticorum decreta, ij quidem beatam vitam non negabunt eam quæ virtute prædita, aduersa vtatur fortuna: beatissimam negabunt. Cui verò Zenonis probantur dogmata, beatissimam talem vitam dicent. In sola enim virtute beatitudinē omnem esse positam. Consentanea autem Zeno profert: Peripatetici repugnantia.

Nota est Phalaridis crudelitas ex illo æneo tauro, in quem impositi homines, viui supposito igni exurebantur: ac dum præ dolore eiulabant, mugitum & tauri asperā vocem edebāt. Itaque φαλαρισμὸς, pro crudeli imperio in prouerbium abiit. Cicero

ad Atticum, Nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia teterrimè facturum puto.

Omnis authoritas philosophiæ consistit in beata vita comparanda.

Comparare hoc loco Nonius exponit confirmare & constituere, quo modo à veteribus vsurpatum verbum fuisse tradit. Hanc sententiam in Academicis ad hunc modum expresit, Omnis ratio vitæ definitione summi boni continetur: de qua qui dissident, de omni vitę ratione dissident. Et huius libri initio, Summo bono constituto in philosophia constituta sunt omnia. Aduerte tria in eadem re dicta, definitione summi boni, summo bono constituto, & beata vita comparāda. Hæc minuta sunt, pueris tamen non inutilia.

Cur Plato Aegyptū peragrauit, vt à sacerdotibus barbaris numeros.

Plato cùm esset Athenis honesto apud suos loco natus, & ingenio mirabili, lōgè suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendæ philosophiæ sufficere seipsum, ac Socraticam disciplinam, quàm longè lateq; potuit peregrinatus est, quaquauersum eum alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Aegypto didicit, quæcunque illic magna habebantur, atque docebantur: & inde in Italiæ partes veniens, vbi Pythagoreorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ philosophiæ tunc florebat, auditis eminētioribus in ea doctoribus, facillimè cō prehendit. Ita tres varias disciplinas adeptus est: primam, quæ ad mores & regendas ciuitates pertinebat, à Socrate qui hanc vnam tenere omnes volebat: Alteram, quæ de rebus est cœlestibus & diuinis, à sacerdotibus Aegyptiis, & fortasse à Prophetis Hebræis. Tertiā, quæ de natura est, & de mathematicis, à Pythagoreis Archyta, Timæo Locrensi, Philolao, & Eurito, & cæteris qui tum illic florebant, cognouit. Tot labores, tot peregrinationes Plato non suscepisset, nisi rationē Philosophorū, vt beatè viueret dare posse putasset. Anaxagoram & Pythagoram Aegyptum adiisse, cūq; Aegyptiis & Hebręis sapientibus versatos fuisse, vt rerum cognitionem inde haurirent, scriptum est apud Suidam.

Cur hæc eadem Democritus, qui (verè falsóne quæreremus)

Democritus quum impediri aciem mentis aspectu oculorum arbitraretur: quòd intimas cogitationes, & rerum veras rationes ne animus perspiceret, oculorum illecebræ efficerent, volens oculis se priuasse dicitur: quod quemadmodum fecerit, vt Gellius refert, Laberius versib⁹ scripsit, quanquā in aliā rē id verterit. versus hi sunt,

Democritus Abderites, physicus, philosophus, clypeum.
Constituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt posset splendore æreo: ita radiis.
Solis aciem effodit luminis, malis bene.
Esse ne videret ciuibus,

Plutarchus falsum esse dicit, ob id vt in rerum contemplatione acrius ac intentius insisteret, acie oculorum eum se priuasse. De neglecto patrimonio Valerius Maximus, At Democritus, inquit, cùm diuitiis censeri posset, quæ tantæ fuerunt, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit: quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, parua admodum summa retenta, patrimonium suum patriæ donauit. Alij eum partitum fuisse fratribus dicunt.

Id enim ille summum bonum εὐθυμίαν & sæpe ἀθαμβίαν.

Quidā codices habent ἀκαμίαν: alij ἀθαμβίαν, vt propemodum vetus quem habeo. Laertius in eius vita tantum posuit εὐθυμίαν & εὐεστὼ, sed aliis vsum eum fuisse nominibus tradit, ad summum bonum explicandum. Eū temporibus Socratis philosophatum fuisse ferunt: quo tempore de virtutibus & bonis ac malis rebus parū ad-

modum disputabatur. Omnes enim Philosophi in rebus occultis, & ab ipsa natura inuolutis inquirendis versabantur, in cœlestibus inuestigãdis, in mathematicis tractandis. Primus Socrates ab iis studiis reuocauit philosophiam, & ad vitam communem adduxit, coëgitque vt de virtutibus & vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quæreretur. Democritus tamen etiam de virtutibus disputauit, ac de moribus: quod eius libri ἠθικοὶ, quos recenset Laërtius, testantur: περὶ τῆς τοῦ σοφοῦ διαθέσεως, περὶ ἀνδραγαθίας ἢ περὶ ἀρετῆς, περὶ εὐθυμίας, &c. Huius præclare dictum hoc fertur, λόγος ἔργου σκιή. NEC DVBITANT, quin in virtute] alij, NEC DVBITATVM: vetus, NEC DVBIVM. EGO QVAM ille præponendam & eligendam] vetus, MAGIS eligendam.

Quemadmodum in Senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet.

Nouis verbis vtuntur Stoici in explicandis suis decretis: ideo intelligi cùm non possint, interpretes requirendi sunt, non aliter atque in Senatu solent imperiti rerũ ciuiliũ, & verborum in legis, interpretes postulare, qui leges exponant, & doceant quo criminis genere in iudiciũ vocatus quisque teneatur. Sic enim ἐξηγηταὶ definiuntur apud Suidam, οἱ τοὺς νόμους τοῖς ἀγνοοῦσιν ἀποδεικνύοντες, καὶ διδάσκοντες περὶ τῶν ἀδικημάτων ὧν ἕκαστος γράφεται.

Bonum appello, quicquid secundum naturam est: quod cõtrà, malum.

Lib. 4. idem dixit, Quid ait Aristoteles, reliquique Platonis alumni? Se omnia quæ secundum naturam sint, bona appellare: quæ autem contrà, mala. Plato in Cratylo, καὶ μὴν τό γε ἀγαθὸν τοῦτο τῆς φύσεως πάσης τῷ ἀγαστῷ βούλεται τὸ ὄνομα ἐπικεῖσθαι. ἐπειδὴ γὰρ πορεύεται τὰ ὄντα, ἔνι μὲν ἄρ' αὐτοῖς τάχος, ἔνι δὲ βραδύτης. ἔστιν οὖν οὐ πᾶν τὸ ταχὺ ἀλλὰ τι αὐτοῦ ἀγαστόν. τούτῳ δὴ τῷ ἀγαστῷ αὕτη ἡ ἐπωνυμία ἐστὶ τ' ἀγαθόν. Plato notationem verbi explicat, vultque ἀγαθὸν omne id dici, quod naturæ lætabile sit & placens. id enim significat ἀγαστόν. Nam, inquit, cùm animalia ingrediantur, illis placet aliàs tarditas, aliàs celeritas: itaq; non omnis celeritas grata est & accepta, sed certa quædam. Id ergo bonum appelletur, quod gratum est singulis & placens. Lib. 10. de Repub. idem dicit, τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον, πᾶν τὸ κακὸν εἶναι. τὸ δὲ σῷζον καὶ ὠφελοῦν, τὸ ἀγαθόν, quod naturæ interitum adferat, aut labefactare posit, id omne malum esse: contrà, bonum quod naturam conseruet, ac prosit.

Quæ ita definiunt, vt satis magno æstimanda sint.

Προηγμένα τὰ ἀξίαν ἔχοντα. lib. 3. Cato, Quoniam autem, inquit, omne quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse, nec malum hoc quod præpositum vel præcipuum nominamus: idque ita definimus, Quod sit indifferens cum æstimatione mediocri. Et paulò superius, Quæque autẽ, inquit, æstimanda essent, eorum in aliis satis esse causæ, quamobrem quibusdam anteponerentur, vt in valetudine, & integritate sensuum, vt in doloris vacuitate, vt gloriæ, diuitiarum, similium rerum: alia autẽ non esse eiusmodi. MIHI ETIAM lautius videtur quod eligitur] ill' veteri legitur, LATIVS VIDETVR] quod haud scio verùmne sit.

Ne seges quidem igitur spicis vberibus & crebris, si in maximis

Hæc latius sunt exposita Tusculan. 5. Mihi enim non videbatur quisquam beatus esse posse, quum in malis esset: in malis autem sapientem esse posse, si essent vlla corporis aut fortunæ mala. Dicebantur hæc quæ scripta sunt etiam Antiochiis locis pluribus, virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse, neque tamen beatissimam. Deinde ex maiore parte plerasque res nominari, etiam si qua pars abesset, vt vires, vt valetudinem, vt diuitias, vt honorem, vt gloriam: quæ genere, non numero cernerentur. Item beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte claudicaret, tamẽ ex multo maiore parte obtinere nomen suum, &c. Quæ si quis cum his breuibus sermonibus

contulerit, multo melius, quæ nunc disputantur, intelliget. Est enim totus hic locus illic verbis pluribus expositus.

Virtutis autem amplitudinem, quasi in altera libræ lance ponere.

Hoc ad Critolaum retulit Tuscul. 5. Quo loco, inquit, quæro quam vim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis & externa, tantum propendere illam boni lancem putet, vt terram & maria deprimat. Ita Peripatetici quum tria bonorũ genera fecerint, animi, corporis, & fortunæ: primum locum, & quasi principatum bonis animi deferunt: secundum, aut potius multo inferiorem iis quæ corporis sunt: tertium & infimum externis tribuunt. Tantum autem primi generis bona alia excellere dicunt, vt omnino omniq́ue ex parte, & propter se expetenda esse dicant: cætera non nisi illorum gratia. Ex quo volunt beatitudinem non ad secundum & tertium genus bonorum referri, sed à primo metiendam esse, & ponderandam; tanquam à parte maxima & præcipua. Græca autem Critolai legere non memini me vspiam, præterquam quæ Lucianus mutuatus inde mihi videtur in quodam Martis & Mercurij dialogo. Sic enim Mars ait, ἐγὼ δ' ὅτι μὴ καθ' ἕν ἁπάντων ἀμείνων ἢ ἰσχυρότερος εἴην οὐκ ἂν ἀρνηθείην, ὁμοῦ δὲ τῶν τοσούτων ὑπερφέρειν, ὡς μὴ καταβαρήσειν αὐτὸν, κἂν τὴν γῆν, κἂν θάλασσαν προσλάβωμεν, οὐκ ἂν πεισθείην. Equidem, inquit, facile concesserim, singulis in rebus neminem bonitate & præstantia illi anteire: quòd tantum verò cæteris propendeat, vt si in altera libræ lance ponatur, eã terra & maria deprimere non possint, id pernegauerim. [IGITVR SI SEMEL tristis effectus est, &c.] in veteri legitur, ERGO SI SEMEL tristior effectus est, hilara vita amissa est. An hoc in eo, &c.

Polycratem Samium Felicem appellant, nihil acciderat ei.

Historia est apud Herodotum lib. 3. Et Valerius Maximus meminit lib. 6. cuius verba adscribam, quia non longa sunt, & totam rem complectuntur. Ad inuidiã vsque, inquit, Polycratis Samiorum tyranni abundantissimis bonis conspicuus vitæ fulgor excessit, nec sine causa. Omnes enim conatus eius placido excipiebantur itinere: spes certum cupitæ rei fructum apprehendebat: vota nuncupabantur simul & soluebantur: velle ac posse in æquo positum erat. Semel duntaxat vultum mutauit, perquam breui tristitiæ salebra succussum, tunc quum admodum gratum sibi anulum de industria in profundum, ne omnis incommodi esset expers, abiecit: tamen continuò recuperauit, capto pisce qui eum deuorauerat. Sed hunc, cuius felicitas semper plenis velis cursum tenuit, Orontes Darij Regis præfectus, in excellentissimo Mycalensis montis vertice cruci affixit: ex qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus anulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam Samos amara seruitute aliquandiu pressa liberis ac lætis oculis aspexit.

Sed isti ipsi qui voluptate & dolore omnia metiuntur.

Epicureos dicit. Sic enim ab Epicuro (ait Torquatus libro primo) sapiens semper beatus inducitur, finitas habet cupiditates, negligit mortem, de Diis immortalibus sine vllo metu vera sentit, non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus, semper est in voluptate. Neque enim tempus est vllum, quo non plus habeat voluptatum, quàm dolorum. Nam & præterita gratè meminit, & præsentibus ita potitur, vt animaduertat quanta sint ea, quamq́ue iucunda, neque pendet ex futuris, sed expectat illa: fruitur præsentibus, ab iisq́ue vitiis, quæ paulò ante collegi, abest plurimum. Tuscul. item 5. hæc exposita est Epicuri inconstantia, vt diximus.

Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose desciuisse videtur à St.

De hoc Dionysio ita Laertius scribit, cùm enumerat qui Zenonis fuerint insi-

gnes discipuli, Διονύσιος ὁ μεταθέμενος εἰς τὴν ἡδονήν. διὰ δὲ σφοδρὰν ὀφθαλμίαν ὤκνησεν ἔτι λέγειν τὸν πόνον ἀδιάφορον. οὗτος ἦν Ἡρακλεώτης. Eius etiam, inquit, discipulus Dionysius fuit, qui à Stoicis desciscens, in voluptatem deductus est. Nam quum ex oculis grauiter laboraret, doloremque ferre non posset, negauit indifferentem rem esse dolorem. Erat autem is genere Heracleotes. Et alio loco, Διονύσιος δὲ ὁ μεταθέμενος τέλος εἶπε τὴν ἡδονήν, διὰ περίστασιν ὀφθαλμίας. ἀλγήσας γὰρ ἰσχυρῶς ὤκνησεν εἰπεῖν τὸν πόνον ἀδιάφορον. & paulò pòst, ἀποστὰς δὲ τοῦ Ζήνωνος πρὸς τοὺς Κυρηναϊκοὺς ἀπετράπη, καὶ εἴς τε χαμαιτυπεῖα εἰσῄει, καὶ τ' ἄλλα ἀπαρακαλύπτως ἡδυπάθει. Dionysius cognomento μεταθέμενος, voluptatem esse summum bonum fecit, oculorum dolore inductus. Nam quum grauiter dolore cruciaretur, indignabundus pernegabat, dolorem rem esse indifferentem. Sequitur mox, Itaque desciscens à Zenone ad Cyrenaeos se contulit, in quorum gurgustium ac ganeas introductus, & perperam aliis libidinibus implicatus, suauiter viuebat. Meminit quoque M. Tullius Tuscul. 2. Ad Philosophos me reuocas, qui in aciem non saepe prodeunt. E quibus homo sanè leuis Heracleotes Dionysius, quùm à Zenone fortis esse didicisset, à dolore deductus est. Nam quum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat falsa esse illa, quae antea de dolore sensisset ipse, &c. PROPTER OCVLORVM DOLOREM] in veteri quo vsus sum, est, PROPTER GENV DOLOREM] quod non admonuissem, nisi eo loco Tusculan. Ciceronem vidissem alium morbum nominare, quàm Laertium.

Et quidem Arcesilas tuus, etsi fuit in disserendo pertinacior.

Arcesilas nouae Academiae fundator, vt Ciceroni, vel mediae, vt Laertio placet, Theophrastum audiuit: sed ab eo discessit: quam rem aegrè ferens Theophrastus, ὡς εὐφυὴς, inquit, καὶ εὐεπιχείρητος ἀπεληλυθὼς τῆς διατριβῆς ἂν νεανίσκος. Quàm ingeniosus, ac ad discendum celer & promptus iuuenis schola excesit. Quàm autem bene de Peripateticis senserit, indicauit, quum quendam è suis discipulis malle ad aliorum Philosophorum scholas intelligens, eum apprehēsa manu ad Hieronymum Peripateticum deduxit, ac illi commendauit, iuuenem monens εὐτακτεῖν. quod non fecisset, nisi Peripateticos aliis praetulisset. In disputando eum fuisse ille scribit, ἀξιωματικώτατον καὶ συνηγμένον, ἐν τῇ λαλιᾷ διαστατικὴν τῶν ὀνομάτων, ἐπικόπτην θ' ἱκανῶς καὶ παρρησιαστήν, id est, proloquiis & effatis plurimum vsum, adstrictum dicendo fuisse, ambiguitate verborum multum lusisse, scommatis admodū & pertinacia audaciaq; in disputando valuisse. Is morem disputandi veterum reuocauit, instituitque vt hi qui audire vellent, non quaererent, sed ipsi dicerent, quid sentirent. Quod quum dixerant, ille contrà disputabat. De eo plura Cicero in Academicis.

Laetor quidem philosophiam (cuius anteà supellectilē pluris aestimabā.

Veterum Academicorum & Peripateticorum disciplina vberior, eruditior, grauiorque sanioris iudicij hominibus visa est, quàm reliquorum Philosophorum. Nam Stoicorum disputationes spinosae sunt, & ieiunae, ac à communi omnium notione & intelligentia remotae, subtiles tamen. Epicureorum verò parum erudita habita est disciplina & ignobilis: quae viam & rationem differendi nullam haberet, & virtutes voluptatibus seruiētes faceret. Alij tamē Philosophi alios contempserunt, ac quantū potuerunt, quae sibi vendicabant, aliis detrahere conati sunt. Ita Peripatetici Stoicis dicti sunt populares, ac minimè subtiles, & dissoluti. Sic enim Cato significat libro 4. Mihi verò placet agi subtilius, &, vt ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt: ego autem à te elegantiora desidero. Intexitur demum Q. Pomponius, qui explicatae summi boni constitutionis & ingeniosè contra Stoicos defensae, subtilitatem agnoscit: & de sua, id est, Epicureorum doctrina iocatur, quòd

tam morosam & difficilem ea secuta non fuerit subtilitatem: itemque probat iam habitam de fine bonorum & malorum orationem, vt planam & aptam, quanquam recens è Græcis in Latinorum cognitionem translatam. Sed quoniam hoc nobis loco finiendum est, has breues animaduersiones æqui boniq́ue consulant studiosi lectores, etiam atque etiam obtestor. Si enim hos primos studiorum meorum fœtus & quasi flores non improbari intellexerò, de fructu posthac edendo animus cogitabit.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	Lin.	
2	15	Quod, lege, quòd
3	19	Fiet, lege fiet.
5	12	σκῆπον, leg. σκηπτὸν
8	29	προῆλθον, leg. προῆλθεν 9. 7. nō aliter, leg. nil æqui ar
10	34	PRO leg. pro,
14	44	quia expleri, leg. quia nec expleri
16	18	αὔδρια, leg. αὐδρεῖα
40	34	μεγαλοθυμῶ siue μεγαλοψυχῶ, leg. μεγαλοθύμου, siue μεγαλοψύχου.
110	11	δυνάμεις, leg. δόγμα.
113	13	προῆκται, leg. πρόηκται. idem corrigendum paulo pòst.
129	44	post, familia, adde, Honestum quod est, id solum bonum esse.

RERVM AC VERBORVM INSIGNIORVM QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR, INDEX.